

MUSÆUM
REGIUM

MUSEUM REGIUM,

SEU

CATALOGUS

Rerum tam naturalium, quàm artificialium,

QVÆ IN BASILICA BIBLIOTHECÆ

AUGUSTISSIMI DANIÆ NORVEGIÆq;

MONARCHÆ,

FRIDERICI QVARTI,

Havniæ aſſervantur,

GLORIOSISSIMÆ MEMORIÆ REGE,

CHRISTIANO QVINTO,

regnante,

Ab

OLIGERO JACOBÆO

Med. & Phil. Prof. Regio

qvondam deſcribtus,

nunc verò magna ex parte auctior

uberioribusq; commentariis, præſertim autem qvoad

ANTIQVITATES


HISTORIAMQ; NUMISMATUM DANICORUM,

illuſtratus,

accurrante

JOHANNE LAURENTZEN,

Aſſeſſore Conſiſtorii Havnienſis Regio.



CUM PRIVILEGIO.

HAUNIÆ, Ex Reg. Majeſt. & Univerſit. Typographéo.

SUMMA PRIVILEGII.

Leopoldus Divinâ favente Clementiâ Electus Romanorum Imperator, Semper Auguſtus, Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ &c. Rex, Privilegio ſingulari ſanxit, ne qvis intra Sacri Romani Imperii regnorumqve ac ditionum hæreditariarum fines Muſeum hoc Regium intra qvindecim annos à die perfectæ primæ editionis, ſive in toto ſive in parte mutatisve titulis, qvocunqve modo & formâ id fiat, recudere aut aliò recudendum dare, adducere, vendere vel diſtrahere apertè vel occultè præſumat, citra voluntatem OLIGERI JACOBÆI ejusve hæredum vel Subſtituti. Qvi ſecus fecerit, librorum confiſcatione & pœnis, qvæ latiùs in diplomate continentur, mulctabitur.

Auguſtiſſimo Monarchæ,

FRIDERICO QVARTO,

DANIÆ, NORVEGIÆ, VANDALORUM GOTHORUMQVE

REGI HÆREDITARIO,

DUCI

SLESVICI, HOLSATIÆ, STORMARIÆ ET DITHMARSIÆ,

COMITI

IN OLDENBORG ET DELMENHORST

MUSEUM REGIUM,

ORBIS ILLUD IN BOREO ORBE COMPENDIUM,
SUBMISSE PANDITUR,
SPLENDOREM NOVUM
ET AUSPICATISSIMA RENASCENTIS GLORIÆ
INCREMENTA
A
MAGNI DOMINI
LUCE
CAPTATURUM,
UT
QVAM IN SEPTENTRIONE SUO
GLORIOSISSIMI MONARCHÆ,
REGNIS NON MINUS SUIS, QVAM NATURÆ
ET ARTIS, SALUTARIA NOMINA,
EREXERUNT,
MAGNIFICAM ET LAUTISSIMAM RERUM ADMIRANDARUM SUPELLECTILEM,
AB
AUGUSTISSIMO IPSORUM SUCCESSORE
EXQVISITISSIMA ACCESSIONE INSTAURATAM,
INTUEANTUR DENUO ET OBSTUPESCANT
MORTALES.

IN
IMMORTALEM GLORIAM
MAGNI CONSERVATORIS,
OPTIMI PATRIS PATRIÆ,
QVI
THESAURUM HUNC DOMI ORNAT,
ET REGALI MAGNIFICENTIA CONQVISITUM
TALEM HIC CUNCTIS APERIT,
QVALEM NON RELIQVUS ORBIS HACTENUS,
NON IPSA ITALIA,
SOLE NUPER ARCTOO ILLUSTRATA,
JACTARE SUSTINUIT.
HUJUS IGITUR DESCRIBTIONEM
AMPLIOREM
AD PEDES
AUGUSTISSIMI REGIS SUI,
TANQVAM AD TUTELARIS DEI PULVINAR
DEPONIT,
SIMULQVE IPSI,
PRO IMMORTALIBUS IN GENUS HUMANUM
MERITIS,
ET
PRO CLEMENTISSIMIS IN SE GRATIÆ DOCUMENTIS
FULGENTIOREM INDIES IN SOLIO MAJESTATEM,
INNUMERABILES LAUROS ATQVE ADOREAS,
TRIUMFOS DE HOSTIBUS PERPETUOS,
FLORENTISSIMAM IN TERRIS VITAM,
NON NISI CUM MUNDO TERNINANDAM
DE COELO EXOPTAT

SACRÆ REG. MAJESTATIS

DEVOTISSIMUS SUBDITUS

JOHANNES LAVERENTZEN.

LECTORI S.



andem denuo Theatro Orbis publico Muſéum *hoc* Regium *ſe ſiſtit, ſingulari Monarchæ noſtri, jam Auguſtiſſimi, curâ auctum & à nobis aliqvantum uberiùs deſcribtum, qvod ſidere felici, jubente ſic qvondam Regia Majeſtate, antea prælis impreſſum, nunc exoptamus feliciori. Vaſtum penè Orbem* (ut ulteriùs Beati Deſcribtoris utamur verbis, qvæ ubiq; hîc magni fecimus) *& qvicqvid vel produxit natura fœcundior, vel excogitavit ars ſubtilior, ambitu ſuo claudit, res plurimas oſtentans, qvæ à vulgi obſervatione remotæ omnium in ſe oculos convertunt. Qvemadmodum enim vim auri ingentem mercesq; alias inſignes Salomoni ſapientiſſimo Regum Ophir olim ſuppeditavit, ita modô non dispari Regibus noſtris clementiſſimis, redivivis illis in ſeptentrione Salomonibus, res varias pretioſas ab utroq; ſolis termino Orbis univerſus ſubminiſtravit, & in Auguſtum hoc ſapientiæ domicilium ac velut Capitolium æternitatis certatim contulit. Eſt qvippe in confeſſo, Reges ac Principes alios q;, qvi ſpiritu heroico calent, naturæ artisq; ſtudia, qvæ baſilicas ipſas ac palatia intrant, ſæpius excoluiſſe, ipſumq; Salomonem, præter opes immenſas, eam à DEO adeptum fuiſſe ſapientiam, ut recondita qvoq; naturæ perſpexerit, & de cedro Libani ad hyſſopum usq; è pariete egredientem diſſeruerit. Auguſtum, qvod rariora hæc ſervat, Palatium ſtructurâ inprimis magnificentiâ ſuperbit, & immenſos illos rerum theſauros per conclavia octo in claſſes ſeriemq; ordinatam diſtinctos exhibet. Conclave primum varia ex homine deſumta, item qvadrupedes, aves, piſces, conchylia, plantarum arborumq; partes, lapides, terras, metalla & mineralia monſtrat: Secundum res varias artificiales ex auro, argento, ære, ferro, ligno, ebore, unicornu, ſuccino elaboratas, & qvicqvid ex laboribus manuariis egrègium eſt, omnibusq; vel Phidiæ & Praxitelis, vel Lyſippi & Polycleti artificiis majus: Tertium varia armorum & veſtimentorum genera, vaſa, utenſilia & res alias innumeras ex Indiâ utrâq;, Chinâ, Japoniâ, Turciâ, Tartariâ, & totô ferè diviſis Orbe Grönlandiâ & Islandiâ, Inſulisq; Feröënſibus allatas: Qvartum Optica & Mechanica, ab ingeniis ſagaciſſimis efficta, & Antiqvitatum variarum ſpolia qvæſitiſſima, ab injuriis temporis edacis jam tuta,* qvibusq; aliqvantô majorem nunc affudimus lucem: *Qvintum præter picturas varias Principum & Magnatum, ac res pretioſas innumeras, Reges, Reginasq; ac Heroes varios illuſtres artificiô plaſticô ita efformatos exhibet, ut vivis ac ſpirantibus ſimillimi videantur: Sextum & ſeptimum, qvemadmodum & ampla illa & excelſa porticus, picturas rerum variarum elegantiſſimas monſtrant, qvarum hîc ubertas tanta, ut parietes totos velut periſtromata artis exqviſitæ, & peripetasmata exornent, artificium tantum, ut penicillum ipſum vel Zeuxis & Apellis, vel Parrhaſii & celebriorum omnium provocent: Octavum numorum tam veterum qvàm recentiorum, qvos nitor, raritas & artificum nobilitat induſtria, copiam immenſam exhibet. Et licet in conclavi hôc collecta ex omni ferè terrarum parte numismata aſſerventur, ſuas hîc monetas oſtentet Gallia, ſuas Hiſpania & Portugallia, ſuas Italia, Anglia, Belgium, Svecia, Germania, Hungaria, Polonia, ſuas Turcia, India, China, Japonia, ex immenſa tamen illa farragine, & ſpoliis conqviſitiſſimis, juſſu Sacræ Regiæ Majeſtatis, ſola hîc nu-*

mismata Danica, Romana ac Græca, eaq; variora, inseruimus. Inter illa verò non *solùm numi aurei familiæ Oldenburgicæ, qvi hactenus sunt percussi, figuris à Calcographo repræsentantur, cum easdem ferè, qvas argentei, signaturas exhibeant, secundùm ætates suas annorumq; seriem dispositi*, verùm etiam luculenta serie nunc accesserunt argentei æreiq; antiqviores, qvi per Potentissimorum Regum Daniæ & Norvagiæ, vetustioris & Danicæ prosapiæ, tempora cusi, curis nostris posterioribus sunt reperti, æri incisi atq; describti. *In rebus mensurandis pedem Danicum, qvi à Leydensi seu Rhinlandico vix differt, in ponderandis verò libras 16. Unciarum passim adhibuimus. Et prolixiorem qvidem adhuc calamum, fontemq; eloqventiæ uberiorem Basilica hæc ab aliis efflagitare posset, si singula, qvæ ambitu suo comprehendit, attentiùs consideremus. Sub structurâ qvippe Musei hujus Augustissimi* Bibliotheca Regia *visitur, nulli inter Europæas secunda, qvæ Voluminum delectorum copiâ insigni oculos animosq; intuentium pascit, ac forulis pluteisq; serie eleganti dispositis innumera exhibet, qvæ lucernas eruditorum olent. In parte infimâ structuræ Mars habitat, & tela varia, pyrobolos, catapultas ac instrumenta alia militiæ terrestri destinata monstrat, adeò ut consortio felici Bellonæ hîc ac Sapientiæ armamentaria jungantur, Martemq; cataphractum Pallas haud reformidans literis attollat, qvicqvid alter designat armis. Vale interim, Lector benevole, & ex rebus his creatis Creatorem Omnipotentem ac opera digitorum ejus, in coacervandis verò Naturæ artiumq; thesauris Augustorum nostrorum sagacitatem veneratione debitâ perpende.*

ELOGIA,

Editioni priori
præfixa,

AD ILLUSTREM B. M.
AUCTOREM

D. OLIGERUM JACOBÆUM,

S. R. M. qvondam Conſiliarium Juſtitiæ,
in ſummo Tribunali & Conſiſtorio Aſſeſſorem, Medicinæ & Philoſophiæ
Profeſſorem Regium.

Auguſtum heìc qvodcunq; vides. Qvid PRINCIPE majus,
Cujus adoratô Numine crevit opus?
Naturæ ſpectas qvanta hîc *certamina* & *artis*,
Eminet hæc, vinci ſe tamen illa negat.
Addideris tandem facundi *Interpretis* ora,
Nil deſiderio deerit inde tuo.
Atqve ubi diſcedis, miratus ſingula, dices:
Muſeô pulchrô pulchrior iſte *liber*.

P. VINDINGIUS.

Cùm

Cùm per Te celſas Augusti lætior Orbis
Intrat Musei, Magne OLIGERE, fores,
Lumina circumfert, & Majeſtate coruſcâ
Cuncta ſtupens tantas pronus adorat opes,
Suſpiciensq; alio fœtûs jam ſole calentes
Jamqve ſuo, rari qvicqvid & ipſe fovet;
Parvus hic Orbis, ait, Magno à Jove conditus, Herme
Propatulus, gemino Numine Magnus erit.

JOH. LAVERENTZEN.

ARS NATURAM ALLOQVITUR.

Adeſto Rerum Natura
Hîc tua panduntur penetralia
Hîc æmulæ Artis ſagacitas tibi diſputat
Victoriam.
Qvicqvid habes & non habes
Perfecta vel imperfecta
Oculis oberrantium detecta prodis.
En genus qvadrupedum!
Superbit mortuus eqvus,
Maximi olim Regis lator,
Qvaſi qvo calce terram premat dubitans,
Hîc leo rugire deſinit
Doctus manſvetudinem.
Utqve raris accenſeri poſſet,
Lateri cornu excuſit ovis,
Ne fronti qvidem debitum.

Cer-

Cervi & alces depoſuerunt carnes,
Ut eò, ſi viverent, eſſent Celeriores,
Sed mortui ſecuriores,
Non à canibus, ſed caneſcentis ævi
Injuriis.
Hîc tuum æthra debilis admirare
Pennata ubi degit cohors,
Te qvidem obſtetricante nata
Artis auxilio renata,
Dum tu ſaltem vitam, hæc ævum conceſſit.
Intuere, qvas olim Nilum bibere vidiſti
Aviculas,
Qvibus potæ Caſpii & Herculei maris aqvæ
Cognita ultimi Septentrionis Promontoria.
Easdem hîc cernis plumas
Ungviculos Eosdem,
Ut non tam vitam, qvàm vocem
Ademptam conqverantur.
Sub undis fabricata
Ad ipſas etiam Conchyliorum minutias
Jam tecum poſſidet
Dania,
In maris, qvod exercet, Imperii
Æternum teſtimonium.
Faucium rictus, Pinnarum remigia
Corporum flexuras, Variegata tegumenta
Acutas & ſerratas proboſcides, ſqvameas loricas,
Mille luſus & varietates
Vectigal Hafniæ miſit Oceanus.
Adſpice numeroſam reptilium copiam!
Amphibium hîc eſſe deſinit,
Solo contentus pulvere

Famoſus Nili accola & incola
Vivum diceres, niſi creſcere deſiiſſet;
Mordacem putares, niſi Trochilum adhuc metuens
Maxillam deprimeret.
Adeſt natus cum domicilio Tatus
Proprii habitaculi portitor teſtudo,
Salamandra, Chamœleon,
Qvorum prior rarò in igne vixit,
Poſterior in aëre mortuus.
Qvi neminem voravit Draco
Nullos viſu occidit Baſiliſcus
Taceo Ceraſtes, Ammodytes, Hæmorrhoos
Fatalem Ægyptiacæ Principi Aſpidem
Scytalen, Amphisbœnam, Cœciliam, Acontiam
Latentem in angve vulgari Æſculapium
Et parvum genus vermium
Brevi ales futurum,
Si in oculatos Papiliones, ſtellatas libellas,
Veſpas inutiles & fucos ignavos deſinit.
Inqvilinas ſibi merces porrigit
Amata Tellus,
Magnum Cereris & Triptolemi Regnum
Gangi, Arari, Tibri, Tago, Rheno, Albi
Remotis oceani filiis proprias,
Qvas
Cura laudabilis, labor improbus, prudens ſolertia
Acqviſivit, in pulpita congeſſit, ordine diſpoſuit,
Semina Plantas
Flores Fructus
Cortices truncos
Arcton noſtram cornucopiæ probatura.

En

En abdita terræ viſceribus ſagax excuſſit
Induſtria
Feraces auri argentiqve mineras,
Malorum irritamenta futuras,
Humanos qvaſi lapides ſaxeas lingvas
Petroſa ligna ſemicoctas arenulas,
In ipſis incunabulis
Secura ne deliteſceres
Majeſtati Regiæ Homagium dictura.
Tandem & Homines hîc conſpicis,
Sed intuendo erubeſcere,
Cur pellis & muſculi innocentibus detracti oſſibus,
Cur intra feralem Mumiam Gelatina facta
Cur nervis deſtituta tenui ſaltem filo pendent
Vacillantia in acetabulis ſtamina,
Niſi qvòd
Tua temeritas obſtiterit innocentiæ
Et præmium deſideratæ Sapientiæ fuerit
Rerum omnium dira Corruptio.
Et tantum tuum, nec tuum tamen omne,
Miſera Natura!
Spolia ſunt,
Qvæ mors & temporum tibi detraxiſſent injuriæ,
Niſi vindices manûs adhibuiſſent
Artifices
Hîc Æmula tuæ adſum
Artificum Mater.
Meum eſt, non tuum,
Qvod integra urna relictos ex buſto ſepiat cineres,
Qvod antiqvam Sepulcreti Venerationem
Superſtites teſtentur Lampades.

Humata cum Dominis arma,
Sepultos cum Patronis Lares Domeſticos
In præſens ævum revocavi.
Meo Auxilio
Qvâ caput Tiarâ circumdedit
Magnus olim Septentrionis Præſul,
Qvem manu lituum geſſit, Qvo linteo veſtitus,
Ex ordine hic Viator conſpicit,
Qvâ veſtem Romanus fibulâ ſtrinxit,
Qvâ Pallium collegit,
Cujus ope demiſit ad talos Togam.
Verbo, qvicqvid Antiqvum ætas reddidit
Plurimarum Gentium,
Ad fatidica etiam Lapponiæ tympana,
Hic inter Cimelia repoſui.
Non loqvor Crateres & fixam in Poculis
Volubilem monetam,
Non cava & torta Cornua
Olim temeti puri & Maſſici liqvoris Condos,
Hodie Antiqvi Erroris Indices.
Orbem Univerſum peragrando,
Indis arma dedi, Barbaris arcûs & Pharetras,
Docui Principes Afros
Latere in Plumis Regalem Purpuram,
Ex terrâ fabricari Utenſilium pretioſa,
Qvalis Hoſtibus metuendus Acinaces,
Qvinam ictibus avertendis ſecurior umbo.
Me Duce, Trilune Vexillum
Aduſtus excogitavit Sarmata,
Qvod orbi licet Chriſtiano infeſtum,
Hic inter raptos enſes & ſigna Victoriæ
Placidè ſuſpenditur.

Ego

Ego inter medias Glacies
Grönlandiæ Colonos aptos Commerciis reddidi
Breviqve Metamorphoſi
Ex piſcibus Navigia fieri,
Et Undis innatare probavi.
Auro, Argento, Ebori, Succino, Æri, Ferro, Figuras
Conceſſi,
Ut fugerent ruentis ævi injurias
Daniæ Monarchæ æternùm ſervituræ.
Mea Matheſis eſt,
Qvæ minutiſſima temporis momenta
Properantis fati viam monſtrando
In Horologiis diſtingvit.
Siderum Uniones & Receſſus,
Qvod oculis pateant, meum eſt,
Per longos tubulos propinqvum cernere ſolem,
Per breves longam objectorum diſtantiam,
Me fabro, didicit Optica.
Qvid qvod in novâ machinâ
Aerem, ſine qvo Natura nihil,
Præſentem furari didicerim,
Ablatum pro lubitu reddere,
Me Auſpice, effoſſæ Telluris opes
Prælum ſentiunt,
In vili ære Apparent,
Magnus Dictator, Auguſtus Triumfator,
Et ſuperbæ Romulidum Nurûs,
Captæ Urbes, victa mari terraq; prælia,
Munita Campeſtria, locati in maris medio portûs,
Plura Principum Danorum & rara facinora,
Cedro Auroq; digna,
In nobili metallo æternitatem poſſident.

Ergo tibi ubiq; par, ſi te non major,
Natura Rerum,
Auguſtiſſimi Septentrionis Monarchæ

Chriſtiani Qvinti

Glorioſâ humilitate pedes exoſculor,
Ille larga manu & liberali clementiâ
Me cum ſororibus ſuſtinet.
Ejus ope contingit, qvod nulla Arcton incolat barbaries,
Floreant literæ, regnet induſtria
Mihiq; licitum novâ qvotidie acceſſione
Orbem locupletare.
Sacros mihi vultus conceſſit
Propitius Patriæ Pater
Ut ſimiles in cerâ fingerem
Sed magnis auſis ex parte decidi,
Cùm nec oris nec artis ſit exprimere

Chriſtianum

Ubiqve Magnum ubiqve menſuras ingeniorum
Superantem
Circumſtant Maximi Regis Simulacrum
Diva & Regnatrix Ameliæ
Pater Regis & Avus, Frater, Sorores,
Cum exſtinctâ Thereſiâ
Magnus Ludovicus.
Præſenti Auguſto gratulatur
Principum variorum ſelecta cohors
In pictis vultibus illuſtris Brennorum Propago
Uno qvaſi ore dicerent:
Vivat ſeros venientium temporum annos
Maximus Boreæ Monarcha

Orbis amor, ſubditorum delicium
Verum vidimus in Bello Martem
Pium veneramur Pacis tempore Apollinem
In Sago & Togâ ubiqve Regem
Sint nobis cum ſacro hoc Divorum filio amica omnia
A qvo & apud qvem diu deſideratus exſpectatur
Turbati Orbis Pacificator.
Deniqve
Cum hoc Caput imperii Hæc terræ Gloria
Futurorum Seculorum Miraculum
Tibi aliqvid Natura debet
Cauta eſto, provida, ſapiens.
Ut Diutiſſimè ſoſpiti opituleris
Nec tuâ culpâ committas,
Qvod Univerſo Flebile Daniæ funeſtum,
Satage hujus negotii alma Natura
Et tum demum amicè conveniamus.
Zephyros interim Eurosqve colligens flores
Fama pervolat
Sertum componit
Qvod pro navatâ in adytis tuis excutiendis
Operâ, Curâ, Induſtriâ
OLIGERO JACOBÆO
Amico, Affini, Collegæ
Publico nomine imponet

O. W. WORM
Eloqv. P. Regius.

PARS

REGIS CHRISTIERNI PRIMI.

N. 1



N. 2




REGIS IOHANNIS I.

N. 2



N. 1



N. 3



REGIS CHRISTIERNI II.

N. 1



N. 2



REGIS FRIDERICI I.

N. 1



N. 2



N. 3



REGIS CHRISTIANI III.

N. 1



N. 2



N. 3



N. 4



REGINÆ DOROTHEÆ

N. 1





SECTIO V.

De

Numis variis ac Monetis.

Numismata Danica ex auro.

REGIS CHRISTIERNI PRIMI.

Tab. I. No. 1.



CHRIST. *Rex trabeatus, corpore erecto, dextrâ ſceptrum, ſiniſtrâ verò pomum aureum cum cruce impoſitâ tenens.*

A parte altera:

Tres Leones Danici cum corona, qvæ ab injuria temporis ferè exeſa eſt.

Numus eſt truncatus, vetuſtatem illam indicans, qvam viri ſagaciores Potentiſſimi Regis CHRISTIANI I. tempora attigiſſe autumant. Copiam haud exiguam aureorum numiſmatum tempore *Chriſtierni I.* nec minorem argenteorum, eo diu regnante, exſtitiſſe haud dubitamus, qvamvis aureæ argenteæq; meſſes nullæ, niſi vectigales darentur, ex qvibus in ſeptentrione noſtro, auri argentiq; fodinis tunc deſtituto, numi recudebantur, qvippe in ſtrenui Militis feminæ, Dominæ *Eliſæ*, theſauro *Hvitfeldius* noſter 1400 aureos Rhenanos, 500. numos aureos, qvi Nobiles vocantur, & 1800. marcas denariorum monetæ noſtratis numeratas fuiſſe *Chron. Dan.* part. V. pag. 918. & 919. memorat, etiamſi alibi, veteres denarios ſedulò conqviſitos, meminerit, qvoties novi cuderentur, & ad monetam ex vectigali, edictis ſeveris propoſitis, redire debuiſſe, adeò ut non mirum videatur, tam paucos numos, præprimis præſtantiores veterum Danorum & inprimis hujus Regis, ſupereſſe, utpote qvos argentariorum qvoq; avaritia inhians uncis manibus traxit. Sed ut ſeges monetæ indigenæ, qvæ ſenſim ita præſertim in Svecia decrevit, illico ſuccreſceret, idem Rex Holmiæ anno 1453. juſſit, memorante *Hvitfeldio* Chron. Dan. pag. 858. à qvolibet mercatore, qvi merces 40. marcarum valore venundatas adportabat, pondo argenti in regnum afferri, & monetæ

cudendæ divendi, ſed res adeo non ſucceſſit, ita ut poſtea Conventus Nortköpingenſis in causâ habuerit mandata hæc Regia repetere. Rari ergò cenſentur numi Regis ejusdem, cùm circa hæc tempora monetæ indigenæ commerciis haud ſufficerent, & peregrinorum numi paſſim adhuc adhibiti fuerint, qvi creſcente Danorum numismatum copiâ, in totum poſtea tandem rejecti ſunt. Vulgo numus talis, qvi hîc eminet, regnante Chriſtiano II., dicebatur Klipping, non tantùm, qvia procuſus formâ ineleganter qvadrata, verùm etiam, qvòd Rex idem numos hos truncatos deteriores percutere curaverit, plus juſtò enim æs admixtum habebant, ut refert laudatus *Hvitfeldius*, pag. 1137. Ex qvibus tutò colligimus numos tales ante Regem Chriſtianum II. melioris notæ fuiſſe cuſos, vidimus namq; eos eadem forma qvadrata & neglecta, qvi vocantur *Klippingi*, in qvibus nil niſi C. majuſculum & in averſa inſignia Domus Oldenburgicæ, argenti ſatis probi, ut illos non niſi Regi *Chriſtiano I.* attribuere poſſimus, hancq; formam numorum non primùm introductam à Rege Chriſtiano II. indicant, ſed æroſam magis. Argentei numi itidem qvadrati ſeu truncati hujus Regis mentionem injicit ſagaciſſimus *Mulenius* noſtras, habentis in utroq; latere inſignia Domus Oldenburgicæ cum impoſita corona, (Vid. *Cleff. III. ſer. 1. No. 15.* ideæ brevis, qvam rei numariæ exhibuit illuſtris noſter *Bartholinus*,) aurei verò nullius, adeoq; Regios hos numos ex auro rariſſimos & ferè nusqvam, niſi hic, obvios cenſemus. Numus eſt ejusdem magnitudinis, qvâ æri inciſus hic repræſentatur, pondere propemodum drachmæ.

Tab. I. No. 2. C *coronatum, prima Regii nominis litera.*

Numus rotundus, & bracteatus, qvi alterum ſaltem latus ita ſignatum exhibet, affabrè eô modô cuſus eſt, qvo aurifabri in figuras varias aurum argentumve extendunt. Pondere ſuo fermè æqvat drachmam cum dimidia.

REGIS
JOHANNIS PRIMI.

Tab. I. No. 3. JOHS. DEI. GRA. REX DANOR. JUSSIT ME FIERI AN. 1496.

Effigies Regis trabeati & regiis ornamentis decorati, inſidentis ſolio Regio.

Ab altero latere.

DEXTERA DNI. EXALTA. ME. DEXTERA DNI. FECIT VIRTU.

Ejusdem Regis glorioſiſſimi eſt ſymbolum pium, è Pſalmo Regis 117. v. 16. erutum. Integra Regnorum inſignia.

Cimelium anno eodem cuſum, qvo Rex recuperationem Sueciæ, poſtqvam defecerat, meditabatur, qvâ anno ſeqvente feliciter recuperata, die S. Catharinæ à Suecis coronatus eſt. In qva feſtivitate 50. viros fortiſſimos, qvorum inclyta virtus hoc bello emicuit, eqvites auratos à Rege creatos, *Arnoldus Hvitfeld* Chron. Dan. fol. 1919. memorat, ex qvorum numero regni hujus Ordine Seraphico nonnullos ornatos fuiſſe non ambigitur. Teſtamentum qvippe manu *Georgii Gyldenſtiern* Otthiniæ veſpera Paſchali Anno 1551. ſcribtum, jam ex archivis Epiſcopi Aalburgenſis Dr. *Jani Jacobi Birckerodii*, diſertis verbis ita perhibet. Och ſkal ſamme min Brother (Gabriel Gyldenſtiern) therforuthen tage

then

then Guldkæde meth the Engle-Hoveder uthi / som vor Saligе Fader fick til Skienck af Konning Hans / ther hans Naade slog hannem med flere Rigens Mænd til Ridder uthi hans Konnigliche Kroning i Stokholm. i. e. *Idemq; meus frater* (Gabriel Gyldenſtiern) *torqvem illam auream, cui capita Angelorum innexa, teſtamento ratam habebit, qvam parens noſter b. m. à Rege Johanne dono accepit, cum crearet illum Eqvitem auratum ſimul cum aliis proceribus regni in coronatione ſua Regia Stockholmiæ. Gabrielis & Georgii Gyldenſtiernorum*, qvorum hic mentio fit, pater fuit *Henricus*, Epiſcopi Otthonienſis, *Canuti Gyldenſtierni* parens qvoq; ſpectabilis, Dominus de Refſtrup & Iversnæs, cujus pater *Canutus Gyldenſtiern*, *Gabrielis* cæterorumq; avus, tantâ exſtitit liberalis vultûs ac corporis excelſi elegantiâ, ut à Reginâ *Dorotheâ* Regis Daniæ *Chriſtophori Bavari* viduâ, in matrimonium expeteretur, ſed ſenatu Regni diſſvadente, duxit ſibi dignitate parem qvemadmodum *Cornel. Hamsfort* in ſerie M. S. Epiſc. Otthonienſium teſtatur. Ordo hic à prædictis capitibus angelorum Seraphicus eſt denominatus, qvi circa annum 1334. aut 1343. à Rege Sveciæ Magno Smeck, relatu Svecorum, dicitur inſtitutus, torqvem habebat ex Seraphinis octo & crucibus patriarchalibus ſeu Archi-Epiſcoporum totidem compoſitum, cui appendebat inferiùs numiſma cum nomine IHS, qvemadmodum torqvem eandem Illuſtriſſimus Comes *de Dahlberg* in picturis ſuis Sveciæ antiqvæ & modernæ obſervavit & eleganter æri inſculpi curavit. Notatu certè digna occurrunt in hujus numi poſticâ parte Regnorum, Ducatuum & Comitatuum integra inſignia, cùm ante eum nemo ea cumulare & conjungere conatus ſit. In ſigillis qvidem jam antea conjunxerant Daniæ Reges Dominii potentiſſimi inſignia, à *Valdemari Qvarti*, ni fallor, temporibus, at numis ante *Johannem* Regem nemo eadem inſeruit. Tribus enim in numo ſcutis inſignia ſua hic complexus eſt, exteriori ſcilicet & majori, inter crucis Dannebrogicæ extrema, ſcutum tranſeuntis, leones tres regni Danici, tres coronas trium regnorum Borealium unionem indicantes, leonem Norvagicum cum ſecuri & Draconem Vandaliæ ſeu Sclavorum regni vetus inſigne: Scutum verò interius duos leones pro Ducatu Slesvicenſi, ſive Cimbria meridionali, urticæ folium cum tribus clavis pro Holſatiæ Ducatûs utrâq; parte, & cygnum, collò coronatò, pro Stormariâ habet. Intimum deniq; & tertium ſcutum duas oſtendit trabes transverſas, inſignia Comitatûs Oldenburgici, ex qvo Majores ejus prodierant. Numus eſt magnitudinis inſignis, pondere ſesqviunciali & dimidiæ drachmæ. Et ita tandem ſub Rege hoc potentiſſimo numi majoris accuratioris q; typi, ærâ Chriſtiana inſigniti, primùm, ni fallor, exſtiterunt, qvemadmodum & res monetaria in tribus illis regnis borealibus eximia incrementa cepit: Ne verò argentum monetæ cudendæ in Sveciâ etiam deeſſet, in transactione Halmſtædenſi anno 1483. in Feſto Purificationis glorioſæ Virginis Mariæ, prout *Hvitfeldius* p. 969. refert, cautum qvoq; fuit, ne vectigalia ſolverentur præterqvam argento puro, non autem mercibus, qvò ſcilicet ad monetam argentum illud transferretur & inde numi cuderentur. Numiſma eſt ſatis egregium pondere ſeqviunciam auri ſuperans.

Duo ſimili, ſed diverſo & minori, typo, qvi hinc diverſi qvoq; & minoris ſunt ponderis.

Tab. I. IOHS. DEI. GR. REX. DACIE. *In area numi anteriore Rex repræsenta-*
No. 4. tur ſtans, capite coronato & nimbo circumdato, pallio Regali amictus ac ſub illo cataphractus & ferratus, qvi dextrâ ſceptrum cum lilio præfixo, ſiniſtrâ orbem cum cruce præfert. Inter pedes ſcutum cum trabibus binis Domûs Oldenburgicæ, ex qva Rex erat ortus, poſitum.

Ex parte aversâ in circuitu:

MONET. AUREA REGNI DACIE. *Crux numum hîc occupat totum, qvæ & ſcutum coronatum tranſit, ſuper qvam tres leones Danici à dextra ad ſiniſtram conſpiciuntur.*

Numus hic, qvi cum ſeqvente inter rariores numeratur, ſecundùm bonitatem & pondus aurei Rhenani in regno Daniæ videtur eſſe cuſus, cùm inſignibus ejusdem regni à poſtica ejus parte ſit exornatus, ut Rex haberet monetam auream, Rhenanis aureis æqvalem, & ubiq; tam in orbe Imperii Romani, qvam in regnis & provinciis ſuis valentem, ne in commerciis cum extraneis res monetaria confunderetur; Numus idem ut ex *Hvitfeldio* pag. 986. patet, ſeſqvimarcis Lubecenſibus tunc æqvivalebat, ſed poſtea, regnante Imperatore *Ferdinando*, notatus eſt Receſſu, ut dicitur, Imperii Romani p. 668. §. 82. & 669. §. 97. Neue Münz-Ordnung / ſive Reichs-Abſchied dicto, qvi inter ceteros Receſſus anno 1660. Moguntiæ eſt impreſſus. Vix ante annum 1497. numus hic cenſetur eſſe cuſus, anno enim hoc Urbes Vandalicæ ſuos aureos Rhenanos procudi primùm fecerunt, & circa eadem tempora noſtratem prodiiſſe arbitramur, ut in commerciis, qvæ majoribus cum illis noſtris arctiora interceſſerunt, numi etiam aurei ejusdem valoris eſſent, qvi ſufficerent. His numis, qvi in Boreæ oris rerum gerendarum nervi tunc erant, etiam eodem anno legimus in annalibus noſtris ſtipendia militibus à Rege numerata eſſe; & notanter *Hvitfeldius* addit pag. 1019. expeditionem recuperatæ tunc Sveciæ Regi eidem centum & qvinqvaginta millibus aureorum Rhenanorum conſtitiſſe. Notatu præterea dignum occurrit in numo caput Regis coronatum, nimbo illo ſanctitatis ambiente & emicante, qvi verum vitæ ſinceræ & ſanctæ τετιμήσεον inde ab Imperatore *Conſtantino Magno* Chriſtianis exſtitit, qvi antiqvitus in more poſitum habuêre aliqvo velo luminoſo hominum ſanctorum capita circumdare; primus etiam hâc formâ pingitur *Conſtantinus Magnus*, qvi in numo, hîc in numiſmatum theſauro Regio aſſervato, eminet circulo hoc ſanctitatis præclarus. Qvemadmodum & Regem *Johannem* qvoq; in numis ſuis ex argento uncialibus hoc circulo ſanctimoniæ caput ipſius ambiente ornatum hîc conſpicimus. Et id qvidem velum originem traxiſſe arbitramur ex capitibus paganorum qvorundam, ſolis radiis cinctorum ad divinitatem qvandam exprimendam, ſed propter breve plerumq; ſpatium numorum aliorumq; locorum, qvod iſtos radios non capit, circulo ſolo ut plurimùm hanc rem expreſſerant, divinitatem aut ſanctitatem ob oculos ponere volentes, prout etiam in mumiæ Ægyptiacæ, qvæ in Muſéo hoc exſtat, involucro numina videmus nimbo eodem coruſcare.

No. 5. IHES. DEI GR. REX DACIE. *Propemodum eundem prima numi facies habet typum cum antecedente, præterqvam qvòd in ſcuto ad pedes Regios ſtella, ſeu potius urticæ folium, videtur effulgere.*

Averſa

Averſa numi facies in circuitu itidem habet:

MONET. AUREA REGNI. DACIE. *Plane ſimilis eſt typi, ac numi præcedentis poſtica pars.*

Dum clavi illi crucis Dominicæ, qvi in urticæ folio diſpoſiti hîc cernuntur, crenis urticæ æqvales ſunt inciſi nec capitati, potius ſtella qvam urtica in ſcuto inter pedes Regis apparere qvibusdam videtur. Vera, Rege hoc regnante, fuiſſe Holſatiæ inſignia urticæ folium clavatum cuivis eſt notum, cujus originem inde ab Imperatore *Carolo Magno*, in numis etiam Hamburgenſibus, ducere *J. D. Major* & Dn. *à Mellen* conantur, at longè ſeriùs in ſcuto Holſatiæ eminuit urticæ illud folium, nam ſi trinos hos clavos in eo diſpoſitos conſideremus, Comite Holſatiæ *Adolpho III.* eos non antiqviores cenſemus, is enim poſt reditum ſuum ex peregrinatione Hieroſolymitana primùm illis clavis in inſignibus uti cœpit circa annum 1200. mortuusq; eſt anno 1232., qvo tempore, an Hamburgenſibus jus cudendi monetæ conceſſum fuerit, valdè dubitari poteſt, ſiqvidem longè ſeriùs ipſi monetam tractaſſe leguntur. Itaq; urticæ inſignia vix propria eſſe cæperunt ante *Adolphum III.* ejusq; reditum ex terra ſancta, qvando urticæ folium tribus clavis diſtinctum inter inſignia Comitatus Holſatiæ primùm comparere cæpit. Nam qvod ab anno 1024, qvo *Aldolphus I.* arcem Schauenburgicam in monte Nettelnberg exædificari curavit, eadem inſignia apparuiſſe qvidam autumant, nullis cordatæ antiqvitatis teſtimoniis qvisqvam hactenus probatum dedit. Nec enim ſeqvitur, qvòd *Adolphus I.* in monte eodem arcem ſtruxerit, ideo inſignia hæc ita recepta fuiſſe: Nam circa eadem tempora vix qvisqvam probabit in clypeos transſcribta fuiſſe inſignia propria & perpetua, non enim prodierunt in lucem certa & continua Regum vel Principum inſignia, multò minus Comitum in Germania, ſed poſtea ex expeditionibus in Terram Sanctam invaluerunt, qvemadmodum legimus *Adolphum III.* ea occaſione in memoriam arcis Schaumburgicæ in monte urticarum exſtructæ, urticæ folium, & in recordationem rei fortiter geſtæ in Terra Sancta tres clavos manuum pedumq; Chriſti, inter inſignia ſuarum ditionum Schaumburgicarum & Holſatarum conjunxiſſe, cum corona ſpinea. Nec prius, qvod ſciam, & prout ex annalibus noſtris percipimus, Holſatorum urticæ folium in Dania apparuit, qvam anno 1329. ſub Rege *Chriſtophoro II.*, eo qvippe regnante *Hvitfeldius* pulchrè annotavit Havnienſes, qvi copias Comitis *Johannis* intromiſerant, vexillum *Johannis* cum urticæ folio in muris & vallo explicaſſe, pag. 444. Ejusdem valoris & ponderis eſt numus cum priori.

REGIS
CHRISTIERNI SECUNDI.

Tab. I. No. 6. CHRISTIERNUS DEI GRACIA REX DANIE, SUECIE AC NORVEG. *Effigies Regis integra, regiè togati & ſolio inſidentis.*

In poſtico.

XPS. JHS. ELEGIT ME REGEM POPULO SUO in Ano 1518. *Regis ejusdem eſt effatum, qvale illud Salomonis Sap. 9. v. 7. Dania inſignia ejus temporis completa.*

Numus eſt cuſus eodem anno, qvo bellum Rex movere cœpit contra Suecos perduelles, qvos anno 1520. in poteſtatem ſuam redegit. Videtur numus hic pondere fermè ſemiunciali, ex eadem matrice, qvâ argenteus ille, rarò obvius, anno eodem percuſſus eſt; qvi, licet uncialis ſit, neutiqvam tamen thalerus, ut dicitur, cenſendus eſt, cùm thaleri nomen nondum orbi, anno nempe 1518. qvo cuſus eſt, innotuerit. Rex *Chriſtiernus* itaq; *II.* hos numos aureos argenteosq; ad exemplum patris procudi juſſit, ſub nomine, ut puto, Guld- & Sølv-Stykker. Ita qvippe numi argentei, Imperatoris *Ferdinandi* Müntz-Ordnung ſive Reichs-Abſchied de anno 1559. inter cæteros Imperii Romani Receſſus anno 1660 Moguntiæ impreſſo, §. 56. appellabantur: Dännemärckiſche gantz Silbern Stück / den Thalern an ihrer Gröſſe gleich. Numus hic aureus in eo tantùm, qvoad inſignia, à monetis Regis *Johannis* differt, qvòd in ſcuto interiori partis averſæ bini illi Leones Ducatus Slesvici ſeu Jutiæ meridionalis bis exhibeantur. Numus hic ex auro propemodum eſt ſemuncialis.

Tab. I. CHRISTIERNUS D. G. REX DAC. *Rex Chriſtiernus II. ſolio Regio inſi-*
No. 7. *dens, cum clypeo inter pedes, in qvo trabes gemina Oldenburgica.*

In poſteriore latere:

CHRISTOPHORUS CO. OL DĒ B. *Inſignia Oldenb. plena*—.

Meminit numorum talium *Arnoldus Hvitfeld* Chron. Dan. pag. 1422. qvi ſecundùm pondus & bonitatem aurei Rhenani, in memoriam homagii, Comiti eidem *Chriſtophoro*, nomine *Chriſtierni II.* captivi, anno 1534. à Danis Malmogiæ præſtiti, cuſi ſunt; noſter verò pondere ſuo ſicilicum auri exæqvat, ideoq; cæteris, qvi rari qvidem occurrunt, eſt rariſſimus. Mortuo FRIDERICO I. Rege Daniæ, animo contra filium ipſius CHRISTIANUM belligerandi, Comitem hunc Oldenburgicum, ſcientiâ rei militaris excellentem, in Holſatiam Rex captivus, ope Imperatoris *Caroli V.* & *Mariæ* Belgarum Gubernatricis, clàm evocavit. Huic occaſioni Lubecenſes oppidò inſervierunt, & ut Daniam ſibi eo modo devinctam vel ſubjectam potius in incrementa commerciorum contra Batavos haberent, Comitis copiis ſuas auxiliatrices adjunxêre, liberationemq; Regis *Chriſtierni II.* infelici captivitate detenti, operâ Comitis conſangvinei ſubdolè obtenderunt: Regem qvippe captivum ſibi tradi exoptarunt, ſi Comes rerum in Daniâ potiretur, qvas tandem, re minus bene geſta, ex conſiliò Lubecenſium conjugio *Chriſtinæ*, filiæ Regis captivi viduæq; *Franciſci Sforziæ* Ducis Mediolani in ſe derivari, Havniæ à *Chriſtiano III.* obſeſſus, magnopere appetiit, miſſo de hac re certo homine ad aulam Burgundicam. Nubſit verò vidua hæc poſtea anno 1540. Franciſco Duci Lotharingiæ & Barri, qvæ ope Conjugis ſui & poſt ejus mortem multa unacum Sorore *Dorotheæ*, *Friderico* II. Com. Palat. Electori elocatâ, pro Patris liberatione & regno vindicando in vanum molita eſt, anno 1590. decedens. Bella & diſſidia interim varia in Regno Daniæ ob captivitatem Regis ciere ſimularunt, qvæ, victoriâ anno 1536. partâ, & mitiori Regis captivi detentione, Imperatori *Carolo V.* Spiræ anno 1544. promiſſa, Rex CHRISTIANUS III tandem omnimodè compeſcuit.

RE-

REGIS
FRIDERICI PRIMI.

Tab. I. No. 8. FRIDERICUS ET SOPHIA D. G. REX ET REGINA DANIE. *Facies Regis & Reginæ ſibi invicem oppoſitæ.*

Ab averſa.

IN MANU DOMINI OMNIS POTESTAS TERRÆ. 1532. *Regium eſt ſymbolum, ex Eccleſiaſtico Jeſu, filii Sirach, c. 10. v. 4. erutum. In medio numi parvulus quidam inſignia Domûs Oldenburgicæ plena ſupportat, tres clypeos coronatos, cruce Dannebrogicâ, tribus Daniæ Leonibus & bipenniferô Norvagiæ leone inſignitos ſupra ſe habens. In clypeis qvatuor inferioribus bini leones Cimbriam meridionalem, draco Sclaviam, folium urticæ Holſatiam & cygnus Stormariam denotant.*

Anno nempe eodem numiſma hoc percuſſum, qvo Regnum FRIDERICI I. firmiùs ſtabilitum & in vincula conjectus eſt CHRISTIANUS II., pondere eſt fermè ſesqviunciali. Datur & hic ejusdem typi ex auro numiſma, at minoris pretii, qvod *Mulenio* in numiſmatis Dan. claſſ. 3. ſer. 20. No. 1. eſt dimidius ſtater Danicus. Ex argento ejusdem matricis unciales numi anno eodem cuſi qvoq; conſpiciuntur.

No. 9. FREDERICUS D. G. REX DACI. R. NOR. *Rex trabeatus, ſolio inſidens regio, dextrâ gladio, ſiniſtrâ pomum aureum tenens.*

MONETA NOVA RIPENSIS. *Integra Regnorum inſignia.* Numus eſt, qvi ſeſqvi ſemunciam auri vix pendet.

N. 10. FREDERICUS. D. G. REX. DAC. ELT9. NO. SLE. E. H. DV. *Imago Regis regiè mitrati & inſuper coronati, regioq; pallio induti.*

Ex poſtica:

MONETA NOVA AUREA RIPENSIS. *Inſignia regnorum plena.*

Ripis Phunduſiorum, qvemadmodum ex parte averſa patet, numi hi percuſſi ſunt. Urbs Jutiæ eſt ſatis celebris & inprimis officinâ olim monetariâ,

Cui nihil hoc claro ſit penè antiqvius uſu.

Ut *Eraſm. Mich. Lætus* Rerum Danicar. lib. 8. pag. 391. ait.

Notari ulteriùs numi merentur, tam qvòd ex auro ſint, qvàm qvòd civitati Ripenſi nomen ſuum addere licuerit, qvod nulli alii Daniæ civitati contigit, aureos ſuo nomine numos percutere, qvemadmodum in numi ultimi averſa exſtat parte. Nam argenteos minutulos ceteræ civitates ſolùm percuſſerunt, Ripæ ſolæ aureos ex moneta ſua & qvidem tanti ponderis producere conceſſum habuerunt Singulari itaq; gratia Regem FRIDERICUM I. civitatem hanc complexum fuiſſe, qvæ pacis belliq; tempore fida ipſi præſtitit ſervitia, ex numiſmatis his diverſisq; ejusdem Regis diplomatis gratioſè urbi huic oblatis, manifeſtum eſt. In hac Phunduſiorum urbe, etiam ante annum 1269. erectas fuiſſe ædes monetarias, jura Civitatis ejusdem ab *Erico Glippingo* eodem anno Nyburgi conceſſa haud obſcurè, editore *Reſenio* noſtro, ita §. 26. ſubindicant: *qvicunq; argentum non dativum produxerit vendendo, & Monetarius illud falſum eſſe pronunciaverit, & ille aſſerit, ſe illud in venalitatibus ſuis accepiſſe, ille potius qvàm Monetarius ad defendendum ſe prævalebit.* Id qvod privilegiis ferè iisdem Regis *Chriſtophori Bavari*, in ipſa coronationis ſuæ feſtivitate datis, corrobora-

boratur. Tacemus hic Regis *Chriſtophori I.* immunitates, anno 1252. Riparum civibus erogatas, qvas jura & privilegia eadem in exitu confirmatas qvoq; laudant, ſiqvidem nos eas deperditas dolemus. Ex qvibus tamen ſatis conſtabit, etiam ante *Erici Glippingi* tempora Ripis ſtetiſſe monetæ officinam, cùm ejus monetarium jam dum conſtitutum in privilegiis, urbi huic indultis, memoret, & his antiqviores qvoq; exſtiterint civitatis prærogativæ, qvarum tenore indultuq; Regum inſeqventium numos refuſè admodum ibi tam ex auro qvàm argento, majoris, mediocris minorisq; moduli cuſos eſſe, ejusdem officinæ monetæ, etiam in muſéo hoc aſſervatæ & usq; ad annum 1536. nitidè percuſſæ conteſtantur. Adeo ut qvatuor ſeculis, & qvod excurrit, cives Ripenſes, integra ſerie retinuerint jus cudendi monetas. Qvemadmodum & Majores mihi tradiderunt, hortum in hac urbe eſſe, ubi rudera monetariæ officinæ qvondam viderunt, qvæ proxima balneo publico & vico inde denominato **Badſtue-Gade** / erecta fuit. Multa præterea huic urbi fuerunt commoda, qvæ exteris etiam ibi commorandi & nundinandi occaſionem olim dedêre, ſiqvidem & jure, ut dicunt, ſtapulæ eandem antiqvitus gaviſam eſſe, Jura laudata §. 29. perhibent: *Qvicunq; deprehenſus fuerit juxta* **Stadh & Stapel**, *qvod falſos denarios fabricaverit, capitali ſententia ſubjacebit*; Cui & argumento ſint, vicorum nomina à Flandris, Anglis, Gallis, aliisq; nationibus indita; prout *Joh. Iſac. Pontanus* Chorograph. Dan. Deſcribt. pag. 660. arguit. Idem decantare videtur laudatus Poëta *Lætus* noſtras Rer. Dan. Lib. VIII. pag. 392.

—— *Aſt hominum formæ eſt ita juncta venuſtas,*
Ut Brabantinis aliqvid ceu è gentibus iſtuc
Commigraſſe putem.

Sed qvotqvot hic vicorum ſuperbæ domus & commerciorum venuſta ſe exſerùerunt monumenta, tot & rudera ex incendio & excidio, qvod urbis hæc non ſemel, annis ſcilicet 1242. 1258. & 1272. paſſa eſt, cineribus terrisq; ibi ſepulta ſunt. Reſtat tamen in hunc usq; diem vicus Grönningorũ, qvi mihi eſt natalis, contractè **Grønner-Gade** indigenis dictus, cujus in tractu & ædibus, qvæ olim mercatorum jam urbis ſpectatæ magnitudinis curia, Grönningi ſuas expoſuiſſe merces ſtapulamq; erexiſſe, mihi adeò à teneris eſt traditum. Et à partibus meis ultrò qvoq; ſtare videtur Nobiliſſimus & Conſultiſſimus Vir *Matthias Wormius*, Juſtitiæ Conſiliarius Regius, qvi itidem Præſes ejusdem urbis & antiqvitatis patriæ amantiſſimus ex Riparum archivis pro benigna ingenii vena in honorem antiqvi Juris civitatis ejusdem è Bibliotheca *D. Petri Reſenii* Havniæ 1683. editi, ſic Danicè canit:

Sligt vidner Stabelen af Grønninger opſat/
Enddog den ſiden er omvendt og ſlet forlat.

Qvod in proſam ita Latinè vertimus: *Idem atteſtatur ſtapula à Grönningis hìc erecta, qvamvis poſtea dilapſa ſit & in totum deſerta.* Numiſma eſt ſatis elegans & propemodum ſesqviunciale.

REGIS
CHRISTIANI TERTII.

Tab. I. No. II. CHRISTIANUS 3. D. G. DANO. REX. *Facies Regis in medio numi lateris prioris.*

In

In posteriore.

UNICA SPES MEA CHRISTUS. 1541. Circa hæc tempora Reges Septentrionales Potentissimi, CHRISTIANUS III, & *Gustavus* apud Bremsebroe amicè convenientes, fœdus Bremsebroense, qvod in Trionum oris etiamnum celebre est, inierunt. Numus est pondere qvinq; ducatorum.

Tab. I.

No. 12. CHRISTIANUS 3. D. G. DANIE & NORVEGIE REX. 1550.

A parte postica.

Facies Regis sola. Numus hic pondere est trium ducatorum.

No. 13. *Idem cum facie Regis sola ex antica numi parte.*

Ex postica.

Character nominis Divini. Infra, ut creditur, binæ literæ K. K. monetarii nomen designant. Pondere est qvatuor ducatorum.

No. 14. CHRISTIANUS 3. D. G. DANIE NOR. *Icon Regis coronati.*

In adversa parte:

WEGIE. VANDA. GOTOR. Q. REX. *Insignia Daniæ plena cum anni numeris 57.*

Numisma fermè unius drachmæ est, qvod ducati Ungarici nomine venit.

Numi hic aurei primùm ideò recensendi, qvòd Rex CHRISTIANUS TERTIUS, primus inter Reges Daniæ, numerari se voluerat, qvotus in ordine Regum ejusdem nominis extiterit: Nec enim aut in numis, aut in sigillis vel diplomatis antea injecta est unqvam mentio, qvotus Rex qvispiam in Dania nominis ejusdem esset. Notatur præterea, qvòd primus qvoq; Vandalorum Gothorumq; Regis titulum numis adjunxerit, qvo traditur ab *Augusto Datho Orat.* 65. libr. 4. avum ejus Glorioſissimum *Christiernum I.* cùm Romam ad sacra Apostoli Petri ac Pauli limina adoranda tenderet, in urbe Italiæ Senensi anno 1474. salutatum esse. Observandus etiamnum est in numis prioribus capitis Regii ornatus peculiaris. Pileum qvippe, qvi, more istorum temporum, ad aurem dextram reclinatur, plumis exornari, ac barbatus ipse incedere amavit. In aversa demum numi parte, qvi propemodum drachmæ pondere sub No. 14. hìc exstat, insignia regia alio ordine dispositа conspiciuntur, qvibus tres coronas à parente suo *Friderico I.* in numis omissas in memoriam unionis trium Regnorum Daniæ, Norvagiæ & Sveciæ restituit, iisdemq; Guthiæ seu Jutiæ leonem corda novem transilientem adjunxit. In scuto præterea intimo insigne Ducatûs Slesvicensis repræsentari jussit.

REGINÆ DOROTHEÆ.

No. 15. DOROTHEA. R. D. *Reginæ imago, vestem pullam induta.*

Ab altera parte:

ALES VAN GODT. 1560. *Pium viduæ Reginæ apophthegma.*

Numus duorum ducatorum est, anno illo cusus, cujus dies primus Regi CHRISTIANO III. ultimus fuit. Est Regina hæc, qvæ virtutibus eximiis ad miraculum usq; decorata fuit, cujus munificentiæ, præter hunc numum, curia Havniensis fibulam illam pretiosam vestiariam debet, qvemadmodum in describtione Insul. Samsoæ *Resenius* refert fol. 60. 61. & 62. utpote

in ſponſarum Havnienſium decus anno 1557. curiæ eidem clementiſſimè oblatam, qvemadmodum ejus hic Part. II. Sect. III. No. 33. mentio injecta eſt. Numum hunc rariſſimum inter numiſmata ſua, ſcribto peculiari edita, anxiè deſideravit *Joh. Mulenius*, in conqvirendis patriis numis ſagaciſſimus.

REGIS
FRIDERICI SECUNDI.

Tab. II.

No. 1. FRIDERICUS 2. D. G. DANIE. *Corona & tres Leones in clypeo ad crucem.*

In poſtico:

NORWEGIE SLAVO. GOTOR. Q. REX. III. MARCK DANSKE. LXIII.

Poſtica numi facies valorem antiqvum monetæ Danicæ indicat: Aurei enim hujus numi typus idem eſt, ac argentei cujusdam thaleri imperialis, qvemadmodum in Daniâ Anno 1563. cuſus eſt, ſecundùm inſcribtionem tribus valens marcis Danicis, deinde verò qvatuor. Sed ne res monetaria in commerciis cum extraneis confunderetur, voluit Rex juſtiſſimus Anno 1572. die 16. Junii, ut moneta ſua cum illâ Germaniæ exactè æqvalis eſſet, qvo tempore thalerus hic itidem duarum marcarum vel 32. aſſium, marcæq; duæ Danicæ unius Lubecenſium eſſe cœpit, & duo aſſes noſtrates unum Lubecenſem valuerunt, at neqvis extraneorum ex hac monetæ mutatione lucrum captaret, interdixit Rex prudentiſſimus eodem anno numos ſuos, qvi contra legem numariam ex metalli pondere uberiori in Dania erant percuſſi, regno exportari; *Chron.* FRIDER. II. edit. *Reſen.* pag. 263. 264. Adeò ut idem thalerus ad antiqviorem in Daniâ valorem recurreret, qvem duabus marcis ante CHRSTIANI III. tempora fuiſſe *Chriſt. Oſterſen* in ſuo *Gloſſario Juridico-Dan.* pag. 553. exponit, ſex marcas noſtrates jam inde ab anno 1622. pretiò æqvantem. Eſt igitur numus hic aureus oppidò ſingularis æqvatq; pondus Portugallicorum qvi dicuntur, 20. uncialium nempe thalerorum in argento, aut viginti & unius, ita ut marca Danica auri fermè tunc fuerit ſeptem uncialium thalerorum pretio in argento. Ideoq; trium *marcarum* inſcribtionem, pretium hoc indicantem, numo ſuo etiam aureo inſculpi curavit Rex, æqvè ac argenteo.

No. 2. F. *Prima Regii nominis litera cum coronâ* 1563.

Ab alterâ parte.

Typus Fortunæ inſiſtentis globo.

Numus eſt truncatus, anno eôdem cuſus, qvô contra Svecos bellum parare Rex coactus eſt, fortunam ſibi proſperam faventemq; exoptans, cujus ſimulacro partem numi poſticam inſigniri voluit. Numiſma propemodum eſt ſemunciale.

No. 3. FRIDERICUS II. DANIÆ, NORVEGIÆ, VANDALOR. GOTHORUMQUE REX. 1564. *Icon Regis.*

In poſticô:


DUX SLESVICI, HOLSATIÆ, STORMARIÆ ET DITMARSIÆ CO. OLD. ET. DELM. †

For-

N1



N2



N4



N3



N3



N5



N6



N7



N8



N9



N10



N11



Fortunæ typus globo insistentis cum inscribtione: FEDELTA E COSA RARA.

Numisma hoc raritas inprimis & artificis nobilitat industria, in cujus posticâ parte apophthegma regium appositum conspicitur: Fedelta e cosa rara, qvod in posterioribus numis Rex germanicè reddi voluit: Treu Ist Wildt Bradt. Originem apophthegmatis hujus ex proverbio Lutherano sagaciores deducunt, qvod inter trita Francofurti ad Mœnum Ao. 1570. impressa p. 163. exstat: Fürsten und Herrn seynd Wildpret im Himmel. Symbolum hoc numo qvoqve memorato Rex Prudentissimus imprimi jussisse videtur, qvòd belli tempestate hostem suum paci & concordiæ, à potentissimis Christiani orbis Principibus Rostochii impetratæ, primò ad dictum, postea verò, congregatis jam Principum Legatis, dissentientem deprehenderit, militesq; ac eorum Tribunos summos in copiis suis parùm fidos habuerit. Qvemadmodum *Chronica Frid. II. à P. Resenio* edita pag. 94. & 114. memorant. Rectè igitur *Jacobus Typotius* de symbolo hoc pag. 368. Fides rara est, (*inqvit Rex*) *& fortunam vel occasionem in pilâ volubili statuens, sentit hominum plerosqve leves, ventosos & inconstantes, qvi, uti illa velum cum vento, cum fortunâ animos mutant.* Canem præterea, cui nomen *Wildbrat*, fidum sibi semper comitem Rex idem, memoriæ gloriosæ, habuit, cujus imaginem peripetasmata in arce Regiâ Fridericiburgensi propè Regem memoratum cum millo, in qvo literæ T. I. W. B. sibi intextam monstrant. Numus est magnitudinis insignis, pondus stateris Portugallici exsuperans.

Tab. II.

No. 4. I. DOGKATE. 1564.

Insignia Danica. Numus est qvadratus.

Numus hic primus est, qvi nomine ducati in Dania percussus reperitur. Nomine verò *Dogkate*, negligentiâ inciforis typi, pro *Ducate* insignitus est, semuncialis tamen est ponderis. Pondere tantùm Ducati Hungarici aureos suos numos *Christianus* III. qvoq; procudi curavit, qvorum unus inter numismata Regis ejusdem sub numero 14. *Tab. I.* hujus musei exstat.

No. 5. I. GOLTKRONE. 1564.

Tres Leones cum corona. Corona aurea qvadrata.

Prima itidem est corona aurea, par floreno aureo Rhenensi, in regno Daniæ percussa, ejusdem ponderis cum ducato Hungarico, sed auri vilioris ideoq; pretii minoris.

No. 6. FRIDERICUS 2. DEI GRACIA DANIE NORWE. SCLA. GO. RE. *Effigies Regis* 1565.

Ab altero latere:

ANNO 65. AM ABONDT. S. URSUL. SLUG. K. FRIDERICH. DER 2. MIT. 4000. MAN AUF ASTOR. HEIDE. K. ERICH. DEN. 14. WAR. 25000. MAN. STARCK. UNT. BLIBEN. 5000. SWEDEN AUF. DIE WALSTADT. *Nomen regium unâ literâ coronatâ expressum.*

Veritas inſcribtionis hujus in parte poſticâ ex monumentis Hiſtoricorum facilè eruitur. In conflictu hoc viri fortes artibusq; bellicis clari, fortunæ undiqvaqve propitiæ interventu pro Daniâ pugnarunt, qvemadmodum monumenta hiſtoriarum uberiùs teſtantur. Fuſas à Danis in cœlum preces, qvaſi animi abjecti pavidiq; indicia, Sveci interpretati ſunt, illorumq; perſpectâ paucitate ſecuri admodum & oſcitantes opportunitatem victoriæ majorem Danis aperuerunt. Tempeſtati tunc ingruenti mixtus fuit imber largifluus, qvo occœcati ferè Sveci, à Duce Danorum *Daniele Rantzovio*, cùm incautiùs progrederentur, obtriti ſunt & profligati. Cecidêre Danorum nonnulli, cùm è viris genere belloq; claris ultra 50. deſiderati ſint, pauci verò, ſi jacturam hoſtium ac multitudinem reſpexeris. Tam exiguò impendiò ingens hæc victoria ſtetit. Numus eſt plusqvam uncialis.

Tab. II.

No. 7. FRIDERICUS 2. D. G. DAN. NOR. SLA. GOT. REX. *Effigies Regis. Angeli duo inſcribtionem hanc in ſchedulâ portantes.* Trew Iſt Wild Brat. 1567.

No. 8. FRIDERICUS 2. D. G. DAN. NOR. SLA. GOT. REX. *Regis effigies inter trophæa.*

A parte alterâ:

1567. D. O. M. Fœlicitante, Daniele Rantzovio, ſupremo Duce, & Franciſ. Brockenhuſio PFecto Primario Peditũ. Exercitus Danicus 10. Novemb. 569. Qvadrigis. 12. Æneis bombardis. 6000. Hoib9 inuſitatâ fortitudine, profligatis hoſtibus, Viam Weſterholweg Anguſtia & hoſtium Propugnaculis Tranſitu difficill. Ferro aperuit. Hæſit in Oſtrogotth. Menſ. 2. Dies 14. Tandem hoſtium caſtris expugnatis copiisq; ſœpius profligatis, vaſtatis civitatib. & Arcib9 24. Janu. Rediit per aliam viam Oſter-Holweg pari difficultate impeditâ in Smalandiam. Inde hoſtium ſupremo Duce cũ 6. Eqvitũ Præfectis; multis Nobilib9, Tormentisq; Æneis 9. captis, ſalvus rediit in Daniã 14. Feb. 1568.

Nitidus admodùm numus eſt Regis glorioſiſſimi, cujus icon inter trophæa in parte anticâ numi emicat, addito pileo ramis pineis exornato, qvi in expugnatione felici caſtrorum hoſtilium ad Nöreby loco teſſeræ militaris erant. Poſticum numi latus mirandam Danorum expeditionem exprimit, qvemadmodum & *Chronica Reg. Frid.* II. pag. 193. &c. enarrant. Numiſma hoc, qvamvis ſatis inſigne, pondere tantùm ſeſqviunciæ eſt.

No. 9. FRIDERICUS 2. D. G. DAN. NOR. SCLA. GOTO. REX. *Regis icon.*

In poſtico:

MEIN HOFNUNG ZU GODT ALLEIN ANNO 1576.

Duo

Duo angeli, qvi primam Regii nominis literam ab ipſis ſub coronâ portatam columnæ imponunt, cui in tabellâ affixum: TREV IST WILBR.

Utrumq; Regis Symbolum numus hic in parte poſticâ exhibet, ſemunciam & ſeſqvidrachmam pondere vix ſuperat. Veriſimile eſt, hoc aliaq; ſymbolica numiſmata anſata, licet latere utroq; ſignata monetis vulgò annumerentur, bullarum uſum è torqvibus aureis dependentium, qvas diſtribuit munificentia Regia, olim præſtitiſſe, teſſerasqve fidelium fuiſſe, inprimis cùm numus hic aliiq; encauſto elegantiſſimo ornati conſpiciantur. Romanos præterea numis veteribus aureis pro gemmis qvoq; uſos fuiſſe, *Pomponius*, Imperatoris Hadriani *σύγχρον@*, cap. 28. de uſu fruct. luculentius teſtatur.

Tab. II.

No. 10. FRIDERICUS 2. D. G, REX DANIE NOR. Z. *Regis effigies, de torqve aureo in dextrâ pectoris parte elephantem pendulum præferens.*

In poſteriore latere:

MEIN HOFNUNG ZU GOTT ALLEIN. 1580. *Elephas turritus, cujus latus regio nomine inſignitum, ſub pedibus* T. I. W. B. *Numus eſt oblongus.*

Numum hunc de torqve aurea pendulum fuiſſe, anſula ejus ſatis indicat, qvemadmodum & idem numus Portugallicorum pondus exactè æqvat.

No. 11. FRIDERICUS 2. D. G. DANIE. Z. REX † *Regis Icon.*

Ab alterâ parte:

MEIN HOFFNUNG ZU GODT ALLEIN. 1580. *Elephas purus, infrà pedes eſt ſchedula, in qvâ literæ characteriſticæ regii ſymboli:* T. I. W. B.

Nobiliſſimam Societatem Elephantinam numi hi ceteriq; anſati & Elephante inſigniti certò indicant, qvam in honorem olim Mariæ Virginis ſancitam *André Favyn Theatre d'honneur* Tom. 2. pag. 1363. rectè aſſerit, qvemadmodum & in torqve elephantinâ â *Johanne Boiſſeau* in *Promptuario* ejus deſcribtâ colligere licet, qvippe imago S. Virginis ex hujus ſodalitii *τεκμηρίῳ* pendens ibi reperitur, id qvod ſeqventes indulgentiarum bullæ haud obſcurè evincunt. Regem verò CHRISTIERNUM I. ſodalitium hoc in nuptiis filii Johannis cum filiâ Erneſti Marchionis Miſniæ Anno 1478. primùm ſanciviſſe *Favyna* refragamur, id tamen eum tunc temporis celebraſſe, lubentes concedimus. Conſtat enim ex indulgentiarum bullâ Papæ *Pii* II., *Viterbii* 1462. *ſexto Idûs Junii* exaratâ, CHRISTIERNUM I. *fraternitatem qvandam ſub vocabulo S. Trinitatis, paſſionis Domini noſtri JESU Chriſti & Beatæ Mariæ de novo inſtituiſſe*; Qvemadmodum & ex bulla *Sixti IV. Romæ* 1474. 12. *calend. Maji*, memoratam torqvem *per ipſum Regem ſub vocabulo ſocietatis inſtitutam fuiſſe, ipſumq; Regem Principibus, Proceribus, Baronibus & Nobilibus, ex eâdem confraternitate exiſtentibus, unam decentem torqvem pro inſigni dictæ confraternitatis elargitum eſſe.* Qvin etiam ex bullis Regis CHRISTIERNI I. apographisq; aliis, inter antiqva Comitis *Otthonis Rantzovii* monumenta qvæ repoſita vidimus, Ordinem ſeu confraternitatem hanc illuſtriſſimam diu antea viguiſſe conſtat: Anno qvippe 1457. Rex ille fortunatiſſimus Spectabili & Nobili Militi, *Geminiano Trevisano*, Aulæ Regalis Palatino & Oratori, hanc conſortii teſſeram clementer contu-

lit. Verba qvædam diplomatis ejusdem, cùm plus luminis hic afferant, en breviter adjuncta: *Qvamvis in aliis literis noſtris regalibus privilegialibus & gratioſis torqvem noſtram, qvâ collum noſtrum Regium & humeros noſtros circumambire pro noſtræ Majeſtatis gloria ſolemus, & milites ac nobiles & Generoſos in ſignum noſtræ Magnificentiæ decoramus, Dilectioni tuæ de manibus noſtris largiti fuimus & dedimus in præſentiarum tuis promerentibus virtutibus & meritis ac obſeqviis fidelibus nobis & Coronæ noſtræ impenſis multipliciter, qvia es militaribus cingulo & honore ac inſigniis decoratus, qvatenus dictam torqvem venuſtare auro poſſis & valeas decorare, circumferre & circumqvaq; jugi collo tuo, ubicunq; te adeſſe contigerit, in ſignum benevolentiæ & gratiæ noſtræ, tibi de noſtra libertate regiâ concedimus & impertimur.* Nec ſilent literæ M. S. *Marcelli* Epiſcopi Schalholtenſis, inter apographa laudata aſſervatæ, de torqve ejusdem generis, *virtute, prudentia & generoſitate ſpectabili*, ut ibi dicitur, *viro Edvardo, Civi Januenſi* Holmiæ d. 25. Novembr. ejusdem anni elargito, ubi memoratus Epiſcopus atteſtatur, *Regem CHRISTIERNUM* I. *virtute, prudentiâ & generoſitate ejusdem Viri plenius cognitis & intellectis, vetuſti moris & honeſtatis obtentu, torqvem, qvæ collum & humeros Regios circumcingere ad gloriam ſuæ Regiæ Majeſtatis aſſolet, dicto Edvardo Juſtiniano portandam pro ſingulari Celſitudinis Regiæ beneficio & dono in præſentia ſua dediſſe & conceſsiſſe.* Qvæ luculenter exponunt ſocietatem hanc ante annum 1457. imo, ut verba Epiſcopi jacent, *vetuſti moris & honeſtatis obtentu* in oris Trionum coalitam fuiſſe, ejusdemq; conſortii fratribus, qvi Milites ac Eqvites illuſtres erant, tantùm conceſſum fuiſſe torqvem ſuum auro venuſtare, cujus cauſam Potentiſſimus Rex in literis Militi *Germiniano Treviſano* datis ſic addit: *Qvia es militaribus cingulo & honore ac inſigniis decoratus.* Qvod itidem de memorato *Edvardo Juſtiniano*, cive Januenſi in prædicti Epiſcopi literis non legimus, itaq; illi non licitum fuiſſe, tutò colligimus, torqvem ſuum auro venuſtare: Eqveſtre qvippe potiſſimum inſigne erat cingulum, à qvo enſis pendebat. Et hinc qvidem in Jure Romano miles ita cinctus ſecundùm *Inſtitutiones Juſtinianæas de milit. teſtamento* libr. II. Tit. XI. ſingulari gaudebat privilegio. Apprimè huc ergo faciunt ex Archivis Roeskildenſibus verba Epiſtolæ M. S. Epiſcopi Arhuſienſis *Ovenii Bilde*, qvondam Regum Daniæ *Johannis* I. & *Chriſtierni* II. Cancellarii, & *Chriſtiano* III. perqvam dilecti: **Og drog / og bar Kong Hans fornefnthe Sælſkab altid til hans Døde-Dag i alle Højtithelige Dage oc Vertſkab / oc holte ſamme Sælſkab uthi ſtor Ære og Verthighed / ſom mange nu vel vitterlig er / oc toc Kongen uthi ſamme Orden oc Brotherſkab meth ſig gamle Kong Henrich af Engelland og Kongen af Skotland / hans Søſter-Søn / oc ſende thennem baade forn: Selſkab / hvilke ſom oc holdte ſamme Orden oc Brotherſkab oc** Confœderatz **med hannem thil deres Døde-Dag / med ſtor Villie / Venſkab og Kiærlighed: Item gaf Kong Hannß mange Herrers og Fyrſters Sendebud ſamme Sælſkab / ſom hand ſlog til Riddere / og ſammeledes mange af Danmarks Riges Raad og Adel / deſligeſte Fruer og Jomfruer / baathe af vores Slægt oc baarne Venner oc andre fleere uthi Riget. Oc mindes os vel af Barndom / at mange gothe Mænd / ſom Riddere vare / droge thette Sælſkab forgyldt udi Høytithelige Dage / og de andre gothe Mænd / ſom icke Riddere vare / droge og deres Sel-**

ſkab

ſkab u-forgyldt uthi Højtithelige Dage / ocſaa thil merckelige Vertſkab / oc Forſamling / ſom mange mærkelige Mænd / endnu leve / vitterligt er / og vel drages til Minde oc ſeet have. Hvilcket vi lade os tykke / at det var deres Herre og Konning / Riget og thennem ſelv oc then meenige Adel en ſtor Ære / baathe uthi Riget og uthen. i. e. *Rex etiam Johannes usq; ad mortem ſuam prædictam teſſeram omnibus feſtis diebus & in conviviis continuò geſtavit, eamq; magno in honore habuit, qvemadmodum multis etiamnum notum eſt, & in eundem ordinem ac confraternitatem Henricum Seniorem Angliæ Regem & Regem Scotiæ, ſororium ſuum, admiſit ac utriq; eorum prædictam teſſeram obtulit, qvi & eundem ordinem, confraternitatem & confœderationem cum illo magnâ amicitiâ usq; ad mortem ſervarunt. Memoratus etiam Rex Johannes teſſeram hanc Regum & Principum Legatis, qvos eqvites creaverat, clementer conceſſit multisq; Daniæ ſenatoribus, nec non nobilibus, matronis & virginibus tam è noſtra, qvàm aliis in regno proſapiis. Obſervatur ab infantia ipſa memoriæ noſtræ, multos, qvi eqvites fuêre, eandem teſſeram deauratam, ceteroſq; nobiles, qvi eqvites haud fuêre, ſuam teſſeram non deauratam in majoribus feſtivitatibus ac celebrioribus conviviis & conventibus geſtaſſe, qvemadmodum multi inſignes viri, etiamnum ſuperſtites, ac teſtes oculati norunt. Qvod Domino & Regi eorum regnoq; & illis ipſis, ac omni nobilitati honorem eximium tam intrà qvam extra regnum conciliâſſe arbitramur.* Qvæ nos monent eqvites non omnes fuiſſe, qvi teſſeram conſortii hujus ſpectatiſſimi geſtarunt Regemq; JOHANNEM Τεμμήειον hoc Ordinis Regum Principumq; Legatis, qvos eqvites creaverat, gratiosè dediſſe, inq; ſocietatem hanc eodem torqve cooptaſſe. Ordo certè tunc ſplendidiſſimus & antiqviſſimus erat, cujus originem Epiſcopus Chriſtianſandenſis in Norvagia, Dn. Mag. *Janus Birckerodius*, in Breviario Eqveſtri de Ordine Elephant. limatô judiciô annititur trahere ab expeditionibus Danorum contra Mauros & Saracenos circa ſeculum XI. aut XII., qvibus bella ſacra cum cruciatis contra nominis Chriſtiani hoſtes geſſerunt, cùm plurimi circa eadem tempora inſtituti fuerint Ordines ſocietatesq; Daniq; æqve ac Norvagi toties tunc Orientis oras manu & mente belligera, uti pergit, aggreſſi fuerint, unde tanqvam ex Colchide reduces, locô teſſeræ Elephantinum inſigne, ſeu vellus Elephanti, in gloriam ac fortitudinis rerumq; in Oriente beſſe ac bellicosè ſimul geſtarum memoriam perennem adſciverunt. Eqveſtrem ab omni ævo hunc itaq; fuiſſe Ordinem tandemq;, Rege CHRISTIERNO I. regnante, converſum eſſe in Ordinem Sacrum nulli dubitamus, qvibus & illuſtris ac incomparabilis *Bartholinus* noſtras in Diſſert. hiſt. de Ordine Danebrogico p. 45. & 46. ſic adſtipulatur: *Vero mihi ſit ſimilius, Ordinis Elephantini inſignia habuiſſe CHRISTIANUM I. à prædeceſſoribus ſuis per manus qvaſi relicta, Romamq; ſecum aſportaſſe* (antea enim legimus eum teſſeram hujus Ordinis viris ſuis dilectis contuliſſe) *ſed aucta illa & conſecrata à Sixto* IV. *appenſis Elephanto ſpinea coronâ & tribus clavis cruentis in honorem & memoriam paſſionis Domini JESU Chriſti Salvatoris noſtri.* Et *ita in ſacrum Ordinem convertit Sixtus, qvi militaris antea fuerat.* Qvin imò ex allata Pii II. Bulla ſatis ſuperq; conſtat, ordinem hunc ſub vocabulo Beatæ Mariæ diu antea ſacratum fuiſſe, adeò ut elephas ex torqve decente pro inſigni illuſtriſſimi hujus conſortii pendens varias receperit appendices ſacras, indultu Pontificum Summorum. Unde & memoratus *Ovenius Bilde* in ſua epiſtola M. S., qvi ſuperfuit temporibus R. *Chriſtiani* III., monet:

At


At de ſom i ſamme Orden vare/ maatte og ſkulde bære et Sælſkab/ ſom var giordt i Lignelſe efter Elephant-Dyr/ neden udi ſamme Sælſkab/ uthi Lignelſe med en blothig Torne-Crone oc tre blothige Nagler. i. e. *Qvòd eidem Ordini adſcribti teſſeram qvandam* (noſtratibus olim κατ' ἐξοχὴν Sælſkab) *qvæ ad effigiem Elephanti facta, addito inferiùs ad teſſeram eandem orbe* (Spegel Danicè vocabatur) *cruentæ ſpineæ coronæ ac trium ſanguine tinctorum clavorum imaginem referente*, portarent, qvorum cœtum deinde qvinqvagenarium Sixtus IV, ex indulgentiarum bulla anno 1464. Rex eſſe voluit, ac fundatione Regia, anno eodem Havniæ factâ, ſtatis qvatuor anni temporibus celebrari conſtituit, *ut preces fierent pro omnibus, qvi teſſeram ſuam geſtant & geſtavere*, ut verba ibi ſonant. Anno qvippe 1459. Rex optimus de collegio hoc religioſo Roëskildiæ inſtituendo meditari cœpit, qvod in honorem S. S. Trinitatis, Virginis Mariæ, Sanctæ Annæ, omnium Dei Sanctorum, ac Sanctorum inprimis Trium Regum exſtrui voluit, cujus fabricæ, ad auſtrale templi cathedralis latus anno deinde 1464. exſtructæ & conſecratæ bona varia legavit, qvæ in hunc usq; diem Regum ſtirpis Oldenburgicæ mauſoleis ſuperbit. Qvanto deniq; favore Potentiſſimi Regis *Chriſtierni* I. ſucceſſores Sacellum hoc proſecuti fuerint, privilegia a Rege *Johanne* Chriſtierni I. filio ſacrario eidem anno 1484. conceſſa & eorundem à Rege *Friderico* I. confirmatio, die S. Ægidii Abbatis Roëskildiæ 1526. data, uberiùs teſtantur, qvemadmodum & Regi *Johanni* ſodalitium hoc ſpectatiſſimum curæ cordiq; fuiſſe ſæpius laudata Epiſcopi *Ovenii Bilde* M. S. epiſtola clarè ſatis indicat. Et ſeſe in Muſeo hoc ſiſtit illuſtris Domini *Diderici de Reinden*, Domini in Hemmen, curioſa & priſcâ picturâ effigies, qvam circa humeros torqve aureo ex elephantis & turribus alternatim contexto, qvi elephantem turritum absq; appendicula in medio pectoris pendulum præfert, decoratam ex Belgio ſecum Nobiliſſimus *Paulus Klingenberg*, ad Hollandos Legatus Regius, redux huc attulit, infra eandem una cum nomine memorati Domini de Hemmen ærâ Chriſtianâ 1494. notatâ, reperitur, qvæ in tempora Potentiſſimi Regis JOHANNIS exactè incidit. Nec minus in memoriam, ut cenſemus, teſſeræ conſortii elephantini, qvod Roëskildiæ celebratur, Rex *Chriſtiernus* II. *Erico Valckendorpf*, Præpoſito Roëskildenſi ejusq; in eadem præpoſitura ſucceſſoribus anno 1508. in caſtro Aggershuus veſpera S. Benedicti Abbatis, novum dedit inſigne, auratum ſcilicet Elephantem cum turri in dorſo, in ſcuto cœruleo liliis conſperſo. Pontificia verò doctrinâ ex his Trionum oris extrusâ, credibile eſt conſortium hoc ſpectatiſſimum, qvod ſub vocabulo S. Mariæ ceterorumq; Sanctorum invocatione erat inſtitutum, aliqvantum fuiſſe diſſipatum, donec tandem, orthodoxâ & Auguſtanæ Confeſſionis religione puriore altiores agente radices, Rex FRIDERICUS II. illuſtriſſimæ huic ſocietati jam ſemiſepultæ fulgorem decentem reſtituerit, qvemadmodum ex his in uſum hunc anſatis numis, certò certius conſtat, autor enim nobis eſt *Joh. Iſaac. Pontanus*, Hiſtoriographus Dan. Regius in Chorograph. Dan. p. 769. *Eqvites auratos in Ordinem* hunc non tantùm *elephanti ſimulacro caſtellum geſtantis* ſed & *aureo numo adlectos*. Et *Hamelman.* Chron. Oldenb. p. 428. part. 3. de elephantis ſimulacro teſtimonium luculentum qvoq; adfert: *Johannes Comes Oldenburgi*, inqvit, *Anno 1580. d. 26. Junii Coldingæ in arce Arensborg & natalitiis filiæ Regis* FRIDERICI II. *nomine Auguſtæ, elephanto ex puro auro gemmis diſtincto, cum icone Regio &*

lite-

N:12.



N:13.



N:14.



N:15.



N:16.



N:17.



N:18.



N:19.



N:20.



N:21.



N:22.



N:23.



N:24.



N:25.



N:26.



N:27.



literis ſymbolicis T. I. W. *ex torqve aurea pendente donatum & inſignibus his in nobiliſſimum Ordinis Elephantini ſodalitium, cum aliis Principibus ſtrenuis eòdem invitatis, à Potentiſſimo Rege adſcitum fuiſſe.* Feſtivitatem eandem prolixiùs deſcribit Poëta *Johann. Seccervitius* lib. 2. *Daneidum*, Marchionesq; de *Onolzbach* & *Baden* ibidem præſentes fuiſſe ait, qvos in idem fœdus conſcribtos *Hamelmannus* laudatò locò ſubindicat. Et rem preſſiùs illuſtrat torqvis, qvæ inter cimelia Auguſti noſtri potentiſſimi aſſervata nobis elephantem illum turritum monſtrat, nomine & icone Regis FRIDERICI II. ex utrôq; latere inſignitum cum literis apophthegmaticis in ornamento appenſo, M. H. Z. G. A. ab unâ, ab alterâ parte T. I. W. qvam Sect. III. Part. II. Muſei hujus No. 37. uberiùs deſcribtam leges. Qvomodo & torqve ejusmodi *Benedictum ab Ahlefeldt*, Anno 1580. in ſodalitium Elephantinum cooptatum fuiſſe, & eodem qvidem die, qvo Duces Holſati feudo Slesvicenſi Otthiniæ à Rege inveſtiebantur, *Heldewaderus Silv. Chronolog. Circuli Balt.* pag. 210. aſſerit. His aſſentitur *Michaël Bojemus in vitâ Alberti II. Animoſi* Ducis Saxon. ex *editione Schurtzfleiſch. Fridericus II.* inqvit, *Rex Daniæ, Ordinis ſui inſignibus utitur elephanto turrito è ſolido auro, qvo præter cæteros conſpicui ſunt Petrus Danielis (qvi bellum geſſit Friderici II. Regis Daniæ nomine & auſpiciis adversùs Ericum XIV. Regem Sueciæ) frater, & Henricus Johannis Equitis Aurati filius, de nobiliſſimâ Rantzoviorum familiâ.*

Tab. III.

No. 12. FRIDERICUS 2. D. G. DANIE NORVEGIE Z. REX 1581. *Effigies Regis.*

MEIN HOFFNUNG ZU GOTT ALLEIN : *Repleta militibus turris elephanto impoſita, cujus alterum latus regio nomine inſignitur. Sub pedibus* T. I. W. B.

Turres tales, prout effigies earum in numis ubiq; elephantis impoſitæ hîc pinguntur, vix ex lapidibus exſtructæ fuerunt, ſed qvemadmodum *Ekkehardus* in Caſib. c. 5. p. 62. refert, ex piltris loricas fieri, id qvod *Goldaſtus* p. 192. explicat, qvòd ex pilis animalium fierent, ſic ex filtris i. e. filis vel funiculis orbiculatim contextis & coactilibus fuerunt filtrinæ loricæ, domus & turres, uti laudatus *Goldaſtus* ex Balbo Catholico ibidem etiam indicat. Talia fuiſſe munimenta hæc elephantis impoſita, non eſt, qvòd dubitemus: filtrinarum enim domuum *Crantzius* lib. 6. Dan. c. 33. meminit, qvas geſtabant elephanti, ut intra eas, prout hîc fit, pugnatores ſe defenderent.

No. 13. FRIDERICUS 2. D. G. DANIÆ NORVEGIE Z. REX. *Effigies Regiâ loricâ induti, cujus ſiniſtrâ parte hæc leguntur.* 15. Æ. I. S. 81. *qvæ nomen Scalptoris iconii, Ægidii Janſonii, & annum 1581. deſignant.*

MEIN HOFFNUNG ZU GOTT ALLEIN. *Similis ſuper elephantum turris 1582.*

Elephas turritus in numis his, itidem anſatis, Nobiliſſimi Ordinis Elephantini memoriam vel potiùs nobiles qvosdam illuſtriores procul dubio, prout in binis proximè præcedentibus numis, anno 1580. cuſis, deſignat, etiam anno 1581. qvemadmodum & 1582. in ſodalitium Elephantinum cooptatos, & torqve, tali numo anſato exornatâ, coruſcantes. Nam veluti Eqvites auratos à nobilibus in ſodalitio hoc diſcernit epiſtola M. S.

Ovenii Bilde, ſuperiùs memorata illosq; ad differentiam ab his majorem, elephantinam torqvem deauratam (Danicè **Selſkab** i. e. ſodalitium vocatam): hos verò ex puro tantum argento eandem geſtaſſe refert: Conſtat enim qvoq; ex ſuperiùs allata bulla Regia *Chriſtierni I.* Nobili Militi Geminiano Treviſano datâ, conceſſum eidem fuiſſe, ut torqvem memoratam auro venuſtaret, *qvia*, ut verba bullæ exſtant, *es militaribus cingulô & honore ac inſignis decoratus*; Sic &, cùm Majeſtas Regia ſemper circa ſpendidiora verſetur, ſuperiùs memoravimus ex *Hamelmanno* ceterisqve hiſtoricis *Johannem Comitem Oldenburgi* cum aliis Principibus ſtrenuisq; viris *anno 1580.* elephanto ex puro auro in ſereniſſimi Ordinis Elephantini ſodalitium eſſe cooptatum. Adeò ut ex his facilè evincatur, aliqvam in adſciſcendis ſodalibus eminentiſſimi hujus conſortii etiam ſuperfuiſſe differentiam; Regem verò FRIDERICUM II, Celſiſſimum hujus Ordinis Dominum & elephantem cum Regis icone in numo & ex auro ſolido eundem de torqve aureo pendulum promiſcuè geſtaſſe, effigies memorati Regis in palatiis variis hinc inde depictæ confirmant. Numi ſunt ſpectatæ magnitudinis, ejusdem fermè valoris, pondere uncias duas vix ſuperantes.

Tab III.

No. 14. FRIDERICUS 2. D. G. DANIE. *Tres Leones ſeu inſignia Regni Daniæ.*

NORVEGIE. VAND. GOTO. Q. REX. I. SKILLINCK DANSKE. 82.

Numus hic aureus, prout inſcribtio præ ſe fert, non fuit ſolidus ex auro uſualis in Dania, ſed ex eodem typo, qvô ſolidus ſeu aſſis Danicus, anno 1582. procuſus eſt. Pondus dimidiæ drachmæ aliqvantum ſuperat.

No. 15. FRIDERICUS 2. D. G. DANI. NOR. SLA. GOTO. Q. REX. *Nomen regium cum coronâ.*

MEIN HOFFNUNG ZU GOTT ALLEIN. *In medio:* PORTUGLESER. 1584.

Inſcribtio in numi hujus area poſtica pretium accuratè indicat. Primus, qvi hos numos Portugallicos aureos cudi juſſit, perhibetur fuiſſe *Johannes Tertius* Portugalliæ Rex, qvi regnare cœpit anno 1521., mortuus 1556. Tantæ numi hi fuerunt probitatis, ut vix 48. pars in puritate Ceratiorum, ſeu **Karather**/qvemadmodum Zygoſtatis dicitur, deficeret. Luſitanis appellati ſunt numi tales Cruſati majores, qvòd cruce ſignati eſſent, de qvibus lege *Tilem. Friſii* **Münz-Spiegel** lib. 4. c. 28. p. 73. Primus hic qvoq; Rex noſter fuit, qvi numis ſuis nomen Portugaleſer imprimi curavit.

No. 16. FRIDERICUS 2. D. G. DA. NO. SLA. GO. Q. REX. *Regium nomen cum coronâ.*

MEIN HOFFNUNG ZU GOTT ALLEIN. *In medio:* Roſennowel. 1584.

Primus, qvi Nobiles hos in auro numos cudi fecit, fuit *Eduardus III.* Rex Angliæ anno 1344., ut monet *Henricus Knyghton* pag. 2584. & primus in Dania, qvod ſciam, erit Rex hic, qvi eosdem numos hoc nomine percuti juſſit. Idem de ſeqventibus numiſmatis, ducatis duplicibus, **Duppelte Ducaten/ Ungriſch Gulden/ Gold-Gulden** &c. dicendum venit, qvos omnes eo titulo inprimi juſſit, ut inter exteros aurei ipſius numi

mi pari paſſu ambulare poſſent & expeti, qvemadmodum Potentiſſimorum Prædeceſſorum ſuorum numi aurei, qvi absq; nomine valoris procuſi inveniuntur.

Tab. III.

No. 17. FRIDERICUS 2. D. G. DA. N. SL. G. REX. *Regium nomen ſimili modo expreſſum.*
MEIN HOFFNUNG ZU GOTT ALLEIN. Duppelt Ducaten. 84.

No. 18. FRIDERICUS 2. D. G. D. N. S. G. REX. *Nomen regium cum coronâ.*
MEIN HOFFNUNG ZU GOTT ALLEIN. Ungriſch Gulden. 84.

No. 19. FRIDERICUS 2. D. G. D. N. S. G. Q; REX. *Regium nomen ejusdem typi.*
MEIN HOFFNUNG ZU GOTT ALLEIN. Crone Goltt. 1584.

No. 20. FRIDERICUS 2. D. G. D. N. S. G. Q. REX. *Regium nomen itidem, ut ſuprà, expreſſum.*
MEIN HOFFNUNG ZU GOTT ALLEIN. Gold Gulden. 1584.

No. 21. FRIDERICUS 2. D. G. DANIÆ NORVEGIE Z. REX. *Icon Regis loricati, à cujus dextrâ parte æra Chriſtiana 1587.*
SOPHIA KONNINGIN ZU DENMARK. Z. *Reginæ effigies, pileum indutæ.*

No. 22. FRIDERICUS 2. D. G. DANNOR. SLA. GOT. REX. *Icon Regis loricâ induti.*
TREW IST WILDBRAT. *Clepſammiô jam jam exhauſtô, cui ſuperimpoſitum cranium humanum cum gallo gallinaceo, temporis articulos qvaſi cantu indicante.*
Numus oblongus & ſingulare ſeneſcentis Regis mnemoſynum, qvo ſibi memoriam futuræ mortis tacitè inculcari voluit. Numiſma ex auro eſt, qvod pondere vix tres æqvat drachmas.

No. 23. FRIDERICUS II. D. G. R. D. N. *Regis effigies.*
SOPHIA. D. G. REGINA DAN. *Icon Reginæ, pileum indutæ.*

SOPHIÆ REGINÆ FRIDERICI II.

No. 24. SOPHIA KONIGIN ZU DENEMARCK. *Effigies Reginæ. Lateris alterius eadem planè eſt facies.*
Numus ex auro eſt inſignis & propemodum uncialis.

No. 25. SOPHIA KONIGIN ZU DENMARCK Z. *Reginæ Effigies.*
GOTT VERLEST DIE SEINEN NICHT. 1591. *Inſignia domûs Obotriticæ regiæ.*

Tab. III.

No. 26. Numus *oblongus. Anno 1616. percuſſus, ubi Regina vidua veſte lugubri induta conſpicitur.*

No. 27. Numus *ejusdem typi à parte anticâ, poſticâ verò raſâ.*

Numi ejusmodi bullæ erant Reginæ munificentiſſimæ, qvibus ſuos clementer decorare ſolita eſt. Reginam hanc Obotritorum Regiam ſobolem in artes ingenuas, inprimis Chemicas, propenſam *Gaſſendus in vitâ Tychonis Brahe* p. 68. laudibus extollit, utpote iis ſtudiis, parentis imitatione, delectatam. Et præterea ſagaciſſimi ingenii fuit, qvippe qvæ prudentiâ ſuâ, comitate & munificentiâ iras multorum flectere, odia extirpare, cunctaq; in melius dirigere potuit, & durante inprimis qvadrumviratu & interregno, filio Reginæ unico nondum ex ephebis egreſſo, ortas ſubinde inter proceres diſſenſiones ſuſtulit, ſententiasque & conſilia ſalubriora calculo ſuo & auctoritate prudenter roboravit. Poſtea etiam inſignes, tam togæ qvàm ſagi tempore, ſuppetias filio Regi CHRISTIANO IV. porrexit. Teſtis rei hujus navis bellica fuit ſumtibus ipſius exſtructa, qvæ nomine Reginæ SOPHIÆ inſignita & ob molem fabricæ ſtupendam Magna cognominata ſummum hoſtibus terrorem incuſſit. Vidua in peculio ſuo, arcis Nycopingiæ, per annos fermè 44. providè & circumſpectè vixit. Eqves Anglus, *James Howel*, in Epiſtolis *Ho-Elianis* vol. I. ſect. 5. ep. 40. Anglicè eam laudibus his extollit: *The Maine of the Ambaſſe is to condole the late Dead of the Lady Sophia Queen, Dowager of Denmark, our Kings Grand-mother: She was the Duke of Meclenburgs Daughter, an her husband Chriſtian the third* (vult dicere Friderich the ſecond) *dying young, her portion, which was forty thouſand pounds, was reſtored her, and living a Widow forty four years after, she grew to be ſo great a huswife, ſetting three or four hundred people at work, that she died worth neer two millions of dollars, ſo that she was reputhed the richeſt Queen of Chriſtendom.* i. e. „ Præcipuus finis & ſcopus legationis eſt do-„ lere mortem Principis *Sophiæ*, Daniæ Reginæ viduæ, Regis noſtri aviæ, „ Obortritorum Ducis filiæ, cujus maritus fuit *Fridericus II.* Rex Daniæ, „ qvi præmaturè mortuus eſt, ideoq; Reginæ huic dos ipſius, qvæ qva-„ dringentos mille unciales complectitur, reſtituta. Viduæ poſtea an-„ nos 44. viventi, dote hac, regia res adeò crevit tantaq; evaſit œconoma, „ ut operariorum artificumq; curâ, qvorum trecentos aut qvadringen-„ tos aluit, fermè bis millies millena uncialium in ærario ſuo moriens re-„ liqverit, adeò ut inter ditiſſimas in orbe Chriſtiano Reginas æſtimata „ fuerit. Regi *Friderico II.* anno 1572. d. 21. Aug. matrimonio juncta eſt, mortua anno 1631. d. 4. Octobr. ætatis ſuæ 74. Roëskildiæ anno eodem d. 14. Novembris regio more ſepulta eſt.

REGIS
CHRISTIANI QVARTI.

Tab. IV.

No. 1. CHRISTIANUS IIII. D. G. PRI. ET ELECT. REX. DAN. NO. Z. *Effigies Regis.*

Ab altera parte.

REGNA FIRMAT PIETAS. *Turris cum militibus ſupra elephantum, cujus altero in latere prima eſt nominis Regii litera: Sub pedibus* 1592.

Con-

N° 1.



N° 2.



N° 3.



N° 4.



N° 5.



N° 6.



N° 7.



N° 8.



N° 9.



N° 10.



N° 11.



N° 12.



Conſpicitur hic in antica numi parte Regis adhuc ephebi facies, Principis Europæi tunc temporis maximæ ſpei, virtutumq; ingentium, qvi ſeqventi anno 1593. ab invictiſſimo Cæſare *Rudolpho* II. etiam Rex eſt ſalutatus, veniam ætatis in toto Imperii Romani orbe, qvatenus Princeps imperii erat, conſecutus. Eadem Regis effigies eſſe creditur, qva vir celeberrimus, *Tycho Brahe*, torqvem ſuum, à Rege jam 14. annos nato ſibi clementer donatum, inſignem deprædicat *in Mechanic. & explic. qvadr. mural.* cùm numi hujus antea anſati æra in idem tempus incidat, & plures ejusdem typi, qvi anſati fuêre, & æra eadem inſigniti, reperiantur numi, qvibus de torqve aureo pendulis ritu & more patrio potentiſſimus Princeps viros illuſtriores in Ordinem Elephantinum etiam cooptavit. Notabiliter enim *Pontanus* noſtras in ſuperiùs laudata Daniæ Chorographia memorat, *aureo numo vel torqve aureo cum elephanti ſimulacro caſtellum geſtantis viros de republica bene meritos in Ordinem hunc adlectos.* Unde & lateris adverſi elephantem turritum illuſtriſſimæ Societatis elephantinæ memoriam magnificamq; celebrationem indicem eſſe, non eſt qvod dubitemus, qvemadmodum & ſeqventes numi elephantini produnt. C. autem coronatum, elephanto promiſcuè altero in latere absq; numero appoſitum litera ſymbolica eſſe creditur, qvæ glorioſiſſimi Reſtitutoris nomen exprimit. Regem enim Daniæ CHRISTIERNUM I. inſtaurati ſodalitii hujus, in Regio Roeskildiæ ſacello Anno 1464. extructo & conſecrato, autorem exſtitiſſe *Hvitfeldius* parcè qvidem refert Chron. Dan. fol. 901. ſed id ex indulgentiarum bullâ *Pii II.*, Anno 1462. datâ & ad numos elephantinos Regis FRIDERICI II. laudatâ, clariùs eluceſcit. *De novo*, utiq; *fraternitatem hanc inſtituiſſe Rex* CHRISTIERNUS I. ibidem expreſſis verbis dicitur, qvi hinc elapſo biennio Havniæ, die S. Dionyſii, ſacelli dicti fundationem confecit, ubi inter cetera ſtatuta voluit, *preces fieri pro omnibus, qvi teſſeram ſuam geſtant & geſtarunt.* Collegium certè nobiliſſimum, à Sixto IV. deinde variis immunitatibus munitum & confirmatum, cùm Pontifex Regem hunc magno honore Anno 1474. Romæ afficeret: Et teſſerâ elephantinâ ſodalitium decoratum fuiſſe & ſodales nobiles cujuscunq; ſtatûs idem etiam habuiſſe ſæpius allegata *Ovenii Bilde* ep. M.S. haud obſcurè evincit. Exterminatis inde Pontificiorum traditionibus, antiqviſſimum hoc Ordinis Elephantini ſodalitium non niſi Principum & eqveſtrium virorum tandem eſſe cœpit. Numus ex auro eſt, propemodum uncialis.

Tab. IV.

No. 2. CHRISTIA. IIII. D. G. DANI. NOR. GOTO. WAN. REX ELEC. NACH PORTUGAL. SCHR. V. KORN. *Crux.*

A parte alterâ:

DUX. SLE. HOL. STO. E. DIT. CO. OL. E. DE. *Integra regnorum inſignia.*

Stater eſt Danicus tempore Regis minorennis cuſus, qvi Rex Electus tunc dicebatur. Numus ſuo pretio æqvat ſtaterem Portugalenſem, prout verba Nach Portugal. Schrot Vnd KORN. exprimere volunt, qvòd ſecundùm bonitatem, ut dicitur, intrinſecam & extrinſecam numi illius aurei Portugallorum procuſus ſit. Ante Regem hunc Portugallicos qvidem cudi fecerat Glorioſiſſ. Parens, at minimè cum cruce Portugallica, unde non ſaltem illam imprimi voluit, verùm etiam, ut ex inſcribtione patet, ſuos

paris probitatis cum illis, qvos Portugallia procudit, ſignificavit eſſe. Ejusdem numi qvadrans eademq; inſcribtione hic etiam reperitur.

Tab. IV.

No. 3. CHRISTIANUS IIII. D. G. DAN. NO. VA. G. REX. *Rex eqvitans, inſtar Principis adoleſcentis, ſub qvo* Regna Firmat Pietas.

In aversâ.

DUX SCL. HOL. DIT. COM. IN. OL. ETZ. *Inſignia Regnorum.*

Inter brabea eſſe cenſetur hic numus, qvem Rex adoleſcens inter haſtiludia in ſui victoriæq; memoriam & ſymbolum diſtribui voluit. Præcipua enim adoleſcentiæ ipſius voluptas fuit in arenam deſcendere & in aperto campo eqvos ad pernicitatem exercere. Sanè per omnes artium eqveſtrium numeros illum maturè iviſſe oſtendit illud tempus, qvo publica feſtivitate primos imperii dies celebravit, cùm inter Heroës victoresq; illuſtriſſimos ſolus lemniſcatas coronas tulerit. Numus eſt, qvi unciam auri pondere vix ſuperat.

No. 4. CHRISTIANUS. IV. DANIÆ NOR. VAN. GOT. REX. *Effigies diademati Regis, ſub qva:* NAT. XX. ANNO. NIC. SC. F.

REGNA FIRMAT PIETAS. *Turris cum militibus ſuper elephantum.*

Numus hic, ex auro uncialis, videtur anno 1597. cuſus in natalem Regis, diem 12 Aprilis anni 1577., id qvod ætatis annus vigeſimus ſub effigie Regiâ indicat, inciſore typi NIC. SC. i. e. *Nicolao Schauben*, qvi in mandatis M. S. Regiis ubiq; Regis vocatur **Bildt-Smidder** / nobis jam **Stœmpel-Skærer** / i. e. formæ ſcalptor.

No. 5. CHRISTIANI. 4. DANIÆ NORV. REGIS. CO. A. NAT. 1577. ELEC. 84. COR. 96. CONJUG. 97. MEN. NO. 27. *Effigies eqvitantis Regis ſub velo, qvod à qvatuor Regni Senatoribus geritur. Ad inſimam numi oram:* VIVAT ET VALEAT. C. L. R. M. NIC. S. F. 1598.

In aversâ:

NIL. SALUBRIUS PALLADE PIETATE INSTRUCTA. *Circa qvam inſcribtionem integra regnorum inſignia velut in gyrum videntur poſita. In medio typi Pietatis & Palladis, qvos inter lilium ex urceo proſultat, Hercule dormiente ſub inſcribtione:* Dormiat, dum licet. *Sub his:* Regna Firmat Pietas.

Numus hic aureus eſt elegans & inſignis magnitudinis, qvi duas uncias, & qvod excurrit, pondere æqvat, à parte anticâ inprimis coronationem Regis indigitat, qvi annum ætatis viceſimum ingreſſus, ingenti pompâ Havniæ in templo cathedrali, S. Virgini Mariæ dicato, eſt unctus, præſentibus Brandenburgicis, Holſatis, Lunæburgicis, Palatinis Principibus, eqvosq; ſecum ducentibus ſupra bis mille, ſacrum coronationis faciente *Doct. Petro Winſtrupio*, Siælandiæ Epiſcopo. Itaq; Auguſtiſſimus Rex in antica numi parte à coronatione, feliciter peractâ, redux, inprimis hic eſt notandus, qvi eqvo generoſo apprimeq; phalerato vectus, gladio regio accinctus dextraq; regni ſceptrum tenens, pallio Regio, veſtibusq; auratis & regio diademate fulgens, ſub cadurco ſeu tegmine pretioſo conſpicitur, qvod à Regni Senatoribus, *Georgio Friſio, Preberno Gyldenſtiern*,

denſtiern, Axelio Brahe & Henrico Lycke geſtabatur, hoc applauſu in veli circumferentia inſignitum:

Macte animi Arctois, Rex optatiſſime, regnis,
Dania te Dominum geſtit habere ſuum:
Hoc tua nam virtus meruit, qvæq; omine fauſto
Gloria ab antiqvis te comitatur Avis.

Inſcribtio verò numi hic incipit â nativitate Heröis Potentiſſimi, qvi anno 1577. d. 12 Aprilis, cœli aſcendente librâ, in arce Regiâ Fridericoburgenſi natus eſt, & in templo cathedrali, qvod Havniæ S. Virgini Mariæ dedicatum, proximâ Dominicâ SS. Trinitatis renatus, referente *N. Heldewadero* in Silva Chronolog. circuli Balthici pag. 204. Hinc annum 1584. narrat, cujus die 12. Junii Wiburgi in Juticâ Cherſoneſo, die 27 ejusdem menſis Otthiniæ in Fioniâ, die verò 10. Julii Ringſtadii in Siælandiâ, & 20. die ejusdem Lundini in Scaniâ Rex eſt deſignatus. Coronationem inde Anno 1596. die 29 Auguſti ſolennitate Regiâ peractam exprimit, & conjugii tandem annectit annum 1597. diemq; Novembris 27. qvo Sereniſſimam Principem *Annam Catharinam* ê proſapiâ Brandenburgicâ oriundam in tori Regii ſociam aſſumſit, ſacris nuptiarum Hatherslebiæ celebratis.

Epiphonemate ad Regem: **Vivat Et Valeat,** læta hæc acta numus claudit, qvem C. L. R. M. NIC. S. F. id eſt, *Cum Licentia Regiæ Majeſtatis* NIColaus *Schauben Fecit*, Anno 1598.

Poſtica Numi pars regni florentis imaginem exprimit, ubi Pietas & Pallas ſub lilio floreſcente ſibi invicem gratulantur, Hercule obdormiente ad epigraphen: **Dormiat, dum licet.**

Tab. IV.

No. 6. CHRISTIANUS IV. D. G. *Militibus repleta turris elephanto cum Æthiope impoſita, cujus alterum latus* C. *coronato inſignitur.*

In poſticâ.

DANI. NORVEG. VANDA. GOTHO. REX. *In numi area*: VIII. SOLIDI. 1603.

Liberalitas Potentiſſimi Regis *Chriſtiani Qvarti*, qvam populo Hamburgi clementer oſtendit. *Encomion Regn. Dan.* pag. 7. Qvi numus ex auro argentôve populo ibi ſparſus eſt, cùm Majeſtati ejus & Sereniſſimo Slesvigæ & Holſatiæ Duci *Johanni Adolpho* Senatus populusq; Hamburgenſis in curia Urbis die 30 Octobris hora 9. antemeridiana homagium præſtitiſſent. Poſt homagium hoc Regi Duciq; præſtitum illæ in foris Urbis ejusdem per qvatriduum inſtitutæ ſunt decurſiones, qvas ſuperiùs Sect. I. No. I. Part. II. laudatas leges, inter qvas illuſtria illa ſpectacula eqveſtria primo præſertim Novembris die, omnium in ſe oculos maximè converterunt, ut nihil pompâ hâc ſplendidius populo videretur, qvi ſpectandi ſtudio effuſus hîc confluxit, Principes enim Magnatesq; omnes, ad haſtiludium hoc invitati eodem die ſeſe inprimis egregiè exornatos & perſonatos in arenâ ſiſtebant, qvorum Potentiſſimus Rex inſtar ſolis inter micantia aſtra præfulgens, hoc die qvinqvies & nonagies decurrendo annulum ad chordam appenſum ſumma cum laude correptum haſtâ abduxit: Fortiſſimus ille Rex & Heros in ipſis ludis haſticis poſt varios acerrimosq; congreſſus hîc & ubiq;, qvamvis Princeps juvenis, etiam veteranis toties præterea palmam præripere valuit. Qvibus *Janus Wowerius* Hamburgenſis ſuo panegyrico ad Regem eundem ſcribto, cum in Majeſtatem ejus Senatus Populusq;

idem

idem juraviſſet, ſic adſtipulatur: *Vidimus Te comitatum eqveſtris Ordinis flore, publicæ lætitiæ auctorem, fulgentibus armis decorum, auro relucentem, digna tuâ fortunâ præbere ſpectacula; mutuo impetu haſtis concurrere, & velut procella adverſarium deturbare; mox agili dextra eas intorqvere & concitato calcaribus eqvo objectis illidere. Præbuiſti nobis fortes ausûs, robora virorum, pares animos; & iis qvidem qvâ arte, qvâ virtute, omnibus Te ſuperiorem, atqꝫ inter tam multos primum, qvi qvidem omnes eqveſtri peritia ſummi, niſi tuæ Majeſtati compoſiti deprimerentur.* Numus aureus eſt & ſemidrachmalis. Decurſiones & ſpectacula hæc eqveſtria *Joh. Heuſnerus* in narratione ſua hiſtorica homagii ejusdem & *Martinus Bindemann* Rhythmis Germanicis, ſuperiùs laudati fuſiùs enarrant.

Tab. IV.

No. 7. CHRISTIANUS IIII. D. G. DA. N. V. G. REX. VIVAT ET VALEAT! 1603. *Rex ornamentis Regiis ornatus, ſolio inſidens.*

MONETA NO. REGIS DANIÆ. *Regnorum inſignia.*

Numus eodem anno cuſus, qvo Regi dictum Hamburgenſium homagium præſtitum eſt. Unus omnium tunc Maximus Regum ſolio triumfans inſedit & velut ſalutare ſidus iterum ſuis affulſit, poſtqvam non minus inanem populi Hamburgenſis metum animis excuſſerat, qvàm invidorum maligna vota everterat. Numiſma eſt, qvod continet unciam auri.

No. 8. CHRISTIANUS IIII. D. G. DA. *Imago Regis.*

In poſticâ:

VI. DAL. 1604.

Numus hic in auro ſemuncialis eſt; ex pondere hoc pretiiq; inſcribtione VI DAL. 1604. cognoſcimus, qvomodo aurum tunc temporis argento fuerit comparatum, nimirum VI. Daleros unciales æqviparaſſe ſemunciam auri probi, cùm hodie vix novem illud pondus auri efficiant, adeò ut temporis decurſu nunc vilius, nunc carius æſtimatiusq; exſtiterit aurum. Idem judicium eſto de numis hiſce, qvi minoris majorisq; pretii inſcribtione, ſcilicet VIII. IIII. III. DAL. anno eodem cuſi & qvadrati omnes viſuntur. Ratio verò pretii creſcentis & decreſcentis eſt hominum opinio, præſtantia metalli ejusq; raritas aut copia. Hinc valor aureæ monetæ, & ſic etiam auri, toties in Dania præſertim anno 1619. 1639. 1640. 1647. 1648. 1650. ſecundùm edicta Regis monetaria mutari contigit. Dubium interim eſt nullum, prædictos numos ad ſingulare aliqvod μνημόσυνον & egregium, qvod eo anno Glorioſiſſimus ille Auguſtus expedivit, negotium ſpectare, qvi peculiari formâ hos numos cudi voluit aureos, cùm ferè nullus ipſi annus ſine heröicis geſtis fuerit.

No. 9. CHRISTIANUS IIII. D. G. DA. *Icon Regis.*

IIII. DAL. 1604.

Idem minoris formæ, ejusdem tamen valoris.

No. 10. CHRISTIANUS IIII. DANIÆ NOR. VAN. GOT. REX. *Imago Regis.*

REGNA FIRMAT PIETAS. Anno M. DC. VI. *Inſigna Regnorum.*

Oblongus numus eſt qvinq; ducatorum & qvadrantis.

No. 11. CHRISTIANUS IIII. D. G. DA. NO. VA. G. Q. REX. *Effigies Regis erecto corpore* 1608.

DUX

DUX. SCH. HOL. STO. ET. DIT. CO. IN. O. ET. D. *Insignia Regnorum plena.*

Qvadrans est stateris Danici ex auro.

Tab. IV.

No. 12. CHRISTIANUS. IIII. D. G. DANIÆ. NORVE. *Icon Regis.*

ANNA CATRINNA. D. G. REGINA. *Effigies Reginæ.*

Bulla seu Numisma est oblongum, propemodùm septem ducatorum.

Tab. V.

No. 13. CHRISTIANUS IIII. D. G. DAN. NOR. VA. GO. Q. REX. *Regis diademati Icon.*

MONETA NOVA AUREA. 1611. *Elephas turritus.*

Hic cum ceteris numis, ejusdem typi & valoris anno 1612. 1613. 1627. & 29. cusis, pondus duorum Ducatorum superat. Rosa Nobilis hujus Regis qvibusdam dicitur, minoris qvoq; pretii anno 1629. percussi conspiciuntur, qvemadmodum & ex eodem typo anno 1611. procusi sunt numi, pondus dimidium exæqvantes.

No. 14. CHRISTIANUS IV. D. G. DANI. NORV. VANDA. GOTO. Q. REX. *Effigies loricâ induti Regis cum appositâ â latere sinistro galea.*

OBSESSA 3 MAY. ET EXPUGNATA 3 AUGUSTI anno 1611. *Typus Calmariæ obsessæ cum inscribtione:* CEDE. MAJORI. CALMAR. *Ad infimam numi oram:* C. G. ET. P. L. R. M.

In anteriore numi parte effigies Regis conspicitur, qvi anno 1611. die 3 Maji adversùs hostem potentissimum *Carolum*, Sveciæ Regem, suos duxit, & vultu, voce manuq; ad res fortiter gerendas inflammavit. Urbem Calmariam d. 27. Maji expugnavit fortiq; manu contra impetus *Caroli* Regis d. 12 Junii & 17 Julii non tantùm feliciter defendit, sed & Regem eundem ex castris, inter diem 23 & 24. Julii, cum exercitu suo noctu profugum per milliaria duo persecutus est, & ad templum Risby d. 27 Julii penitus profligavit. Potentissimus enim Rex *Carolus* Calmariæ urbem à Danis expugnatam ex castello urbis ejusdem castrisq; simul, qvæ prædicto die 12 Junii ad urbem metatus erat, non solùm confestim adortus, verùm etiam proximè seqventi die 17 Julii horâ octavâ vespertinâ qvatuor locis aggressus est, ferrò & flammâ admodùm ferociens, at vario Marte per noctem totam Sveci pugnantes in castra sua tandem aufugere coacti sunt, donec de nocte inter 23 & 24. diem mensis ejusdem castris suis se penitus subduxerint à Danis fusi & profligati. Fractis jam hostium viribus, majori insultu urbis Calmariæ castellum, qvod *S. Erico* erat dicatum & in aversò numi latere igne accensum prominet, eodem die Rex noster victoriosissimus oppugnavit, & propugnaculis vallisq; vi tormentorum dirutis, in eas tandem angustias castelli Præfectum redegit, ut spe & ulteriori ope jam destitutus d. 3 Augusti ejusdem anni castellum simul cum qvatuor navibus armatis & 108. tormentis æneis dederet & hoc pacto cogeretur **Cedere Majori.**

Numus *Cum Gratiâ* ET *Publicâ Licentiâ Regiæ Majestatis* percussus, qvemadmodum Literæ: C. G. ET. P. L. R. M. infrà excusæ indicant: Admodum insignis est magnitudinis, uncias tres cum drachmis tribus auri pendens.

Tab. V.

No. 15. IMP. VICTOR. CHRISTIAN⁹ IIII. D. G. REX DANI. NORV. VANDA. ET GOTO. *Effigies equitantis Regis, ſub qua* C. G. ET. P. L. R. M.

ELFSBURGUM OBSESSUM FORTITER V. MAJI, EXPUGNATUM FELICITER XXIIII EJUS. ANNO 1612. *Typus obſeſſi Elfsburgi cum adſcriptis circumjacentium ſtativorum nominibus.*

Eqves ſic Imperator victorioſus in anticâ numi hujus parte emicat, qvi exercitui ſuo præfuit, in obſidione anno 1612. d. 5 Maji inchoatâ, qva Elfsburgum Clavem Regni Sveciæ, die 24. menſis ejusdem, manibus Svecorum extorqvens viam in Sveciam ſibi aperuit, poſtqvam claſſe ſuâ anno præcedente d. 12. Decembris in Caſtelli ejusdem portu ſeptem naves grandiores Sveciæ expugnaſſet. Seqvebantur caſtra Regis Heroes fortiſſimi, *Dux Georgius* Brunsvigâ-Lunæburgenſis, *Philippus* Dux Holſatiæ in Glucksburg & *Erneſtus Ludovicus* Angrivariâ Dux Saxonicus. Singulis in exercitu, durante obſidione, demenſa ſtativa pars numi poſterior indicat, litera enim Q. ibi denotat *Qvartier*, ſcilicet: DRAGON. Q. IONGEN. Q. ENGL. Q. LYNB. Q. Sveciâ hinc terrore maximo perculſa filius jam Regis *Caroli* exſtincti, *Guſtavus Adolphus*, pacem interventu Regis Angliæ anno 1613. d. 20. Januarii decies centenis Imperialium millibus redemit & ad ſolvendum interea debitum Regi Daniæ caſtellum Elfsburgum in cujus tractu & loco jam Jutæburgum ſeu Gottenburgum, Svecorum urbs bene munita, eminet, pignori reliqvit. Numiſma eſt egregium & duarum fermè unciarum auri.

No. 16. CHRISTIANUS IIII. D. G. DAN. N. V. G. Q. REX. *Regis Icon.* DUX SLES. HOL. STORMAR. ET DITM. COMES IN OLD. ET DEL. *Integra regnorum inſignia.*

No. 17. CHRISTIANUS IIII. D. G. DANI. N. V. G. REX. *Imago Regis.* MONETA NOVA AUREA. 1613. *Turris militibus repleta ſuper elephantum.*

Valorem numiſmatis hujus leges ſub No. 13. hujus Tabulæ.

No. 18. CHRISTIAN. IIII. D. G. DANI. *Effigies Regis.* REGNA FIRMAT. PIETAS. *Virgines duæ, qvæ palmas manu geſtantes coronam tenent ſuper regium nomen & inſignia Regni Daniæ.*

Numus eſt qvatuor propemodum Ducatorum.

No. 19. CHRISTIAN. 4. D. G. DAN. *Tres Leones.* NORVE. VAND. GOTO. Q. REX. *Corona.* 1619. R. F. P.

Coronatus dimidius eſt auri, noſtratibus **en halb Guld-Crone.**

No. 20. CHRISTIAN. IIII. D. G. DAN. *Tres Leones.* NORV. VAND. GOTO. Q. REX. 1619. *Corona.* R. F. P.

Qva-

Nº 13.



Nº 14.





Nº 15.





Nº 16.





Nº 17.



Nº 18.



Nº 19.



Nº 20.



Nº 21.



Nº 22.





Qvadrans eſt Coronati aurei, cujus valorem cognoſces ex iis, qvæ ad integrum Coronatum ſub No. 29. Tab. hac adduximus.

Tab. V.

No. 21. CHRISTIANUS IIII. D. G. DAN. NO. V. G. R. *Rex erecto corpore, dextro latere inſignia ſunt Regni Daniæ.*

MO. NO. CIVI. GLUCKSTADENSIS. 623. *Typus Fortunæ inſiſtentis globo.*

In primâ numi facie Regis Glorioſiſſimi, more ſuo, cataphracti, ſcutum coronatum viſitur, in qvo tribus Daniæ Leonibus coronatis, dextrorſum procurrentibus, tria corda ter ſunt adjuncta. In nullis antea, qvod ſciam, Regum Daniæ numis coronati conſpiciuntur Leones Daniæ. In ſigillis verò Regiis, Sect. III. partis hujus aliqvantum à nobis illuſtratis, qvæ ex Archivis Havnienſibus deprompta Chronicis Regis *Friderici* II. *Reſenius* inſeruit, Leones hi inde à Regis *Valdemari* II. tempore & anno 1216. inter corda promiſcuè & incerto numero diſſeminata viſuntur, usq; dum tempore Regis *Erici Pomerani* anno 1397. ad novenum numerum in ſigillis redacta eſſent atq; in una ſerie leonibus his antrorſum adjuncta. Poſtea tamen usq; ad *Chriſtiani Tertii* tempora & annum 1546. in ſigillis prorſus neglecta ſunt, in numis verò, ante Regis *Chriſtiani Qvarti* imperium, haud uſitata. Moneta eſt urbis Tychopolitanæ, boni ominis causâ Glückſtadt / i. e. Tychopolis appellatæ, qvam Auguſtiſſimus Rex CHRISTIANUS IV. anno 1620. in tractu regionis Wildnüs in Stormariâ munimento inexpugnabili firmare cœpit. Præſidium eſt Ducatûs Stormariæ tutiſſimum, ex qvo potentiſſimus Rex & dominium Albis, qvà Nordalbingiam alluit, ut Princeps Imperii ſibi vindicavit & hoſtes felici manu terrâ mariq; repreſſit, adeò ut etiam fortiſſimi oppugnatores munitionem hanc non ſine ingenti clade vel inexpugnatam vel intactam ſemper reliqverint: Hic copiæ Fridlandicæ anno 1628, caſtris crematis, obſidionem ſolvere coactæ ſunt, poſtqvam exiguo temporis ſpatio tria illarum millia obſeſſi, Duce *Marqvardo Rantzovio*, occidiſſent: Hic in Albi Magnanimus Rex anno 1630. pro tribus ab Hamburgenſibus ſibi per temeritatem ablatis navibus, per dies tres, nempe d. 4, 5 & 6 Septembris, totidem numeravit victorias. Ter qvippe navali hoc prælio fuſi fugatiq; ſunt Hamburgenſes, imperio Albis faſtu qvodam turgido tunc inhiantes, qvorum Conſul, qvi pro tempore hoc Thalaſſiarchus conſtitutus erat, prælio ingraveſcente, portum ſibi tutum qværens, navi ſauciis & occiſis onuſtâ Ritsbyttelenſem petiit, pugnam poſtridie qvaſi inſtauraturus eſſet; At cum ſe viribus minimè pares re ipſa cognoverint Hamburgenſes, interceſſionem Fœderati Belgii efflagitarunt, ſua ſponte reſtitutis Regi, qvas diximus abreptas, navibus. Spe verò ipſos fruſtrante, poſt aliqvot reſarciendæ gratiæ ab Interceſſoribus actos conventûs, res ad Imperatorem Romani Imperii eſt delata, qvi, probante Collegio Septemvirali, in damni compenſationem, qvam Rex urgebat ex Hamburgenſibus, vectigal aliqvod eodem nomine à præternavigantibus Tychopolin mercatoribus exigendum adjudicavit, prout nobis etiam teſtis eſt *Joh. Cluverus* hiſtor. Epitom. pag. 764., id qvod deinde aliqvot centenis Imperialium millibus redimere Hamburgenſes coacti ſunt.

Tab. V.

No. 22. CHRISTIANUS IIII. D. G. DANIÆ. NORV. VAND. GOTO. Q. REX. *Effigies Regis.*

REGNA FIRMAT PIETAS. *Insignia Regnorum circa oram numi velut in circulum disposita. In medio Rex, ceu cataphractus Eqves, ex galea Struthionis plumam oblongam pendulam habens.*

Ejusdem fermè est ponderis cum proximè antecedenti numo.

Tab. VI.

No. 23. CHRISTIANUS IIII. D. G. DAN. NORV. VAND. GOTO. REX. *Rex corpore erecto, instar Imperatoris.*

GOLTBURGUM. *Sub qvo castelli facies obsessi.*

In primâ numi parte Rex potentissimus copias suas in oppugnationem *Goltburgi* anno 1612. ducens conspicitur. Expugnatâ igitur Svecorum arce Elfsburgo d. 23. Maji anno 1612. tantâ alacritate omnia decrevit & expedivit, ut Præfectus *Goltburgi* octiduo elapso, post duplicem Danorum assultum claves castelli ad pedes Regis provolutus victusq; deposuerit. Alterum numi latus situm castelli formamq; exhibet, 80. machinis bellicis & 70. pulveris nitrati tonnis instructi, & unâ cum navibus bellicis 6, stationem ibi habentibus, dediti. Numisma est perelegans, & propemodum unciale.

No. 24. CHRISTIANUS IV. DAN. NORW. VAND. GOTH. REX. &c. *Icon Regis.*

PRO RELIGIONE ET LIBERTATE. *Brachium armatum è nube, infrà* BIBLIA, *qvibus impositum candelabrum cum candelâ ardente, pæne consumtâ.*

Regis Augustissimi facies in parte anticâ numi cernitur, Ecclesiæ Christianæ Defensoris indefessi, qvi anno 1625. Euangelicæ RELIGIONI & LIBERTATI, qvæ bellorum interventu ungvibus Aqvilæ ferè exanimes hærebant, suppetias tulit, veræ Religionis jam periclitantis zelo inflammatus & qvotidianis Germaniæ suspirantis precibus fatigatus, splendidisq; Principum summorum legationibus & colloqviis. In latere numi adverso pandectæ sacræ cum lucernâ ardente sub brachio armato conspiciuntur, indicio luculento incœpti regii laudabilis *Pro Religione & Libertate.* Et qvamvis molimina hæc heroica & Christiana aliqvam interim sortita sint catastrophen, ob defectiones inprimis fœderatorum & subleſtam fidem, ab incœpto tamen laudabili veræ Religionis amore excitatus Rex prius haud destitit, qvàm eam anno 1629. Lubecæ cum Imperio Romano iniisset pacem, qvæ Herois tanti meritis digna videbatur, gloriæ immensæ plena, Religionis veræ ac Libertatis publicæ ferax.

Notatu certè dignum occurrit in aurei hujus numi postica brachium illud armatum, qvod circa hæc tempora cœpit esse Ordinis Eqvestris τερμήϊον illustrissimum: Nam postqvam Rex Gloriosissimus anno 1616. d. 2 Decembris Coldingæ in Regia arce Arensborg & freqventissimis comitiis feudò Ducatûs Slesvigensis Celsissimum Holsatò-Gottorpiensem Ducem *Fridericum* per Legatos, Dnos *Godeschalcum Wensinum* & *Johannem von der Wisch* ICtumq; *Georgium Heistermann*, feudum petentem, investierat, postridie Brachii armati Eqvites auratos 12. Dominos nempe & magni nominis Proceres, *Christianum Frisium*, Regis Cancellarium: *Georgium Lun-*

Lunge, Regni Mareſchallum: *Albertum Scheel*, Regni Thalaſſiarchum: *Bredonem Rantzovium*, Havniæ Regis Vicarium: *Gerhardum Rantzovium*, in Ducatibus Schlesvigæ, Holſatiæ &c. Regis Prætorem: *Andream Bilde*, regni Senatorem: *Dethlevum Rantzovium*, Senatorem Regium in Holſatia: *Andream Sinclar*, Regis Præfectum in Gladſax: *Janum Sparre*, Regium Præfectum in Aahusgaard & Chriſtianſtad: *Marqvardum Pens*, Præfectum Regium in arce Segeberg: *Ulricum Sandberg*, in Lundenæs itidem Regis Præfectum, & *Georgium Scheel*, in Calloë Regium Præfectum, Rex inclytus ob fortia facta, qvibus in bello contra Svecos anno 1611. ſuam extenderunt virtutem, ibidem magnificè creavit, enſis regii levi tactu utrosq; eorum humeros & capita feriens, Ordinisq; ſplendidâ teſſerâ pectora clementer decorans. Omnibus enim ex faſcia cærulea in pectore, de collo pendulâ, Ordinis teſſera, brachium illud armatum, gemmis in latere exteriori diſperſis, gladiumq; ſtrictum & erectum tenens pendebat. Id qvod in inſtructiſſima Regiæ Univerſitatis Bibliotheca Havniæ prædicti Domini *Andreæ Bilde*, Regii poſtea Campi Mareſcalli nec non Dni. *Georgii Scheel*, tunc Regni Senatoris, icones illuſtres ſatis clarè atteſtantur, è qvorum collis in faſcia cærula pictum & pendulum videmus hujus Ordinis inſigne, adamantibus oppidò diſtinctum & encauſto elegantiſſimo exornatum. Fuſiùs de his *Encom. Regni Dan.* pag. 29. & *Heldewad. relat. vernac.* Havn. 1617. impreſſ. Ut verò illuſtrior hic fieret Ordo Eqveſtris, qvi noſtratibus **Kaarde-Ordenen**, i. e. gladii Ordo eqveſtris dicitur, eminentiori poſtea deprehendimus eum fuiſſe coadunatum, loco qvippe coronati characteris nominis Regii in anteriore latere elephanti turriti, teſſera qvi illuſtris eſt Ordinis Elephantini, inter qvatuor adamantes diſperſos vel ſub uno, addito nomine Divino יהוה brachium hoc armatum juſſu Regis eſt appoſitum, translato monogrammate hoc Regio in turrim elephanti, medium & anticum latus, qvemadmodum in effigie glorioſiſſimi ejusdem Regis, annum ætatis 64 agentis, Madriti anno Chriſti 1641. à *Juan de Noort* æri inſculpta, ut exſtat illic, reperitur, in latere Elephanti exteriori & medio clypeolus aut ſpatium aliqvod qvadratum, angulatim adamantibus illis diſtinctum, qvod brachium illud armatum cum gladio ſtricto oſtentat. Elephante deinde tantùm uno adamante magno primum, poſtea verò qvinq; in recordationem piam, ut putatur, qvinq; vulnerum Chriſti ad formam crucis diſpoſitis, regnantibus glorioſæ memoriæ Monarchis FRIDERICO III. & CHRISTIANO V. in latere exteriori inſignito & præterea amalgamate albo inducto Eqvites aurati nec in armis aut calcaribus, nec per gladium ampliùs creabantur, ſed teſſera hac Elephantinâ donati Eqvites ejusdem Ordinis illuſtriſſimi habebantur, & adhuc ſecundùm Ordinis hujus eminentiſſimi ſtatuta, anno 1693. ab Auguſtiſſimo glor. mem. CHRISTIANO V. tandem adaucta, habentur. Numus eſt inſignis moduli, duas, & qvod excurrit, uncias pondere æqvans.

Tab. VI
No. 25. Conflictus qvidam Leonis cum caballo, *Infra ad oram numi:* ANNO M. DC. XXVI.

In poſtica:

FRUSTRA TE OPPONIS, FRÆNANDE CABALLE, LEONI.
ALBUS ERAS, RUBEUS, SI MODO PERGIS, ERIS.

Conflictus inter Leonem & Caballum acerrimus in primâ numi facie aſpicitur. Ex numero æræ Chriſtianæ 1626. apparet Leonem arctoum cum caballo albo aliqvando ob fidem minus ſervatam Hamelii colluctatum fuiſſe, qvod & diſtichon in numo adverſum & rerum geſtarum gnari uberiùs evincunt: Leo qvippe pactorum tenax & fœdifragos exoſus, illatam ſibi injuriam ſic intrepidè vindicavit. In cujus rei memoriam perennem Havniæ in horto Regis Roſenborgenſi ſchema pugnæ ejusdem conſpicitur, juſta luctatorum magnitudine Tychopoli ex ære faberrimè fuſum, & inde illuc allatum & erectum, qvemadmodum & *Johan. de Lerbeke* p. 22. meminit ſtatuæ Leonis fuſilis, qvam Fortiſſimus Princeps *Henricus Leo* anno 1164. Brunsvigæ ex ære conflatam erigebat, cùm enim Dux hoc anno plures hoſtes acciperet, ut omnibus oſtenderet, qvanti molitiones tot & tam potentium hoſtium faceret, ſignum hoc ſtatuit, animi imperterriti evidens indicium. Numiſma eſt ſpectatæ magnitudinis, tres uncias propemodum pendens.

Tab. VI.

No. 26. CHRISTIANUS IV. D. G. DANI. NO. VA. GO. REX. *Rex eqves, & Havnia novo exſtructo Uraniburgo exornata.*

יהוה DIRIGE MEUM. FIAT VOLUNTAS SICUT IN COELO ET IN TERRIS.

Mnemonicon inſigne eſt Uraniburgi, una cum templo S. Trinitatis, anno 1637. à Divo CHRISTIANO IV. fundati & in ſummum usq; anno 1642. pro excolendâ Aſtronomiâ Havniæ erecti, qvod ſtructuræ mirabilis venuſtate & artificio inter reliqvas orbis Arctoi fabricas omnium in ſe oculos convertit, deſolato in inſulâ Hvenâ Mathematici Summi *Tychonis Brahe* Uraniburgo ſubſtitutum. Structura hæc interiùs cum cochlea, cujus cochlidibus ſatis amplis & curru & pedibus ad ſummum faſtigium nullo labore emergitur, ad altitudinem aſſurgit 150. pedum, cujus, qvæ ab imo in ſummum circularis eſt, area diametrum pedum ſexaginta habet. Inter cetera organa aſtronomica rara hic viſitur mirificus ille globus Tychonicus, qvem Celſiſſimus Princeps, *Uldaricus* Regis CHRISTIANI IV. filius, Nyſsâ in Sileſia ab eodem Heroe anno 1632. captâ, huc anno 1633. afferri curavit.

Symbola pia in poſtico numi latere, argutæ inſcribtioni turris memoratæ inventò haud abſimilia, & tantò auguſtiora, qvantò majorem ſpirantia pietatem & voluntatis divinæ reverentiam. Cor enim coronatum illuſtri tetragrammate יהוה inſignitum, velut media hujus inſcribtionis pars hoc nomine coruſcat. Solum Jehovam Regum cordibus imponere coronas Rex Glorioſiſſimus conſtanter ac piè hoc corde coronato faſſus eſt, qvamobrem & in יהוה ejusq; voluntate imperſcrutabili omne regni ſui robur omnemq; fortunarum ſpem eſſe devotè agnoſcebat. Symbolis his piis, ſub Divini Nominis coruſcatione & tutelâ, Pium illum Patrem Patriæ in ſigillo literis Regiis præſignato, interdum uſum fuiſſe ex archivis Regiis qvoq; percipimus. Numus eſt elegans, qvi unciam auri pondere fermè æqvat.

No. 27. CHRISTIANUS. IIII. D. G. DA. NO. VA. G. Q. REX. *Rex eqves & cataphractus ſatellite comitatus.*

REGNA FIRMAT PIETAS. *Inſignia Regnorum plena.*

Numiſma eſt magnitudinis inſignis, & plusqvam unciale.

Tab.

N° 24.



N° 25.



N° 26.







N° 28.

FRUSTRATE
OPPONIS, FRÆNANDE
CABALLE, LEONI,
ALBUS ERAS, RUBEUS
SIMODO PERGIS, ERIS.

N° 23.



N° 27.



N° 27.







N° 28.



Tab. VI

No. 28. CHRISTIANUS IIII. D. G. DANI. NOR. VAN. G. Q. REX. *Rex eqves, infra Vrbs Havnia.*

REGNA FIRMAT PIETAS. *Icon Regis in medio, circa oram Regnorum insignia.*

Eqves ut plurimùm Rex in his præcedentibusq; numis conſpicitur, præcipua enim adoleſcentiæ ipſius voluptas fuit eqvos ad pernicitatem in aperto campo exercere, qvod etiam adultæ ætatis cùm eſſet, non minus amavit, ut etiam *Carolus Ogerius* in ſuo itinere Danico Lutetiæ Pariſiorum 1656. impreſſo de Rege illo pag. 57. verè prædicaverit, *vix fuiſſe qvemqvam, qvi majore induſtria ferocientem eqvum inſiliat ac domet:* Et qvantis laudibus idem pag. 54. extollit Regis noſtri alacritatem, *qvi tametſi qvinqvageſimum ſeptimum ætatis annum tunc ſuperaverit, ut etiam omnibus, qvæ corporis exercitatione fiunt, muneribus obeundis inprimis idoneus fuerit.* Numiſma hoc ſecundùm bonitatem & pondus ſtateris Portugallici eſt percuſſum. Cuſum creditur poſt annum 1627., cum in numi averſa appareat ſupra caput Regis corona clauſa, vix enim antea in numis ita coronatus conſpicitur, prout numi aurei anno 1628. inſeqventibusq; annis cuſi hic teſtantur, tabulâ hâc proximâq; æri inciſi. Illud præterea in hoc numo obſervandum, ex faſcia pendere ſub effigie Regis elephantum ex aurò ſolidô, non ut antea in numis expreſſum, qvibus numis ex torqve aureo pendulis, cum elephantis typo donati etiam perhibentur Eqvites Aurati olim facti, hic verò ſolidus ſine nummo pendet elephantus, prout hodie Eqvitibus creatis confertur.

Tab. VII.

No. 29. CHRISTIANUS. 4. D. G. DANI. R. NORVEGI. VANDA. GOTOR. Q. REX. 1628. *Coronâ regia opertâ.* R. F. P.

Coronatus aùri probi eſt Danicus, noſtratibus olim **en atten Marks Guld-Crone** / à ſuo valore anno 1619. octodecim marcas Danicas, anno verò 1648. novendecim, vi edicti monetarii, valens, & coronâ in averſa numi parte ſic denominatus. Fermè ejusdem typi hic exſtant integri, dimidii & qvadrantes Coronati, annis 1619. 1621. 1628. 1630. 1632. 1633. 1635. 1637. 1648. procuſi, inter qvos oppidò ſingularis eſt, upupâ in poſtica numi parte anno 1621. percuſſus, in memoriam perennem Conſultiſſimi Viri, *Michaelis Wibe*, Conſulis Havnienſis meritiſſimi, qvi tunc temporis Regiæ fuit monetæ ſummus cuſtos, avem hanc in ſuo pro inſignibus ſcuto portans, qvemadmodum in numis argenteis diverſi typi, ſplendidâ etiam ſerie, avicula hæc viſitur. Et qvemadmodum numi hi varias paſſi ſunt æſtimationes, ſic & denominationes, duplices enim olim vocabantur, qvi nunc pretio eodem ſimplices habentur, ſimplicesq; ſeu integri qvi qvondam appellabantur, jam dimidii ſunt, & qvi nunc qvadrantes, nomine dimidii antea veniebant, prout ex edictis monetariis ejusdem Regis eluceſcit.

No. 30. CHRISTIANUS. IIII. D. G. DANI. 1628. *Rex opertâ coronâ exornatus.* NORV. VANDA. GOT. Q. REX. *Daniæ inſignia.*

Dimidius dicitur coronatus aureus, cùm etiam idem exæqvet pondus.

No. 31. CHRISTIANUS 4. D. G. DANI. N. V. G. REX. *Rex coronâ item opertâ ornatus.*

MONE-

MONETA NOVA AUREA. 1629. *Elephas, cui impoſita turris militibus repleta, in dorſuali* C. *coronatum.*

Ejusdem cum prioribns, ſub numeris 13. & 17. Tab. hujus inſertis, eſt ponderis, probitatis & typi.

Tab. VII

No.32. CHRISTIANUS IIII. D. G. DANI. NO. V. G. REX. 1629. *Crux.*

יְהוָה DIRIGE MEUM. FIAT VOLUNTAS SICUT IN COELO ET IN TER.

Qvadrans creditur eſſe ſtateris Danici, ſecundùm bonitatem qvadrantis Portugallici cuſus, crucem utpote in parte antica exhibens, ſed qvia in eo non talis habetur inſcribtio, uti in ejusdem typi numis fieri aſſolet, Crucem Dannebrogicam Regem hic indicaſſe non eſt, qvòd dubitemus, cujus ſigno, ut *Woldemarus* noſter victoricſus, hoc anno Venit, Vidit, Vicit. Nam eodem anno numus hic cuſus videtur, qvo Rex glorioſisſimus contra Cæſarianos cum copiis apparatisſimis in Angliam, Slesvigæ Ducatûs peninſulam, mari trajiciebat, ut Juticos Cæſaris exercitûs ab Holſaticis diſcluderet. Rex itaq; piis in poſtica numi votis cœlum ſolicitans tantum terroris hoſtibus expeditione hâc incuſsit, ut ſummâ feſtinatione pax Lubecæ conficeretur. Autorem certè *Cluverus hiſtor. Epitom. p.757.* habuit, Ducem Cæſarianum, Altringium, laſſatis præ feſtinatione ad mortem eqvis, Cæſarianos Legatos adiiſſe, & ad pacis conſilia, commemorato periculo, excitaſſe. Belli hujus causâ juſtisſimâ Rex fretus, ſibi pacem, ſalutis ſubditorum & gloriæ æternæ plenam, tandem vindicavit. Meritò igitur numis ex argento truncatis & eodem anno percuſsis inſcribi fecit: Tandem bona cauſa triumphat. R. D., qvorum typus elegans, qvi *Joh. Mulenio* in ſuis *numismatibus Dan. Claſſ. III. ſer. IX. No.* 2. fuit rarus, hic exſtat.

No.33. CHRISTIANUS IIII. D. G. DAN. R. *Rex erecto corpore cataphractus & regiis ornamentis decoratus, inter pedes tulipa floreſcens.*
JUSTUS יְהוָה JUDEX. 1644.

Integer eſt Ducatus & primus, qvem poſt ducatos ejusdem Regis, anno 1591, 1607, 1615 & 1627. percuſſos, nobis contigit videre.

No.34. CHRISTIANUS 4. D. G. DAN. R. *Rex modo prædicto exornatus.*
JUSTUS יְהוָה JUDEX. 1654.

Dimidius eſt ducatus: Ejusdem typi & ponderis dantur etiam anno 1644. & 1646. cuſi, qvemadmodum & qvadrantes anno 1647.

No.35. CHRISTIANUS IIII. D. G. DANI. N. V. GOT. R. *Regis Icon.*
DUX SLES. HOL. STORMAR. ET. DITM. COMES IN OLDEN. ET DEL. *Inſignia regnorum plena.*

Numus eſt oblongus, ſesqvidrachmam auri, & qvod excedit, pendens.

No.36. CHRISTIANUS IIII. DAN. NOR. GOTTO. VANDALO. Q. REX. *Regis icon elegans, ſub qvo:* J. BLUM.

JUSTI-

N°29.



N°30.



N°31.



N°32.



N°33.



N°34.



N°35.



N°36.



N°37.



N°38.



N°39.



N°40.



N°41.



N°42.



JUSTITIA ET PIETAS REGNORUM ROBORA FIRMAT. *Juſtitia & Pietas ad arborem truncam ſtantes, quas divinum tetragramma* יהוה *illuſtrat & fovet.* 1645.

Moneta, qvæ inter elegantiora Danorum numiſmata à *Joh. Mulenio numiſ. Dan. Claſſ. 3. Ser. 18. N. 7.* cenſetur, arte *J. Blumii* affabrè inciſa. In prima numi parte Regis fortiſſimi, fermè ſeptuagenarii, facies conſpicitur, qvi anno, qvo numus hic cuſus eſt, qvemadmodum & proximè præcedentibus aliis, licet ſeneſcens, multum terroris hoſti incuſſit, jam in mari Themiſtocles, jam in terrâ Alexander. Qvàm acriter & invicto animo adversùs Svecorum claſſem & ex Bataviâ mercenariam in Oceano anno 1644. d. 16. Maji propè inſulam Silæam pugnaverit, loqvetur omni ævo poſteritas ſera. Magnum ſanè fortitudinis Regiæ documentum inprimis hic emicuit, dum ad inſulam hanc, ſex navibus inſtructus, non modò cum prædictæ claſſis hoſtilis 24 navibus initio pugnaverit, ſed & ſola qva vehebatur prætoria, qvæ Trinitas dicta, per duas integras horas impetum hoſtilem ſuſtinuerit & repreſſerit, donec vento faventiore naves ceteræ in ſubſidium appropinqvarint, ex qvarum adventu hoſtis acriori Regis inſultui non ratus eſt ulteriùs obvertere vires; itaq; in fugam ſe conjecit, non ſine ingenti clade & laceratis tabulis portum, claſſis reſarciendæ causâ, petens. Meritò reſponſum hîc Regium laudatur: De cœlo dimicatum eſt pro nobis, cùm Senatores Regni Regi invictiſſimo ſubmiſsè ob partam hanc gloriosè victoriam gratularentur. Reſarcitis jam tabulatis, claſſis hæc mercenaria menſe proximè ſeqventi cum Svecica conſociari conata eſt, qvam tecto latere tandem in Balthico mari invenit, ut unitis viribus & Ducibus Svecorum *Flemmingio* & *Lauhuſio*, qvi juvabant hanc operam, rei maritimæ & per Sveciam Præfecti Summi, cruenti adhuc vulneris vindictam ſumeret. Mox 1. Julii anni ejusdem cordatiſſimus Rex claſſis tantùm viginti qvatuor navibus benè armatis Svecicam non procul freto Kilonienſi adortus, qvadraginta ſex navibus bellicis inſtructam, forti manu ita repreſſit, & tandem, vario qvamvis Marte & *Ulfeldiis* noſtris à latere Regis cæſis, diſſipavit, ut, *Lauhuſio* interfecto, aliqva claſſis Svecicæ manus in Wiſmariæ portum, reliqva *Flemmingio* Duce, in fretum ac portum munimenti *Chriſtianprii*, qvod Kilonio haud procul diſtat & à Svecis occupatum tunc erat, ſeſe recipere coacta fuerit, adeo ut ex iſtis 46 navibus vix triginta easq; qvaſſas & laceras fugâ Sveci ſubduxerint. Itaq; Rex copiis in continentem portûs ejusdem muniminis expoſitis, occupatoq; omni aditu, aggerem tormentarium excitari juſſit, ex qvo claſſem Flemmingianam in ſubjecto portu ſtantem majorum tormentorum miſſilibus & globis verberari curavit, qvò factum porrò legimus, lib. 10. p. 598. de bellis Germ., autore *Joſepho Riccio Brixiano*, qvòd ingens globus ferreus tormento Danorum excuſſus Flemmingio dextrum, d. 29. Julii, abſtulerit femur, eaq; ex plaga animam Navarchus hic perqvam ſtrenuus efflaverit, cujus mortem Svecorum *Helmius Wranglius* valida bellatorum manu non adeò poſtea in continenti vindicavit, qvin claſſis hæc, Duce ſuo peremto, cauſam habuerit proximè ſeqventi die 2. Auguſti ex portu hoc ſeſe ſubducere Regi, in alto hoſtem exſpectanti, cujus manus & vim non evaſiſſent, ſi modò prudentia *Galthio* noſtrati, juxta fretum excubias agenti, adfuiſſet. Fortia itaq; hæc facta invictiſſimi Regis ad cœlum usq; laudi-

bus meritò qvoq; exteri extollunt, inter qvos *Le Sieur la Boullaye le Gouz* parte 3. c. 41. itinerarii, *Ce Prince*, inqvit, *eſt de revivre dans la memoire des hommes pour ſa generoſité, les actes, qu'il en a produits dans ſes dernieres guerres, font foy de mon dire, lorsq; ſon Conſeil s'oppoſa a l'expoſition, qu'il vouloit faire de ſa perſonne pour combattre ſur la mer les Suedois, il diſt: a t'on jamais leu, qu'un Roy de Dennemark ſoit mort ſur la mer.* Et verè de Rege hoc *Carolus Ogerius* in ſuo itinere Danic. p. 57. prædicavit, *vix fuiſſe qvemqvam Regem, qvi pari audacia in media tempeſtate navim conſcenderit, ventisq; aut mari fidentiùs ſe commiſerit.* Rex inde, poſt devictam hoſtilem claſſem d. 5. Septembr. anno 1644. terræ continenti cum lectiſſimâ militum manu confeſtim ſe commiſit & in Scaniâ Malmogiam ab hoſtili aſſultu liberavit. Geſſit enim bella Rex Potentiſſimus terrâ mariq; non per alios, ſed ipſe proprio Marte ducens copias, oppugnans atq; expugnans arces & urbes munitiſſimas, disjiciensq; hoſtium claſſes etiam inſtructiſſimas, qvi more Alexandri Magni nil procraſtinando, tam nocturnis qvàm diurnis profectionibus ſuorum hoſtium animos ita dubios reddidit, ut potiùs certis conditionibus pacem ſtatuere, qvàm diutiùs cum eo bellum gerere optarent, plura verò de his hiſtoriographis noſtratibus diductiùs commemoranda relinqvimus. Emblema truncatæ arboris in poſtica numi parte ſub Divini nominis coruſcatione Pietatisq; & Juſtitiæ cuſtodia recreſcentis, vitam pii & juſti Regis grandævam floremq; Regni haud marceſcentem indicat: Firmiſſimum qvippe regnorū ſuorū fundamentum **juſtitiam** & **pietatem** poſuit ſecundùm Apophthegma ipſius regium:

Juſtitia & Pietas regnorum robora firmat.

Numisma hoc perelegans fermè ſesqviunciale eſt.

Tab. VII

No. 37. CHRISTIANUS IIII. D. G. DANI. NOR. VA. G. Q. REX. *Nomen regium Chriſtiani Qvarti cum coronâ apertâ* 1646. R. F. P.

In aversâ:

JUSTUS יְהוָה JUDEX.

Numos argenteos ejusdem typi, at non tantæ magnitudinis, annis 1644. 1645. 1646. 1647. & 1648. cuſos hic invenimus. Qvi verò cum effigie Regis exſtant, ut in hac tabulâ, ex auro tantùm percuſſi videntur. Cauſam inſcribtionis in adverſo numi latere: **Juſtus** יְהוָה **Judex,** *Adamus Olearius in Chron. Holſat. lib. 2. cap. 4.* affert. Orbi qvippe univerſo innotuit, qvantum glorioſiſſimus Rex CHRISTIANUS IV. Religionis illibatæ & libertatis aſſertor ſtrenuus, operæ, æris & temporis turbis Germaniæ pacandis impenderit, qvantum temporibus diverſis per legatos varios allaboraverit, ut in integrum res Teutonicæ reſtituerentur, & ſe ſuosq; eo modo tectos intactosq; ſervaret. In rebus his Rex ille CHRISTIANUS & pacificus mediator electus erat, ſpem tamen pacis omnem præſcindente velut in herba Sveco: Diætam qvippe Oſnabrugæ anno 1643. conſenſu omnium conſcribtam inopinata in Holſatiam & Cimbriam irruptione, Duce exercitûs Torſtenſonio, eluſit & perturbavit. Hinc anno ſeqvente Rex Auguſtiſſimus de vindicta hujus belli cœlum ſollicitans numis memoratis apophthegma ſeqvens inſcribi voluit:

JUSTUS יְהוָה JUDEX.

Nu-

Numus hic, qvi ſpectatæ admodum eſt magnitudinis, uncias qvinq; unà cum drachma auri pondere æqvat.

Tab. VII.

No.38. CHRISTIANUS IIII. D. G. DAN. NO. VA. G. REX. *Imago Regis integro erecto, corpore cataphracti, cum adſtante galeâ, duobus angelis tenentibus diadema ſuper Regis caput.*

DUX SCL. HOL. ST. DIT. COM. IN. OLD. ET. DEL. *Inſignia Regnorum.*

Numiſma eſt elegantiſſimum, uncias duas cum qvadrante pendens.

No.39. CHRISTIAN. 4. D. G. DAN. R. 1646. *Imago Regis integra.*

NOR. VAND. GOTO. REX. *Inſignia regni Daniæ.*

Dimidius eſt Ducatus.

No.40. CHRISTIANUS 4. D. G. DAN. R. *Rex corpore erecto cataphractus & ornamentis regiis ornatus.*

In aversâ

Perſpicillum. Infra.: VIDE MIRA DOMI. 1647.

Numiſma rarum eſt & oppidò ſingulare. Artis ejusdem ducati integri, dimidii & qvadrantes hic extant anno eodem percuſſi. *Ex auro Norvagico* cuſos *Joh. Mulenius Claſſ. 3. ſer. 20. num. 15.* verè indicat. Aurum nempe arte chemica *Caſpari Harbach* (qvi ob ſua in metallis transmutandis ſtudia Regibus Daniæ CHRISTIANO IV. & FRIDERICO III. carus inprimis acceptusq; fuit) ex minerali qvodam Norvagico, Havniam allato, productum eſt. Ad notandam ergò incredulitatem, qvòd Præfectus rei metallicæ in Norvagiâ rebus his fidem adhibere noluerit, glorioſæ memoriæ Rex CHRISTIANUS IV., artis chemicæ amantiſſimus, in poſtico numi latere perſpicillum exhiberi voluit cum epiphonemate:

Vide mira domi
1647.

In cujus rei veritatem inter metalla rariora mineræ auri portiuncula ſub ſpecie pyritis, qvæ micis freqventibus reſplendet, heic qvoq; exhibetur, qvam Anno 1646., præſente glorioſæ memoriæ *Chriſtiano Qvarto*, ignibus depuratam fuiſſe & ex libra unâ auri puri drachmas ſex prodiiſſe in muſéo ſuo *Wormius* teſtatur. *Adductæ ſunt*, inqvit, *lib. I. ſect. 3. cap. 2. ex eodem Norvagiæ loco* (ex qvo mineras qvasdam auri narrat productas) *minera talcoſa itidem & freqventibus granatis prægnantes, qvas auro ſcatere multi exiſtimant. Hanc mineram Anno 1648. Regi ipſi detexit ruſticus qvidam*, **Gammel Grodevin** *dictus, ſita fodina eſt ad portum* **Marede** *& prope* **Barebye**. Rectiùs verò, ut Sect. VII. part. I. partim meminimus, ruſticus ille nominatur **Gammel i Grødevejen** / ab habitationis loco denominatus: patet enim è diplomate Regio M. S., qvod tum temporis die 3 Aug: ab oneribus omnibus & tributis ruſticum hunc eximit, cum vocatum fuiſſe **Gammel Giordſøn** in **Grødevejen**. Nec minus rem illuſtrat Regis hujus mandatum M. S. Arendaliæ in Norvagia anno eodem degentis, qvod Toparchæ & inſpectori aurifodinæ hujus *Cajo Kruſe* pridie datum erat, ut mineras hìc erutas Havniam afferri ſedulò curaret. Præterea certò certiora indicia qvoq; exteris hæc eſſe poterint auri ex ultimo Septentrione minimè exſpectati, qvi

ſæpius id, ut fruſtra hic qvæſitum, riſerunt; hincq; aurum ibi inventum, excoctum & in numos redactum eſſe nunqvam credere poterant, cujus tamen memoriam perennem non ſaltem numi hi, ſed & glorioſiſſimi Regis CHRISTIANI V. ducati ex effoſſis Norvagiæ mineris auri, qvàrum aliqvæ hic etiam ſuperſunt, anno 1697. procuſi conſervant.

Tab. VII.

No. 41. CHRISTIAN. 4. D. G. D. R. *Effigies Regis corpore erecto, cataphracta regiisq; ornamentis decora.*

JUSTUS יְהוָה JUDEX 1647.

Qvadrans eſt ducati.

No. 42. CHRISTIANUS IIII. D. G. DAN. R. *Rex erecto corpore cataphractus, ornamentis qvoq; regiis decoratus.*

JUSTUS יְהוָה JUDEX. 1648.

Pondere exæqvat numus hic duos ducatos, cuſus eſt eodem anno, cujus dies 28. menſis Februarii Regi huic plusqvam ſemiſeculari Havniæ in arce Roſenburgo fuit emortualis, qvippe ad gubernacula imperii ſedit annos 52, mortuus anno ætatis ſeptuageſimo primo.

REGIS
FRIDERICI TERTII.

Tab. VIII.

No. 1. FRIDERICUS D. G. ARKE. BREM. E. V. C. HA. H. N. D. S. H. S. D. C. O. E. D. *Literas has ita interpretamur;* *Dei Gratia* ARchiepiſcopus BREMenſis, Epiſcopus Verdenſis, Coadjutor HAlberſtadenſis, Hæres Norvagiæ, Dux Slesvici, Holſatiæ, Stormariæ, Dithmarſiæ, Comes Oldenburgenſis & Delmenhorſtanus. *Effigies Archiepiſcopi.*

Alteri parti nihil impreſſum eſt.

Bulla hæc ſive numus, altero tantùm latere ſignatus, Principis hujus honores in memoriam revocat, ad qvos ob ingentia ſua merita evocatus erat. Primùm qvippe *Philippus Sigismundus* Præſul Oſnabrugenſis Diœceſis Verdenſis mitram anno 1623. illi detulit. In ſpem deinde ſucceſſionis primùm à Clero ejusq; Antiſtite, ad Coadjutoriam dignitatem Archiepiſcopatûs Bremenſis anno 1631. expetitus eſt, hinc Archiepiſcopatum ipſum obitu Reverendiſſimi & Celſiſſimi Principis *Johannis Friderici* vacuum anno 1636. d. 9. Maji ſuſcepit, eundemq; decem annorum ſpatio prudentiſſimè geſſit. Et qvamvis partium ſtudio, qvo miſerè Germania dilacerabatur, circumſpectè interim abſtinuerit, è publica tamen Orbis calamitate ſe extricare adeò non potuit, qvin eidem involveretur, armisq; vicinorum, patriæ ſuæ jugulo intentis, præter exſpectationem infeſtaretur. Et eam inprimis ob cauſam, qvòd patriæ jam labaſcenti ſuppetias ferre allaboraret, Regiq; Patri, qvi in Scaniâ copiis tunc præerat, vicariam in Cimbriâ operam præſtaret. Bulla ſeu numus hic ſesqviducati tantùm eſt pondere.

Tab.

N. 1.



N. 2.



N. 3.



N. 4.



N. 5.







N. 6.





N. 7.





N. 8.





N. 10.



MAGNANIMIS
PRETIO, QUOS VIS
VEL SUSCITAT ASTUS,
IAM DEBELLATIS
UNDIQVE TUTUS
ERO.
XIV NOVEMB:
MDCLIX.

N. 9.





N. 11.





Tab. VIII

No. 2. FRIDERICUS III. D. G. DAN. NORW. GOT. VAND. REX. DUX. SL. HOL. ST. DIT. COM. IN OLD. ET DELM. *Imago Regis.* 1648.

A parte altera.

SEHT WIE DER FRIED JEZ ZIERT DIE WELT, DA FRIEDRICH KROHN UND SCEPTER HELT. *Typus Pacis, dextrâ ſtellam tenentis, ſiniſtrâ palmæ ramum, ſub qvo liber cum inſcribtione: DAS HÖHESTE GÜTH.*

Heroi invicto, qvi mala patriæ confertim ingruentia animo forti averterat, fato ordinem turbante, inſignia imperii & ſceptra Anno 1648. capeſſenti, ſic averſa numi inſcribtione gratulatur, de cujus futuro imperio vaticinationes variæ hinc inde innotuerant. Fuſiùs de his *Viti Bering. Memor. Frid. 3. Fortuna Frid. III. ab. Hieronym. Weiſio adorata, & Joh. Brœmer. in Conc. funebr. Frid. III.* Et meritò inſcribtione memorata Regi ſuo Boreæ populus ſic gratabatur, alma enim pax, cujus figura in numi poſtica area expreſſa eſt, non tantùm Septentrioni noſtro ad limites Regnorum in Bremſebroe jam dum ſtatuta erat, ſed etiam, cùm præcipua Europæ pars & plaga ſangvine per triginta annos maduiſſet, bellumq; ſe ipſum tam diu ibi aluiſſet, totius Romani Imperii Orbi d. 24. Octobris anno eodem, qvo Rex ille Potentiſſimus gubernacula Regnorum ſuorum d. 23. Novembris capeſſeret, Osnabrugæ obtigerat, turbamentis Germaniæ ſic in totum ſedatis. Numus eſt oblongus, haud mediocris ponderis, uncias nempe duas tresq; drachmas pendens.

No. 3. FRIDERICUS 3. D. GRA. DANIÆ. *Effigies laureati Regis 1648.*

NOR. VAN. GOT. REX. *Vaſculum herbarium cum inſcribtione:* Tandem.

Per plateas in coronatione, anno & die prædicto Regis, ſparſi ſunt inter populum tam in auro qvàm argento ejusdem typi numi qvadrati, varii ponderis & diverſæ magnitudinis, qvi etiam hic ſuperant, plus qvàm ſemunciales qvidam ſunt, minorisq; ponderis usq; ad dimidios Ungaricos ducatos in auro & 12 aſſes Lubecenſes in argento. Poſticæ partis inſcribtio: TANDEM cum vaſculo floris proliferi, decerpta videtur ex hemiſtichio: *Tandem fit ſurculus arbor*, ut innueret Optimus Princeps, ſe qvidem regno haud deſtinatum, cum Frater natu major dudum homagia ſucceſſionis ſuſcepiſſet, TANDEM ſibi regni gubernacula tradita fuiſſe poſt Fratris Patrisq; mortem.

No. 4. FRIDER. III. D. G. DAN. NOR. VAN. GOT. REX. *Imago Regis itidem laureati.*

DUX SLES. HOL. STOR. DITM. COM. OLD. & DELM. *Inſignia regnorum integra.*

Numus eſt elegans, duas uncias drachmasq; tres pondere æqvans.

No. 5. FRIDERICUS III. D. G. DANIÆ, NORW. VANDALORUM GOTHORUMQ; REX. *Effigies laureati Regis, infra: BLUM.*

Ab altera parte navis conſpicitur.

Regis lauricomi iconem pars antica numi exhibet, *J. Blumii* arte exqvisitissimâ effictum, posterior verò navem adverso vento navigantem, cujus puppis verbum TANDEM, prospera qvæq; indicans, sibi inscribtum monstrat. Numus est ex auro Guineensi cusus: Ut Regno enim opes nervosq; conciliaret Rex Potentissimus, anno 1653. subditis suis Helsingoræ, Bergis & Havniæ in insulas Caribicas navigantibus, mercibus pretiosis magnaq; auri vi anno 1655. inde in reditu onustis, non saltem immunitates insignes impertitus est, sed & antea, qvemadmodum Successores ipsius Potentissimi postea, navigationes multas in regna Guineæ aurifera *Fetu, Congo, Acara* & *Qvamböa* instituì curavit, eò ferè modò, qvo naves in Ophir Salomon emiserat aurum apportaturas. Tot & tantæ navigationes qvæ adeò successerunt, ut castella bene munita hic & illic ad commercia tutiùs propaganda nostrates in Guinea usq; ad invidiam exædificaverint, qvorum sub tutela suas in regnis memoratis mercaturas tam feliciter fecerunt, ut multa millia marcarum auri & merces insignes in emolumentum Consortii Indiæ Occidentalis & Guineæ, qvod Havniæ immunitatibus Regiis munitum est, annis seqventibus illinc adportaverint. Præcipuum, qvod ibi exstructum nunc exstat munimentum Danorum, est *Christiansborg*, situm in regno Acara, cujus incolas Rex Qvamböæ olim profligavit & regimen hoc destruxit. Insignis magnitudinis & ponderis numus hic est, auri uncias propemodum tres pendens.

Tab. VIII

No. 6. FRIDERICUS III. D. G. DAN. NOR. VAN. GOT. REX. *Icon Regis coronati.*

DOMINUS PROVIDEBIT. 1653. H. K. *Insignia Regnorum.*

Numisma egregium, qvod curâ Monetarii Regii, *Henrici Köller*, procusum est, qvemadmodum literæ H. K. in numi aversa compressiùs signatæ indicant. Stater Danicus *Mulenio* est, *Class. 3. ser. 23. no. 12., in Numism. Dan.*, ejusdem typi dimidius stater hic qvoq; reperitur.

No. 7. HAFNIA DANIÆ. *Typus Havniæ.*

A parte altera.

CRONBURG. *Typus Castelli Croneburgensis & attritæ propè illud Svecorum classis.*

Conspicitur hic in primo numi latere *Havnia Daniæ*, sedes Regia, ingenio naturæ inter Oceanum utrumq; sita, & mercimoniis totius Orbis ac munimento inexpugnabili clara. Facies urbis anno 1658. à Svecis obsessæ hic cernitur, prout pelago objecta littora & stationes, carinis fidas, complectitur, & superbis tectis claustrisq; marinis egregiè distincta collucet, hinc naves nostræ ad defendenda litora contra Svecorum classem armatæ, se nobis offerunt in occursum Batavæ classis, in Öræsunda fortiter pugnantis, qvæ etsi adversorum ventorum injuria à pugna distinerentur, hostium animus tamen, navibus his adventantibus, non nihil frangi cœpit. Ab altera numi parte conflictus navalis in fretro Codano seu Öræsundâ, anno 1658. d. 29 Octobris, spectatur, inter *Vranglium* Svecorum terrâ mariq; Imperatorem & *Opdamum Wittiumq;* Batavorum Thalassiarchas, & qvamvis *Vranglius* Dux fuerit, qvi alias statione sua nunqvam dimotus stetit, Batavæ sortis violentiæ excusa-

tè

tè cedere hic coactus, qvem ſupra *Opdamum* primo agmine incurſantem, *Wittius* mediâ acie à puppi acriore inſultu premebat. Acerrimè deinde inter *Wittium* & *Bielckenſtiernum* pugnabatur, nec vicit hic, donec, cæſo Duce, navis in vadum illiſa deprimebatur. Interim *Opdamus* hoſtium impetum magnanimum ſolus ſuſtinebat, tandem à ſuis adjutus, & poſt varios cum Svecis propemodum profugis conflictûs, unus inter utramq; claſſem relictus, nec ultra petitus, claſſem ſubſidiariam deniq; urbi defendendæ feliciter attulit, ſolâ Wittii nave deſideratâ, ceteris verò numero 34. ſuperſtitibus. Cecidêre præterea incaſſum Svecorum ignes, qvos explosis machinis ex litoris omni ambitu arciumq; utrinq; pinnis in Batavorum claſſem projecerant. Ex Svecorum interim 42. navibus armatis nonnullæ captæ ſunt, aliæ ſubmerſæ, qvædam in fugâ ad Inſulam Hvenam & Coroniam Scaniæ vadis tumulisq; arenarum illiſæ. Numus, pondere qvi ſesqviunciam duasq; drachmas vix ſuperat.

Tab. VIII
No. 8. FRIDERICUS III. D.G. DANIÆ NORVEGIÆ. *Regis Icon_,*
In averſa:
VANDALOR. GOTHOR. Q; REX. *Navis cum inſcribtione:* Tandem 1658.

Numus qvatuor ducatorum, eodem fere charactere ſignatus, qvo numiſma perelegans, ordine in hac tabulâ qvintum, niſi qvod ventis ſecundis cum inſcribtione Tandem hic navigetur. Dantur ejusdem typi numiſmata alia duorum pluriumq; ducatorum, annis 1657. 1658. 1664. 1666. & 1667. cuſa, ubi ventis qvoq; faventibus naves ferri videntur. Numos tales, magnitudinis diſparis, ex auro Guineenſi juſſu Regis Daniæ FRIDERICI III. efformatos nonnulli exiſtimant, ut oſtenderet, ſe ad clavum Imperii adverſis ventis ſedentem, velut infeſtum ac procelloſum in Republicâ æqvor, qvantum licuit curſu obliqvato, priùs tentaſſe & prudentiâ inſigni ingenioq; excelſo ſic Tandem portum Monarchiæ tutiſſimum ventis faventibus attigiſſe.

No. 9. SOLI DEO GLORIA. *Exſerta è nube manus gladio aliam manum amputans, qvæ coronam appetit ſuperne poſitam, cum adſcribtione* 11. *Febr:*
In poſtico:
DOMINUS PROVIDEBIT. 1659. *Nomen Regium coronatum, infrà: lapis, cui inſcribtum* EBEN EZER.

Manu gladium geſtante Hollandiam repræſentari, qvaſi Havniæ à Svecis obſeſſæ & anno 1659. d. 11. Februarii inprimis oppugnatæ liberatricem, Dominus *Biçot* ait in tractatu qvodam Gallico Amſtelodami edito anno 1688. qvi *l'Hiſtoire Metalliqve de la Republiqve d'Hollande* dicitur, ſed qvàm inconvenienter, ipſum numi emblema abundè evincit. (1) Manus illa gladium geſtans è nubibus exſeritur. Nubes autem præſentiæ Divinæ ſymbolum exiſtit Exod. XL. v. 34. 35. 1. Reg. VIII. v. 10. 11. Eſai. VI, v. 4. (2) Additur Ἐπιγραφὴ Soli DEo Gloria, (3) Rupes ſeu Lapis auxilii, Eben-Ezer (cujus figura infernè in altero latere exprimitur) in memoriam auxilii Divini mirabilis contra Philiſtæos erectus fuit I. Sam. VII. v. 9. 11. Ergò in numiſmate Dei ſolius auxilium ſigni-

ſignificatur. (4) Regium nomen coronatum, id eſt, tam perſona qvàm regnum FRIDERICI III. iſto lapide nititur, qvi Eben Ezer dictus, ut ſignificetur tam illam qvàm hoc à periculis imminentibus non alio auxilio ſervatum eſſe qvàm iſto I. Sam. VII. v. II. memorato; *Usq; huc adjuvit nos Jehova.* (5) Additur emblemati & Eben Ezer in eodem numi latere ſymbolum Regium, Dominus Providebit, ad denotandam Divi FRIDERICI III. in ſolo DEO fiduciam, qvæ ipſum non fefellit, licet in ſummas ab hoſtibus redactum anguſtias: Planè qvemadmodum in eodem loco, ubi poſitus à Samuele Eben-Ezer ob victoriam à Philiſtæis reportatam, antea à Philiſtæis iisdem proſtrati victiq; fuerant Iſraelitæ I. Sam. VI. v. I. 2. (6.) Ex emblematis ad rem ſignificatam applicatione. Qvamvis enim non immediatè hîc DEUS egerit, adeoq; nec abſurdum ſit mediis ſeu inſtrumentis vel cauſis ſubordinatis effectum eundem adſcribere, qvi cauſæ primæ præcipuè debetur, abſurdum tamen eſt uni inſtrumento, ſcilicet Reipublicæ Belgicæ, in totum aſſerere, qvòd per plura collateraliter effectum eſt, per intrepidos nempe Daniæ urbisq; Havniæ cives & milites, qvi mente Regis Auguſtiſſimi igneâ, rebus intentâ, nunqvam otioſâ manu, vultu, voce inflammati & invicti exiterant. Numiſma eſt in victoriæ hujus celebritatem cuſum, & pondus duplicis ſtateris Danici exæqvans.

Tab. VIII

No. 10. *Elephas irritatus, qvi ſeſſorem ſuum dejiciens & proboſcide capricornum indignabundus attollens, angvem ſtimulaturum ungulis contundit.*

A parte aversâ:

MAGNANIMIS, PRETIO QVOS VIS VEL SUSCITAT ASTUS,
JAM DEBELLATIS, UNDIQVE TUTUS ERO.
XIV. NOVEMB. M. DC. LIX.

Ex ærâ Chriſtianâ menſisq; die, numiſmati huic perqvàm nitido ſuppoſitis, anno ſcilicet 1659. & die 14. Novembris, illuſtrem Danorum & Fœderatorum cum Svecis in Fioniâ conflictum hic indigitari haud obſcurè colligimus. Explicuit qvippe Fortuna hoc die, qvi Regi Daniæ FRIDERICO III. in faſtis opportunè fuit ſacer, qvid de Svecorum illatis armis cenſendum eſſet, dum inter octies mille, & qvod excurrit, in acie Svecorum ſoli in conflictu hoc militiæ Præfecti, *Palatinus de Sultzbach* & *Steinbuckius* ſuperſtites exſtiterint, qvi brevi famulitio pugnam hanc egreſſi, intra naviculam ex Fioniâ vecti deſtinatum attigêre littus, manus & vim Noſtrorum evadentes. Meritò igitur in parte poſteriori numiſmatis legitur:

Jam debellatis, undiqve tutus ero.

Eſt numiſma oppidò elegans & pondere unciarum qvinq;

No. 11. DOMINUS PROVIDEBIT. *Effigies Regis. E. P.*

Ab alterâ parte:

SPES MEA IN DEO. *Reginæ icon.*

Numiſma hoc ſymbolis Regis & Reginæ conſpicuum eſt, qvibus Numen Divinum, in qvo ſpes illorum unica, mirandum in modum præſtò fuit. Numus eſt ex auro ſeſqviuncialis.

Tab.



N° 12.





N° 13.



N° 14.





N° 15.





N° 16.





Tab. IX.

No. 12. FRIDERICUS III. DEI GRATIA DANIÆ. NORVEGIÆ. VANDALORUM. GOTTORUM. REX. *Throno Rex cataphractus insidet, ornamentis illis, quæ Regalia dicuntur, instructus,*

DUX SLESVICI HOLSATIÆ. STORMARIÆ. & DITMARSIÆ. COMES IN OLDENBURG & DELMENHORST. *Insignia Regnorum integra, Provinciarumq; ad ea pertinentium.*

Numisma hoc nitidum planè est & magnitudinis ponderisq; insignis, uncias qvippe propemodum octo pendet, eoq; tamen pretiosius, qvò actus illustrior, in cujus celebritatem ac memoriam percussum est. Sic enim Regi Augustissimo, in throno seu solio Regio, in primâ numi parte, sedenti homagium præstabatur, qvod ob nascendi sortem anno 1648. d. 6. Julii acceperat, absolutè verò hæreditarium anno 1660. d. 19. Octobris consensu communi à subditis præstitum. Liberator Daniæ invictus hic eminet, cui ob cives servatos diadema æternitatis & imperii absoluti meritò deberi visum: Qvippe jam pridem Rex, nunc novus factus est imperii conditor, regnum alterum à nascendi sorte accipiens, alterum curis virtutibusq; excelsis ipse sibi impetrans. Notatu digna hic etiam occurrit in numi hujus antica parte tesseræ Ordinis Elephantini qvædam mutatio, Rege hoc regnante, de cujus collo in pectore ex fascia pendulum hic videmus elephantum aureum, qvi locô qvatuor gemmarum, brachium armatum in medio, tempore Regis CHRISTIANI IIII., habentium, qvinq; adamantes in latere dextro ad piam perpetuamq; memoriam qvinq; vulnerum Christi & formam crucis distinctos tantùm præ se fert, qvemadmodum adhuc gestatur elephas idem: Recordatus enim Potentissimus Monarcha erat Ordinem hunc eminentissimum, non tantùm B. Virgini antiqvitus, glisceute religioso Sanctorum cultu, verùm etiam in honorem ac memoriam passionis Domini Servatoris nostri fuisse consecratum, prout bulla Papæ Pii II. superiùs ad numum Regis FRIDERICI II. Tab. II. No. II. laudata memorat, facta enim etiam erat Ordinis tessera ad Elephanti similitudinem, locô pedamenti ad pedes additis coronâ spineâ & tribus clavis sangvine qvasi aspersis, qvemadmodum ex *Oveni Bilde*, ultimi Pontificiæ Religionis Episcopi in Dania, Epistola ad Regis CHRISTIANI III. Cancellarium *Frisium* anno 1537. scribta evincitur. Legi itidem Regiæ, qvâ absolutè hæreditarium Regis Daniæ & Norvagiæ Dominium in seros posteros stabilitur, à FRIDERICO III., Monarcha nostro olim Augustissimo, Anno 1665. d. 14 Novembris primùm conditæ ex numismatis hujus matrice sigillum aureum magnificè procusum, in hujus actûs celebrem memoriam & corroboramentum firmius appensum qvoq; conspicitur.

No. 13. FRIDERICUS III. DAN. & NORW. REX. ut &
SOPHIA AMALIA DAN. & NORV. REGINA.

A dextro Regis latere: Celsitudo Regia,

CHRISTIANUS, *Rex qvondam verè Augustus, infra qvem*

GEORGIUS PRINCEPS, *qvi Principi Annæ Eboricæ, hodie Magnæ Britanniæ Reginæ Potentissimæ, Anno 1683. d. 28. Julii matrimonio junctus est.*

A ſiniſtro Regina latere:

PRINCIPES ANNA SOPHIA. & FRIDERICA AMALIA. *Quarum illa Anno 1666. d. 19. Octobr. Electoratûs Saxonici hæredi Joh. Georgio, hæc Duci Holſatorum Chriſtiano Alberto Anno 1667. d. 24. Octobr. nupta.*

Ab infimâ numi parte:

PRINCIPES WILHELMINA ERNESTINA & ULDARICA ELEONORA. *Prior Electoratûs Palatini hæredi Carolo Anno 1671. d. 20. Sept. poſterior Carolo XI. Regi Svecorum Anno 1680. d. 6. Maji deſponſata.*

In medio harum imaginum:

CUM IPSO ERO IN ANGUSTIA. ERUAM EUM & HONORE AFFICIAM EUM. 91. Pſal. 15.

Poſtica numi pars hanc habet inſcribtionem:

Poſt Amagriam vindicatam die 10 Octob. Ao: 1658. Hafniam liberatam ab hoſtili obſidione die 30. Octob. ejusd. anni, Aſſultu die 11. Febr. 1659. Fioniam recuperatam die 14. Nov. ejusdem anni. Pacem ſubjectis redditam die 27 Maji 1660. FRIDERICO TERTIO Daniæ & Norv. Regi, Domuiq; Regiæ, qvod hæreditario & abſoluto Monarchæ debetur, præſtitum eſt homagium Hafniæ 19. Octob. A. ejusdem, elapſis â priori homagio annis 12. Menſib. 3. dieb. 13. In perpetuam rei memoriam.

Splendor Sereniſſimæ Familiæ regnatricis in antico numi latere conſpicitur, qvæ in obſidione Havnienſi â Sveco undiqvaq; cincta & in anguſtias redacta erat, ſed numinis Divini auxilio faucibus hoſtium erepta, fortunæq; procellis ac tempeſtatibus ſubducta. Glorioſiſſimus enim Regiæ familiæ Anteſignanus maſculo & obfirmato in rebus aſperis & adverſis animo, cauſæ æqvitati confiſus eſt, & Deo Omnipotenti, qvi pios protegit ac honore afficit. Hinc Dominus Zebaoth verè cum ipſo fuit, adeò ut à miraculis vix recedat, qvicqvid de Rege hoc Auguſtiſſimo annalium monumentis poſteritas inſerat. In alterâ numiſmatis parte Victoriæ Regis variæ & glorioſæ leguntur. Primò Inſula Amagria, Havniæ penu & velut cella promptuaria, auſpiciò ejus & felicitate vindicatur. Qvippe in Regis CAROLI GUSTAVI copias, qvæ pagos Amagriæ flammis involverant, Magnanimus Rex FRIDERICUS agmine expedito ruit, hoſtesq; feliciter fudit & fugavit, qvin imò Svecorum Regem *Carolum Guſtavum*, è prælio non ſine periculo vitæ aufugientem, voce Martia, mente ignea inſecutus eſt, de qvo ita in *Amagriâ vindicatâ Borrichius* pag. 509. *Delic. poët. Dan. collect. Frid. Roſkgaard:*

Rex Regem inclamans, inter nos dividat, inqvit,
Enſis & arma reum juriq; faventior æther.

Juſtæ vindictæ mandata mare *Friderici* imperio aſſvetum ulteriùs peregit claſſe hoſtili in freto Codano d. 29 Octob. Anno 1658. per Batavos Fœderatos abſorpta. Hinc Rex *Carolus Guſtavus* fortunæ violentiæ ſe ſubducens

ducens obſidionem poſtridie ſolvit, ſed translato ad dolos oppugnandi impetu, occultis mox artibus perniciem Havniæ machinatus eſt, cujus oppugnationis exitus die 11. Febr. anno 1659. ſpem & exſpectationem Svecorum eluſit. Tandem in Inſulâ Fioniâ Rex *Fridericus* Ducum virtute & Fœderatorum auxilio Svecos ita aggreditur, ut inaudito ferè sêclis exemplo totum illorum exercitum vel proſtraverit planè, vel ad deditionem impulerit. Exſtinctis inde belli incendiis, anno 1660. d. 27. Maji pax exoptata Daniæ affulſit. Hinc Regi *Friderico* amor civium homagium præſtitit, ut Regnum Daniæ, qvod in tanto belli diſcrimine Rex denuò meritis ingentibus ſuum fecerat, per ſucceſſiones jam pleniore majeſtate hæredes Regios comitetur. Numus eſt, qvem ſumptibus ſuis, qvinq; uncias & ſicilicum pendentem, Archiepiſcopus Daniæ *Johannes Svanningius* in perpetuam rei memoriam Regiæ Domui ſubmiſsè obtulit.

Tab. IX.

No. 14. FRIDERICUS TERTIUS EX DOMO OLDENB. DANIÆ ET NORVEG. REX ELECTITIUS OCTAVUS. HÆREDIT. PRIMUS. *Effigies Regis cum Symbolo*: **Dominus Providebit.**

In parte alterâ:

DANIÆ ET NORVEGIÆ REGES ELECTITII E DOMO OLDENBURGICA. *Icones & nomina Regum Daniæ è familiâ Oldenburgicâ usq; ad Fridericum Tertium, in qvorum medio hæc eſt inſcribtio*: Pſal. 112. v. 2. **Semen timentium DEum potens erit in terrâ.**

Faciem Regis ſerenam in primo numi latere hîc intueri licet, adjectis verbis: **Dominus Providebit.** Providit qvippe Deus, qvòd ſecundùm inſcribtionem ejusdem lateris *ex Domo Oldenburgicâ Daniæ Norvegiæ Rex electitius Octavus* evaderet, *hæreditarius* verò *primus*, qvi jure itidem Octavus fuiſſet. Etenim ſi annales noſtros revolvamus, veteris Regiæ ſtirpis ſucceſſores annis ferè bis mille Regnis his potiti ſunt, ut deficiente qvandoq; maſculâ prole, Regiam ſeriem feminina continuaverit & ſucceſſionem hoc pacto impleverit: A qvâ veteris Regiæ familiæ hæreditate nullo jure excludi debuit *Chriſtianus I.* Oldenburgicus, qvi à Rege Daniæ, *Erico Glippingio*, unà cum anteceſſore ſuo, Rege *Chriſtophoro Bavaro*, ſexto cognationis gradu, ſed proximè collaterali, per ejusdem Regis *Erici* filiam, *Sophiam*, *Conradi* Electoris Brandenburgici uxorem diſtabat, adeò ut ad Regem *Fridericum III.* ejusq; poſteros à primis regni moderatoribus ſucceſſio Imperii perpetua jure exſtiterit. Nam ſi rectè Regum Daniæ ſtemmata perſcrutemur, inde à *Skioldo* Rege jus hæreditarium & regnandi ſucceſſio, ceu à qvodam derivata principio, profluxit. Nec ſaltem Edda Islandorum anno 1215. conſcribta, edit. *Reſenio* noſtro celeberrimo, id evincit, cujus verba de *Othino*, *Skioldi* patre, ſic jacent: *Og kom i that Land er their kalla Reidgotaland, og eignadeſt i thui Lande alt thad er hann vilde, og ſette thar til Landrädanda ſonn ſinn, er Skioldur hiet, hanns ſon var Friedleifur, thadann er ſu att kommen, er Skiöldungar heita, thad eru Dana Köngar, og thad heiter nu Jötland.* i. e. Ipſe in aliam migravit regionem, qvæ tunc Reidgotolandia „

„ dicebatur, & qvicqvid ibi placuit, ſibi vindicavit. Huic „ terræ præfecit filium, ex qvo Fridleifur genitus eſt, cujus po- „ ſteri Skioldungar h. e. *Skioldiades* nominantur, à qva ſtirpe Daniæ Reges „ deſcenderunt. Iſta regio nunc Jutlandia ſeu Jutia appellatur; Verùm etiam Hiſtoriographi noſtrates qvàm antiqviſſimi aſſeverant Regnum Daniæ ab omni ævo hæreditarium & ſplendido perpetuoq; ſucceſſionis ordine Regum filiis ſeu hæredibus in poſſeſſionem delatum fuiſſe. Tradit enim *Sveno Aggonis* hiſt. ſuæ c. 1. p. 8. 9. *Skioldum regni poſt ſe reliqviſſe hæredem Haldanum, Haldanum item hæredem regni procreaſſe Helghi* & ſic conſeqventer. Pag. 12. in oratione *Uffonem* ſic loqventem inducit: *Me etenim unicum & verum regni natura produxit hæredem.* Cap. II. p. 36. *Haraldo*, inqvit, *ſucceſſit filius & regni hæres Gorm Logha:* C. II. p. 56. teſtatur *Reges univerſam tellurem jure Domini poſſediſſe*, & p. 61. *Haraldum Blaatand, Gormi ſive Gormonis filium, regni hæredem exſtitiſſe*, cujus pater Gormo ille Longævus *Snorrom Sturleſonio* Chron. Norvag. p. 41. denominatur ſuâ lingvâ *Einvalld*, i. e. qvi abſolutum tenet dominium, nobis jam Enevolds-Herre / *Einvald*, inqvit, *ſem Gormr Konongr at Danmorko*, & porrò ibidem affirmat, Regem hunc imperium Daniæ gèsſiſſe *frialsliga*, h. e. ſui juris & liberè, in lingva noſtra jam eſt: frelſt og frie / ex qvibus omninò diſpaleſcit antiqviſſimam illam Regiam Danorum ſobolem ob naſcendi ſortem non tantùm hæreditarium, ſed & abſolutum Daniæ imperium poſſediſſe. Et qvamvis *Saxo Grammaticus* Reges Daniæ qvàm plurimos electitios perperam narraverit, hujus contrarium tamen tacitè confitetur, dum hiſt. Dan. lib. III. p. 42. Hotherum teſtatum producit, *regnum Daniæ avito ſibi jure competere, ſi ritè majorum ſtemmata revolvantur.* Nec conticet jus hoc *Knytlingorum hiſtoria* M.S. c. 26, *at forn Log voru, at enn ellzti Konnungs Son ſkyldi Konnunge vera*, i. e. priſcam „ eſſe legem, qvæ Regis filiorum veterrimum ſucceſſorem declarat. Et ſi deſcendamus ad inferiora tempora, clarè ſatis conſtabit ex hiſtoriarum monumentis, *Regem Waldemarum* ejusq; filiam *Reginam Margaretam* ſe hæreditario jure regnum tenere profeſſos eſſe & ita à ſubditis fuiſſe declaratos. Fato tamen ſic moderante, *Fridericus III.* in qvo Majorum pietas & fortia facta velut compendio juncta erant, iſtam à Boreâ primus tandem meritus eſt gloriam, ut in perpetuâ familiæ ſuæ ſucceſſione in terris his eminentiori modo radios Majeſtatis ſuæ diffunderet. Rectè igitur in poſticâ numi regium Davidis effatum percuſſum exſtat:

Semen timentium DEum potens erit in terrâ.

Numiſma eſt perqvam egregium trium unciarum pondere.

Tab. IX.

No. 15. FRIDERICUS III. D. G. DAN. NOR. VAN. GOT. REX. *Effigies Regis.*

In poſticô.

AGGERSHAUS. *Typus caſtelli Aggershuſii.*

Numus hic, qvi ex auro uncialis eſt, munimentum caſtri Aggershuſienſis non ſaltem monſtrat, prout urbi Chriſtianiæ in freto Opsloenſi ab occidente objectum jacet, qvo inſtaurato, qvemadmodum in poſticâ numi facie apparet, Regni Norvagiæ fines Rex prudentiſſimus firmiter muni-

munivit; Verum etiam, veluti ex Diario Gloriosissimi Regis CHRISTIANI V. patet, memoriam inculcare videtur illius homagii, qvod in arce hac anno 1661. d. 15. Augusti eidem Regi, tunc Principi Hæreditario, nomine Patris, Potentissimi Monarchæ FRIDERICI III., à subditis Norvagiæ est præstitum.

Tab. IX.

No. 16. FRID. III. D. G. REX. DAN. NOR. VAN. GOT. *Imago Regis coronati.*

DOMINUS PROVIDEBIT. 1662. I. S. *Insignia Regnorum.*

Numisma est oppidò singulare, in cujus postica Regnorum Insignia tribus sunt decorata coronis opertis, indicio ut sint, septentrionis nostri Regem tunc gavisum esse antiqvo absoluti Dominii jure. Literæ autem binæ I. S. ad clypeum insignium insculptæ Monetarii nomen, *Johannis Stichmann*, qvi Regi à monetis anno hôc præcedentibusq; fuit, designant. Secundùm bonitatem Portugallici cusus qvoq; numus hic est, cujus dimidius ejusdem fermè typi etiam anno proximè seqventi percusus hic visitur.

Tab. X.

No. 17. FRIDERICUS III. D. G. REX DANIÆ & NORVEGIÆ. &c. *Ornamenta Regia seu Regalia.*

DOMINUS PROVIDEBIT. 1663. *In medio crucis Character nominis Regii, qvadruplici nodo innexus cum corona operta inter qvatuor crucis alas procurrentes.*

In latere antico Regis Augustissimi sacra conspiciuntur ornamenta, globus cum superimposita cruce, terrena Orbis hujus dominia, per qvæ salutaris crucis doctrina dissemeninanda est, haud obscurè designans: Sceptrum, qvod celsam imperii potestatem, & gladius, qvi arduam Regii sceptri & diadematis protectionem denotat. Postica verò pars nomen Friderici coronatum qvadrifariam exhibet. Numisma est egregium, qvod plusqvam unciale exqvisitissima artificis industria commendat.

No. 18. DOMINUS PROVIDEBIT. *Regis icon.*

In aversâ:

A DOMINO REGNA. *Nomen regium coronatum & ornamenta regia laureata.*

Sicut Rex antica numi inscribtione singularem Dei providentiam confessus est, ita posticâ regna & potestates eminentes ab ipso Deo immediatè & proximè profectas inq; Reges ἀμέσως collatas esse docet, secundùm effatum illud Θεόπνευστον: *Summas potestates non esse nisi à DEO.* Numus est duorum ducatorum.

No. 19. FRIDERIC. III. D. G. DAN. NOR. *Regis effigies.*

VANDAL. GOTO. REX. 1665. *Leo Norvagicus.*

Unius est drachmæ seu ducati.

No. 20. DOMINUS PROVIDEBIT. *Nomen Friderici Tertii coronatum.*

III. MARK DANSKE. 1665.

Ducati est qvadrans, qvi secundùm inscribtionem tribus valet marcis Danicis. Qvadrantes ducati annis 1660 & 1664. etiam percussi conspiciuntur.

Tab. X.

No. 21. FRIDERICUS III. D. G. DAN. NORV. *Effigies Regis.*
VANDALORUM GOTHORUM QVE REX. 1666. *Corona, ſub qvâ:* Dominus Providebit. *&* G. K., *Literæ ſunt, qvæ denotant nomen Monetarii Godfredi Krüger.*

Aurei hujus numi typus idem eſt, ac argentei numi, qvi nobis jam eſt dimidius coronatus, **en halv Crone**/ duabus marcis Danicis & una Lubecenſi valens, ex auro hic eſt ſemuncialis, fermè cum dimidia drachma. *Mulenio* ideo appellatur coronatus aureus triplex, pretium enim & pondus coronati aurei Danici tripliciter exæqvat, 18 marcas Danicas, ſive tres thaleros unciales, Rege hoc regnante, valentis, prout ex poſtica coronati aurei, tabulâ hac ſub No. 26. adducti, conſtat.

Idem, unius coronati aurei Danici pretium attingens.

No. 22. FRID. III. D. G. DAN. NOR. VAN. GOT. REX. *Regis Icon.*
DOMINUS PROVIDEBIT. 1666. *Inſignia Regnorum integra. G. K.*

Egregiæ magnitudinis eſt numus, qvi ſecundùm bonitatem & pondus ſtateris Portugallici eſt procuſus.

No. 23. FRID. III. D. G. DAN. NOR. VAN. GOT. REX. *Effigies Regis.*
DUX SLESV. HOLS. STORM. DITM. COM. IN OLD. & DEL.
Corona ſub qvâ: Dominus Providebit, *ſuprà* 1666. *juxta coronam G. K.*

Numus eſt unius drachmæ ſeu Ducati.

No. 24. FRIDRIC. 3. D. G. DAN. NOR. VA. GOT. REX. *Effigies Regis.*
DOMINUS PROVIDEBIT. *Fortuna globo inſiſtens inter ramos laureos. I. W.* 1666.

Ex Literis I. W. nomen Monetarii Tychopolitani *Johannis Waltrek* exprimentibus, & fortunâ inter lauri frondes exiſtente numum hunc, qvi unius eſt ducati, ex officinâ monetariâ Tychopoleos eſſe liqvet, qvi floreſcentis urbis Tychopolitanæ memoriam inculcat.

No. 25. FRID. III. D. G. DAN. NOR. V. G. REX. *Icon Regis.*
DUX. SL. HO. STO. DIT. CO. OL. DEL. *Inſignia regnorum integra. G. K.* 1667.

Ejusdem valoris & ponderis cum priori eſt, *Mulenio* qvemadmodum & nobis eſt ducatus oppidò elegans.

No. 26. FRID. III. D. G. DAN. NOR. V. G. REX. *Regis Effigies.*
DOMINUS PROVIDEBIT. *Corona, ſub qvâ:* XVIII. M. 1668. G. K.

Typi ejusdem, qvem hîc No. 21. adduximus, etiam datur numus aureus Danicus, hujus coronati pretium, 18 marcas Danicas, exæqvans.

No. 27. FRID. III. D. G. REX. DANIÆ. *Regis effigies.*
NOR. VAN. GOT. 1670. *Nomen Regium coronatum octies in poſtico numi latere efficium.*

Numus



№ 17.



№ 18.





№ 19.





№ 20.



№ 21.





№ 22.



№ 23.





№ 24.







№ 25.





№ 26.






№ 27.





№ 28.



№ 29.



№ 30.



№ 31.





№ 32.





Optimo Regi
FRIDERICO III:
Daniæ Norvagiæq;
Monarchæ
D·D·O·M·
Exercitum felicem
Populum fidelem
et annos
de nostris

№ 33.



SOPHIAE
AMALIAE
DA·NOR·VA·
GOT·REGI·
CINERIBVS,
CHRISTIA
NISSIMIS
SACRVM.
XXVI. MART.

Numus est unius drachmæ seu ducati, qvem raritas & artificis industria inprimis commendant, cùm ejusdem typi pauciores saltem reperiantur. Præter ducatos ejusdem Regis hìc allatos, integri anno 1649. 1651. 1653. 1657. 1660. 1664. 1665. & 1669., dimidii vero anno 1652. 1659. & 1664. percussi qvoq; hic exstant, qvemadmodum & duplices 1663. & qvintuplices anno 1662. cusi reperiuntur.

Tab. X.

No. 28. Effigies Regis corollæ inserta cum tribus Leonibus, supernè illustre illud tetragramma יהוה *Regis caput irradians.*

Ab alterâ parte:

Optimo Regi FRIDERICO III. Daniæ Norvegiæq; D. D. O. M. Exercitum felicem, Populum fidelem & annos de nostris. *In superiore hujus lateris parte Leo Norvagicus conspicitur, in inferiore elephas turritus & G. K.*

Numisma est egregium & fermè decem ducatorum.

No. 29. Dominus Providebit. *Litera prima nominis Regii cum coronâ.*

Ab altera parte nihil impressum conspicitur.

Arte singulari numulus hic, qvi pondus saltem decimæ sextæ partis ducati aurei æqvat, efformatus & affabrè adeò aurum hìc extensum & percussum est, ut illi, bracteato & cavo, datum sit pondus & forma non mergens, unde natantis fortitus est nomen Svømming. Fuit ille, qvo utriusq; sexûs Aulici Regis hujus glorioſisimi in devoti amoris τεκμήριον mundiq; gratiam qvondam sese ornarunt, more prisco Romanorum militum, qvi galeas suas numismatibus Imperatorum pro gemmis exornari gavisi sunt, secundùm antea laudati *Pomponii* effatum. Omnes ejusdem formæ numi, etiamsi majoris moduli, sive ex ære sive argento ac auro, tam cavi tenuesq; procuduntur, ut ope aëris, cavitati inclusi, emergendi virtutem habeant, aqvæ leniter impositi. Suum igitur natandi nomen, qvod nobis est Svømminger i. e. numi natantes, merentur.

No. 30. Numus qvadratus & ansatus. Regis lauricomi icon cernitur sine ulla inscriptione; ex postico latere rasus.

Ducati pondus vix attingit.

No. 31. MANET ULTIMA COELO. *Nomen Friderici Tertii cum tribus coronis opertis & reliqvis regalibus. In angulis insignia Regnorum conspiciuntur.*

In reversâ.

DAN. NOR. VAN. GOT. REX. *Pyramis cum inscriptione:* ANIMÆ ÆTERNÆ. FRIDER. III. OPTIM. PRINCIP. *In qvatuor lateribus numi:*

Natus 18 Marti. 1609. Coronatus 23. Novemb. 1648. Obiit 9. Febr. 1670. Regnavit annos 22. *Leo & Sol occidens. Numus est qvadratus.*

Numisma cineribus Sacratisimi Regis Divi *Friderici III.* consecratum. Anticum ejus latus Septentrionalis regiminis diademata & ornamenta in terrâ

terrâ exhibet, floremq; gloriæ mundanæ χῆμας In polo verò coronam, qvâ nomen *Friderici III.* decoratum eſt, qvæ **Ultima cœlo manet:** Ex aversâ parte pyramidem in ſepulcro leonis noſtri Septentrionalis, & ex pyramidis parte antica: **Animæ æternæ Divi Friderici III. Optimi Principis.** Ab occidente ſolis, ſalutaris ſideris boreæ noſtri, occaſus. Præterea ex hujus numi qvadrati angulis percipimus tanti Regis nativitatis, coronationis, obitûs & regiminis annos diesq;: Anni ſcilicet 1609. octavus & decimus erat dies Martii, qvô, favente cœlo, exſultante patria, ſol Patriæ noſtræ exortus eſt Hatherslebiæ in Ducatu Slesvigenſi, & cum ipſo ſtirpis Oldenburgicæ gloria abſolutè regia, qvi anno 1648. die 23 Novembris coronatus altiùs duos ſupra viginti regiminis annos per omnia decora decurrens, ſplendore ſuo qvasvis in ſeptentrione noſtro exortas nubes tempeſtatesq; diſpulit, & ſalutem & ſtabilitatem imperio reddidit, occasûs ſui haud immemor: Paucis enim ante obitum diebus lemmate qvodam, codicillis qvotidianis manu regiâ inſcribto, mortis memoriam ſibi inculcari voluit, igni miſili, vulgò en Raket dicto, vitam ſuam comparans, de qvibus fuſiùs *Joh. Brœmer in Conc. funebri Frider. III.* Numiſma eſt ſemunciale.

Tab. X.

No. 23. FRID. 3. D. G. DAN. NOR. VAN. GOT. Q. REX. *Effigies Regis. In lateribus hæc leguntur:*

Natus 18. Mart. 1609. Coro. 23. Nov. 1648. Obiit 9. Febru. 1670. Regn. annos. 22.

In poſtico:

Pyramis cum inſcribtione: **Memoriæ Æter. Optimi Princip.** *Leo & ſol occidens. In lateribus hæc leguntur:* **Vict. Naval. 29. Oct. 1658. Metr. defens. 11 Feb. 1659. Fion. Recep. 14. Nov. 1659. Emin. Impe. Obl. 27. Oct. 1660.**

Exſeqvialis numus eſt qvadratus, qvi parte unâ Divi *Friderici III.* faciem exhibet & in illâ Auguſtæ originis indicem dignamq; imperio ſpeciem. Pyramis ex adverſo latere egregium illud trophæum: **memoriæ æternæ optimi Principis,** in mauſoléo monſtrat: Si qvadrati hujus numiſmatis angulos qvoq; inſpiciamus, qvanta qvæſo victoriarum veſtigia! Hic *Batavorum*, pro inſtaurandâ fortunâ Havniæ obſeſſæ *victoriam* legimus & fortitudinem ſummam: Illic *Fioniam* ſuos ita debellaſſe hoſtes, ut, rarò in annalibus exemplo, ex integrâ hoſtium acie gemini tantùm Duces ſervarentur: Alibi *Daniæ Metropolin* maſculè ſe defendentem, & vix dimidia nocte oppugnatam de exercitu toto hoſtili triumfantem. Singula hæc qvemadmodum & plura alia Victorem tantum in Auguſto illo Majeſtatis ſolio ita tandem collocarunt, ut *Eminentia Imperii*, d. 27. Octobris Anno 1660. humillimè oblata per Orbem univerſum lauros, adoreas, æternitatem ſibi comparaverit, qvi inter vitæ curas verè regias, etiam mortis beatæ meditationi eum vacaſſe comperti ſumus. Submiſsè veneramur hinc etiam ingens ejus artium deſiderium, qvæ vel recondita naturæ vel præclara æmulatione naturam exprimunt, unde rerum jucundas vicisſitudines ſat exploravit: Nam in aula ipſius,

brevi

brevi ante ejus obitum à ſagacisſimo Mathematico, *Thoma Walgenſtein*, inter varias figuras, arte optica oſtenſas, mortis imaginem bis ſibi repræſentari placuit, adeò ut, penitius eâdem ultimò inſpectâ, graviſſimis his verbis **Mir gefält keines beſſer / als der Todt** / profeſſus ſit ſibi nullam placere magis atq; mortis imaginem. Numiſma eſt perelegans & ſesqviuncialе, qvod ſuum artificem, *Antonium Meibuſch*, ultrò commendat.

Tab. X.

No. 33. Arx Amalienburg cum horto, in medio ejus urna___. Infra ad oram numi: XX. FEBR. M.DC.LXXXV.

Ab altera parte:

SOPHIÆ AMALIÆ DA. NOR. VA. GOT. REGI. CINERIBUS CHRISTIANISSIMIS SACRUM. XXVI. MART. O. B. *Inſignia Daniæ & Luneburgi.*

Numus hic mortem Reginæ, omni laude cumulatisſimæ, repræſentat, qvæ ex Celſiſſimâ Guelforum gente oriunda, filia Georgii Ducis Luneburgo-Cellenſis ex *Anna Eleonora* Haſſiacâ 1628. nata, eſt FRIDERICO, Archiepiſcopo Bremenſi, poſtea ejus nominis TERTIO Regi Daniæ, Annò 1643. d. 25. Octobris Tychopoli nupta, & Anno 1685. d. 20. Februarii mortua, cujus exſeqviæ d. 26 Martii ejusdem anni Havniæ celebratæ ſunt. Septem ducatorum dimidiiq; pondus æqvat numus hic.

REGIS
CHRISTIANI QVINTI.

Tab XI.

No. 1. CHRISTIANUS V. D. G. REX. DAN. NORV. VAND. GOTH. DUX SLESV: HOLS: STORM. & DITM: COMES OLD. & DELM. *Effigies Regis inſtar Eqvitis cataphracti.*

PIETATE & JUSTITIA. 1670.

Numus eſt magnitudinis inſignis, ſex uncias dimidiamq; pendens. Singulare aliqvod Μνημόσυνον videtur eſſe ſymboli Regii, qvo poſtica numi pars eſt inſignita, inprimis verò homagii, qvod Regi eidem, poſt mortem Patris regnorum gubernacula capeſſenti, die 9 Februarii anno hoc à ſubditis Havniæ eſt præſtitum, qvemadmodum ex Diario rerum geſtarum Monarchæ ejusdem, anno 1701. ibidem impreſſo, conſtat.

No. 2. Nomen Regium cum novem cordibus.

Ab altera parte:

Crux ornamentis Regiis ſive Regalibus regnorumq; inſignibus.

Numus triangularis tempore unctionis Regiæ in publicum ejectus, pondere hic eſt duorum ducatorum.

No. 3. Rex ſolio Regio, ad cujus pedes trini Daniæ Leones provoluti, inſidens inter duas columnas Regis nomine inſignitas.

A poſtica:

VII. ex Domo Oldenb. Dan. & Norveg. Reges, circa qvam inſcriptionem effigies & nomen uniuscujusq; à Domo Oldenburgicâ Daniæ Norvagiaq; Regis à Chriſtiano Primo *usq; ad* Fridericum

Tertium *conſpicitur, cujus auguſta facies ſupremo loco eminet cum Inſcribtione circa caput :* E DOMO OLDENB. DAN. NORV. REX ELECT. VIII. HÆREDIT. I. FRIDERIC. III.

De qvibus plura ſuperiùs memoravimus ſectione hac ad numum No. 14. tabulæ IX., unciarum 7. & plusqvam dimidiæ eſt pondere.

Tab. XI.

No. 4. CHRISTIANUS V. DEI GRATIA DANIÆ NORVEGIÆ VANDALORUM GOTTORUM REX. *Rex ſolio Regali ex unicornu marini cornibus, olim auri pretium ſuperantibus, efformato inſidens, cum Regalibus ſignis. Ad baſin ſolii Regii tres Leones, qvi magnitudine juſta ex argento fuſi ſunt, qvos à priſcis Daniæ Regibus ſcuto Regio inſertos ex ſigillis Regum antiqviſſimis Part. II. Sect. III. hic cognovimus, tria illa Balthici maris oſtia, qvibus Monarcha noſter imperat, indigitantes.*

DUX SLESV. HOLSATIÆ, STORMARIÆ, DITHMARSIÆ, COMES OLDENBURGI DELMENHORSTÆ. *Integra Regnorum, & ad ea pertinentium Provinciarum inſignia.*

Numus hic ſimul cum proximè antecedente unctionem Regis noſtri Auguſtiſſimi in Templo Arcis Regiæ Fridericoburgenſis anno 1671. d. 7. Junii, magno Septentrionis gaudio & fauſtis omnium acclamationibus peractam indicat. Præter unctionem hanc, qvam ab Epiſcopo Sialandiæ noſtræ, *D. Johanne Wandalino* peractam exacteq; lingvâ vernaculâ deſcribtam legimus & numis his indigitari cenſemus, occurrunt in iisdem ſplendidiſſima, qvibus Rex ornatus erat, regalia ſigna, inter qvæ ſeptentrionis noſtri diadema Regium cœtera ſuo eminet fulgore, qvi nobis deinceps præter reliqva exactioris hic offeret deſcribtionis anſam, itaq; hic ſolii Regalis tantùm meminiſſe juvat, qvod Regis ejusdem Pater glorioſiſſimus ex unicornu marini pretioſis cornubus, auro articulatè ligatis, efformari cœpit ſpectata admodum magnitudine, cujus abſolvendi occaſio Filio Regi CHRISTIANO V. relicta fuit. In ſolii hujus epiſtylio incomparabilis amethyſtus illa, pondus 80 drachmarum ſuperans, perqvam eminenter effulget, qvemadmodum hinc inde ſolii cadurcum fulcraq; argenteis virtutum imaginibus egregiè inauratis inſtructa conſpiciuntur. Tantum & tale Monarchiæ ſolium tam natalium jure, qvam virtutum conſpectiſſimarum merito Princeps & Rex CHRISTIANUS V. Anno & die prædicto aſcendit, omni laude cumulatiſſimus, & talem in faſtigio iſto, à Deo in terris proximum, Magnorum Europæ Principum magni Legati per tres integras ferè annorum decades aut triumfatorem ſalutarunt, aut amicum & adjutorem ſolicitarunt, tantumq; rerum geſtarum magnitudine viderunt ſubditi, ſubmiſſiſſimo honoris ſuſpectu Auguſtum tutorem & propugnatorem patriæ proſeqventes. Numus elegans eſt & oppidò pretioſus, pondere unciarum decem cum dimidiâ.

No. 5. PIETATE & JUSTITIA. *Imago Regia.*

Latus alterum Navem exhibet, in cujus puppi leo bipennifer.


Numus fortè in memoriam illius navis bellicæ cuſus. Ut enim Rex Potentiſſimus navibus bellicis, caſtellis illis natantibus, regna ſua ampliùs inſtrueret mercaturæq; mari tutiùs fierent, unde regnis opes nerviq; potiſſi-



Nº. 1.



Nº. 4.



Nº. 2.



Nº. 2.



Nº. 3.



Nº. 3.





Nº. 5.



Nº. 5.



Nº. 6.





tiſſimùm conciliantur, ſubditis, naves tales, in ſervitia regia belli tempore paratas, qvi ædificarent, immunitates inſignes anno 1671. clementer impertitus eſt, qvo tempore numus hic percuſſus cenſetur, unciam drachmamq; auri pondere æqvans.

Tab. XI.

No. 6. Numus qvadratus, à parte unâ Imaginem Regis in corollâ tetragrammate divino irradiatam oſtentans, cum 3. Leonibus novem infra ſe corda habentibus.

Parte alterâ.

Elephas turritus, cum Nomine Regis ✠

Numiſma ex auro eſt unciale, cuſum hoc eſſe in celebritatem qvandam Eminentiſſimi Ordinis Elephantini, ex poſtica numi parte tutò colligimus, qvô verò annò, ærâ in numo omiſsâ, non ſatis patet, initiô tamen regiminis Monarchæ hujus ex Diario rerum geſtarum percipimus, Regem eundem anno 1670. d. 1. Decembris in Ordinem Elephantinum cooptaſſe Sereniſſimum Ducem, Dominum *Johannem Adolphum*, Holſatô Plônenſem, circa hæc tempora etiam Regia numiſmata triangularia & qvadrata cudebantur, qvæ verò poſtea omnia conſpiciuntur orbiculata.

Tab. XII.

No. 7. JUSTITIA & PIETAS REGNORUM ROBORA FIRMAT. *Effigies Auguſti, infrà ad oram*: Unctus 1671.

A parte alterâ:

Nomen Regium triplici inter ſe nodô innexum.

Pondere hic numus eſt unciæ unius cum dimidia, in perennem memoriam unctionis Regiæ anno 1671. feliciter peractæ, ut ex inſcribtione numi antica infrà patet, cuſus.

No. 8. ✠ DA. NOR. VA. GOQ; REX.

A parte altera:

Elephas cum Turri & inſignibus Daniæ. 1673.

Nec minus numiſma hoc, qvod ſeſqvi drachmam cum qvadrante pondere æqvat, elephanto turrito inſignitum inculcat celebritatem eminentiſimi Ordinis Elephantini, in qvem anno eodem legimus virum qvondam magni nominis fuiſſe ſuſceptum.

No. 9. Nomen Regium nodo triplici innexum cum ſex Coronis.

Facies Auguſti, cum inſcribtione: D. G. REX. DAN. NOR. VAN. GOT. 1673.

Numus eſt ducatus.

No. 10. CHRISTIAN. 5. D. G. REX. *Imago Regis cataphracti.*

DAN. NOR. VAN. GOTTOQ. 1673. *Leo Coronatus cum bipenni.*

Eſt ſemuncialis numus unacum drachma ejusq; qvadrante.

No. 11. CHRISTIAN. V. D. G. REX. DA. NO. V. G. *Effigies eqvitantis Regis.*

A parte altera:

Elephas cum Turri, cui inſculptum nomen Regium & in dorſuali Leo cum bipenni 1673.

Tab. XII.

No. 12. AUXILIUM ET TUTELA. *Sub inſcribtione hac Andromeda Cephei Regis Æthiopum filia repræſentatur, ob ſuperbiam matris ad rupem catenis alligata, ut à monſtro marino periret, qvam verò Perſeus monſtrum illud horrendum fugando tuetur, ab eodem poſtea in matrimonium ducta. Infrà:* OPTIMO REGI CHRISTIANO V.

In poſtico latere:

SECURITAS ET SALUS PUBLICA. *Mulier ſtatua innitens ſiniſtrâ Cornucopiæ, dextra ramum oleæ tenens, ſub qva:*

CIMBRIA RENASCENS. *Infrà,* DANORUM STATORI ET CONSERVATORI.

Sic Cimbria renaſcens Statori & Conſervatori ſuo Potentiſſimo circa annum 1675. perlitaſſe cenſetur, ſecuritate & ſalute publicâ reſtitutâ.

No. 13. *Regis & Reginæ imagines.*

A poſtica parte:

Rex extra Wiſmariam obſeſſam cum Turmis eqvitans.

No. 14. VIRTUS REPULSÆ NESCIA. *Wiſmaria cum caſtello Balanâ.*

In poſtico.

PULCHRUM ULCISCIER AVOS. *Wiſmaria lugens ſub ſpoliis. Infra ad oram numi:* WISMARIA EXPUGNATA 13. DECEMBRIS. 1675.

Numus hic Wiſmariam à Danis expugnatam repræſentat, urbem Svecorum in tractu Mechlenburgenſi munitiſſimam, qvæ, loci fiducia paludibus interſciſſi, mœnium robore, militum fortitudine, præſidiorum & annonæ abundantia ſuperbiens diu & refractaria, cicur eſt facta: Captis namq; à noſtris die 6. & 9. Octobris anni 1675. munimentis Damgarto & Trebeſecio, ut hoſti omnis præcluderetur aditus ſuccurrendi, & urbe hac d. 29. menſis ejusdem obſeſſa, die 4. Novembris navis, *Falco* dicta, 45. tormentis bellicis inſtructa ad inſulam *Balænam* hoſtis manibus extorſa eſt, qvomodo aditum in portum, poſtridie itidem caſtello inſulæ *Balænæ* expugnato, qvod urbi propugnaculum præbuerat, ſibi miles Danus aperiens poſt varias hinc inde conflictiones die 13. Decembris ejusdem anni munimina urbis contigua forti manu expugnavit; Rege verò, Divo jam CHRISTIANO V., ulterius ſuos milites ad interiora ſtatim ducente voceq; & manu inflammante, urbs hæc omni inſtructu munitiſſima ſeſe dedere coacta fuit, & duobus Chiliarchis eodem die in obſides miſſis, poſtridie Wismariæ Præfectus, Comes *Carlſſon*, claves portarum, qvæ à noſtris copiis ſtatim obſeſſæ fuerunt, ſubmiſsè tradidit, proximè ſeqventi die cum præſidio ſatis forti evadens.

No. 15. *Effigies Auguſti militaribus armis undeqvaq; cincti.*

AD DOMINUM PATRIAMQVE REDIT.

Agnus, inſigne Gothlandiæ, 1 Maj. Anno 1676.

Agnus Vexillum geſtans Gothlandiam indicat, maris Balthici Inſulam littori Svecico obtenſam, & ſaxis alteribusq; inprimis notam, qvæ anti-

qvis-

N.° 8.



N.° 7.



N.° 9.



N.° 10.





N.° 11.



N.° 5.



N.° 6.



N.° 12.









N.° 15.





N.° 18.





N.° 17.





qviſſima Gothorum Regumq; exinde Daniæ poſſeſſio poſt binos in illam militis noſtri aſſultus acerrimos & breves moras, Duce Archithalaſſo *Do. Nicolao Julio*, in Victoris conceſſerat leges, dum die 29 Aprilis Anni 1676. primùm, ſub tutela Claſſis Danicæ ductuq; Chiliarchæ *Martini Bartholdi*, miles Danus invaſerat inſulæ littora ad promontorium Klinte / ubi hoſtis bene armatus manuq; inſtructus magna, Duce *Gabriele Gyldenſtierno*, poſt varios congreſsûs palmam militi noſtrati cedere coactus fuit, & terrore hinc inde littoribus ita circumfuſo, tota inſula arma depoſuit, exceptâ validiſſimâ Wisburgo arce, qvàm, verſo velo, claſſis Daniea deinde primo Maji die, anni prædicti, magna vi petiit, igneisq; laceratam telis arbitrio Archithalaſſi noſtratis ſeſe concedere edegit, emporio Wisby maris Balthici olim celeberrimo, qvod mari huic leges olim tulit, obſeqvente, una cum binis navibus bellicis, qvas perditum ibat hoſtis, *Charitatem* ſcilicet & *Conſtantiam*, qvarum una in via eadem capta eſt à milite noſtro, alterâ incensâ. Numiſma eſt pondere unciarum duarum totidemq; drachmarum cum dimidio drachmæ qvadrante.

Tab. XII.

No. 16. *Columna cum Inſcribtione :* CHRIST. V. P. AUG. FELI. OB. VENNERSB. SVEC. CAPT. AB ULDAR. FRI. GULDENLEV. XXVI. JUN. M. DC. LXXVI.

In averſa:

HIC TRANSIIT INVIA VIRTUS. *Typus Venersburgi.*

Numus hic urbem Sveciæ munitiſſimam Vennersborg à magno illo Heröe *Uldarico Friderico Gyldenlöv*, Pro-Rege Norvagiæ anno 1676. d. 26. Jun. Svecis ereptam indicat. Fuſis priùs ab Heröe hoc Svecorum copiis ad Qviſtrumbroe, etiamſi fluvius, qvi pontem eundem præterlabitur, eas tutas & tectas intra ſua ſibi hic facta munimenta ſervaret, die 7 Junii forti manu, captis ad Oddevaldam munitionibus fortiſſimis Svecorum, hoſtem, qvi ſe in fugam deinde dederat, usq; ad Gottelf perſecutus eſt. Tandem illuſtriſſimus ille Heros & Prorex *Guldenlovius* urbem hanc aggreſſus eſt, cujus in rupe munitiſsimum caſtellum, in qvo Sveci præcipuum pro copiis ſuum coegerunt victum & commeatum, una cum urbe fermè inacceſſum ſe ipſius arbitrio dedere armis coërcuit, anno & die dicto, qvomodo *virtuti nulla fuit invia via.*

No. 17. HELSINGBURG. *Typus Arcis.*

ARBITRIUM RECUPER. *Navis inter duas Columnas, qvibus inſculptum nomen Regium Chriſtiani Qvinti.*

Numo hoc, qvi unciæ duarumq; drachmarum & drachmæ dimidii qvadrantis eſt pondere, expugnatio arcis munitiſsimæ Helſingoburgi in Scaniâ exhibetur, qvæ anno 1676. d. 4. Jul. Svecis ab Auguſto noſtro tridui ſaltem ſpatio erepta, poſtea anni ejusdem menſe Decembri Svecis iterum ceſſit, tandemq; varium Martem & fortunæ volubilis vices experta anno 1678. d. 27. Junii in Danorum rurſus poteſtatem redacta eſt. Per ſtatuas vexillis inſignitas, qvas navigium tranſit, Öreſunda, ſeu fretum Codanum indigitatur, Coronæburgo Selandiæ & Helſingoburgo Scaniæ utrinq; interceptum. Arbitrium enim maris Balthici ex utroq; litore ſic ſecuriùs recuperatum fuiſſe numus indicat.

Tab. XIII.
No. 18.

יהוה

Numinis Auſpiciis
Felici ſub Regimine
Sereniſſimi & Potentiſſimi Princi.
ac Domini, Domini

REGIS Daniæ, Norvegiæ, Vandalorum. Goth. DUCIS Schlef. Holſat. Storm. & Ditmar. COMITIS in Oldenborg & Delmenhorſt. TER Hoſtili Claſſe I. Sub Ölandiâ. II. Propè Langelandiam. III. In ſinu juxta Coagium profligata & undecim Primi Ordinis navibus bellicis cum omni apparatu interceptis CORONA HÆC

COMPARATA.

EST.

A dextra parte

Characteris Regii nominis ſub tetragrammatis Divini coruſcatione, velut mediam inſcribtionis partem occupantis, brachium è nube, exertô manûs indice, apparet, cum ſuprà ſcribto: DIES SALUTIS.

A ſiniſtra ejusdem characteris coronati

Octo pueri exſultantes cum ſertis & corollis lætitiæq; ſignis aliis, unâ cum adſcribtione: DICENT POSTERIS.

Antepenultimum locum obtinet Corona illa Navalis, tantis pugnis parta. *Altera Numi facies inſtructas apparatu bellico naves domicantes ſummo artificio repræſentat, præſertim naves, Chriſtianus Quintus & Mars Sveciæ dictas, cum ſuprà ſcribto:*

SIC CODANI TURBAS CONCILIASSE JUVAT.
1 JULII ANNO 1677.

Numus hic aureus magnitudine & elegantia inter numiſmata Europæa maximè conſpicuus, & ad trutinam accuratiùs examinatus 42. ſemunciarum pondere æqvat Portugallicos ſtateres viginti & unum, ſeu thaleros unciales 420. in argento, talem in toto orbe jam haberi, vix credimus. Secum in Daniam qvidem Philippa, Regina Regis Erici Pomerani & Henrici IV. filia, nata Herfordiæ & Eſſexiæ Comes, ex Anglia numum aureum pro dote circa annum 1406. attulit, plures libras, ſeu multa millia aureorum Rhenanorum pendentem; Sed ubi Phoenix ille numorum? cujus nil niſi fama ac nomen apud *Hvitfeldium* noſtratem Chron. Danic. pag. 629. ſupereſt. Magno interim pondere in Anglia numos fuiſſe legimus, nam præter hunc *Cambdenus* qvoq; meminit numi aurei, qvem Rex in ſummis feſtis offerre ſolitus erat, 15. librarum pondere, *Byzantine* dicti, *Remaines pag.* 183., qvi fortè idem videtur eſſe, cujus mentionem injicit *Petrus Reſenius* in R. FRIDERICI II. hiſtoria p. 334., qvòd illum qvoq;

offerat

1737

NUMINIS AUSPICIIS
FELICI SUB REGIMINE
SERENISSIMI & POTENTISSIMI PRINCIPIS
AC DOMINI DOMINI

Dies Salutis

Dicent posteris

REGIS DANIÆ NORVEGIÆ VANDALORUM GOTH. DUCIS SCHLES. HOLSAT. STORM. & DITMAR. COMITIS IN OLDENBORG & DELMENHORST TER. HOSTILE CLASSE I. SUB OLAN. DIA II. PROPE LANGELANDIAM III. IN SINU IUXTA COAGIUM PROFLIGATA & UNDECIM PRIMI ORDINIS NAVIBUS BELLICIS CUM OMNI APPARATU INTERCEPTIS CORONA HÆC.

COMPARATA EST.

N° 19.

CHRISTIANUS V. REX DANIÆ NORVEGIÆ

N° 19.

SIC CODANI TURBAS CONCILIASSE IUVAT.
I IULII ANNO 1677.

N° 20.

N° 21.

offerat qvotannis in templo, qvoties Garterii Ordinis Fratres, cujus caput & Dominus Rex eſt, conveniunt, illumq; ſemper redimat 20. Coronatis, qvò majorem Reginæ *Philippæ* numum dotalem fuiſſe pondere colligimus; nam eo tempore plerumq; dos illuſtrium feminarum ac Principum ad 40000. aureos Rhenanos conſtituebatur. At qvantum lucis rei numariæ acceſſiſſet, ſi inſcribtionem & imagines numi hujus contemplari licuiſſet? Nam χάραγμα qvoddam incuſum fuiſſe, nulli dubitamus, ſine qvo numus dici non potuit; Numiſma verò noſtras in toto mundo certè jam rariſſimum partas tribus prælis navalibus victorias præ ſe fert, qvas totus extollit Orbis & ſera poſteritas commemorabit. In prælio primo prope *Ölandiam* Anno 1676. d. 1. Jun. cum claſſe Svecorum navium qvadraginta à *Creutzio* Archithalaſſo educta *Trompius* Batavus, qvi claſſem ſuam noſtræ junxerat, & maris Danici Præfectus Dn. *Nicolaus Julius* eâ fortitudine conflixerunt, ut navis prætoria Svecorum, Coronæ nomine inſignita & 140. tormentis bellicis inſtructa, ſimul cum Archithalaſſo *Creutzio* & conferta militum manu, incenſa perierit; Altera magnitudine proxima, Enſis regni appellata & tormentis 92. onuſta ſimul cum Præfecto maris *Ugola*, qvi noſtros fortiter primùm ſuſtinuerat impetus, flammam conceperit & octo aliæ, magnitudinis haud ſpernendæ, vel captæ vel tumulis arenarum illiſæ fuerint. Reliqvæ, per fluctuum incerta ſparſæ, Stocholmiam cum trepidatione reverſæ ſunt ſuisq; metum nobis præmium virtutis victoriam reliqverunt. In pugnâ ſecundâ propè *Langelandiam* Anno 1677. menſe Junio haud meliorem experta eſt fortunam Svecorum clasſis, qvam Archithalaſſus *Seeblad* eduxerat. Eo qvippe fervore cùm à clauſtris Gottenburgicis per mare Balthicum iter tentaret, à Præfecto maris Danici Dn. *Nicolao Julio* excepta eſt, ut navis prætoria ſimul cum Archithalaſſo *Seeblad* & qvinq; aliis molis vaſtæ navigiis bellicis, præter minores alias, nobis præda exſtiterint. Conflictus tertius in ſinu Codano ſeu mari Balthico, Anni ejusdem menſe Julio, fortunam qvoq; Regis noſtri Auguſtiſſimi teſtatur & laudes ævo omni perennaturas ebuccinat. Clasſis qvippe Svecica, licet navium numero noſtrâ multò ſuperior, ita ab Archithalaſſo Dn. *Nicolao Julio* diripi, atteri, vaſtari viſa eſt, ut, ſine unicæ noſtræ in pugnâ jacturâ, undecim naves bellicas mole ſua turribus caſtellisq; maris ſimillimas, noſtrorum fortitudine captas, tres alias magnitudinis inſignis, flammis combuſtas, minores innumeras, qvæ manu militum, catapultis, partis, verutis, victu & commeatu onuſtæ, vel captas vel incenſas Sveci amiſerint, illorum aliqvot millibus cæſis & propemodum tribus millibus captis. Tot ergo partæ nobis in Oceano victoriæ, qvot prælia extiterunt, tantæ à Monarchâ noſtro invictiſſimo res mari geſtæ, ut à Tullio ipſo vel Pericle, ſi redivivi hîc eſſent, vel ab Europâ universâ laudibus dignis extolli haud poſſent. Numiſma hoc adeò ſplendidum & Europæorum facilè maximum ſingularis induſtria typi inciſoris *Chriſtophori Schneider* ultrò commendabit, & qvamvis non dubitemus qvemqvam ejusdem artis gnarum ſupereſſe, qvi conflando temperandoq; chalybem tantæ molis, aît vix ea duritie, formam perficere poſſit, ut cuſor monetarius absq; labe talem cudere potuerit numum.

Tab. XIII.

No. 19. CHRISTIANUS V. REX DANIÆ NORVEGIÆ. *Imago Regia.*
A poſticâ facie: Claſſes eadem dimicantes.
Pondere eſt ſemunciali.

Tab.

Tab. XIV.

No. 20. Icon Augusti absq; inscribtione & ad brachium Regis dextrum C. S.

In adversa parte:

Navalium armorum singularis congeries.

Numus est pondere unciarum duarum cum dimidia, qvi de torqve aureâ pendulus, à Rege hoc rei militaris Præfectis clementissimè offerebatur, qvi in prælio navali strenuè se gesserant. Datur hic qvoq; ejusdem magnitudinis & ponderis numisma, qvod in antica numi facie ejusdem est typi, & in postica sibi impressam habet congeriem armorum, qvibus potissimùm terrâ dimicatur, Præfectis rei militaris, qvi suam in præliis terrestribus exseruerunt virtutem, de torqve aureo qvoq; pendulum, ob fortia facta, à Rege hoc Clementissimo ita collatum, typorum incisore *Christophoro Schneider*, prout literæ prædictæ C. S. in numo hocce designant.

No. 21. DN. NICOL. JUEL. EQ. R. D. ARCHITHAL. *Effigies Archithalassi, qvi maris Daniæ meritò summus Præfectus, in sinu Codano Heröem se præstitit fortissimum.*

In postico:

PRÆLIUM INTER CLASSES CHRISTIAN. V. ET CAR. XI. I. JUL. M. DC. LXXVII. DN. NICOL. JUEL. ET. HENR. HORN. DUC. *Typus prælii inter Classes, Danicam & Svecicam, ad numum ordine decimum octavum tabulæ proximè præcedentis fusiùs describti, Ducibus prædictis Dn. Nicolao Juel & Henrico Horn.*

Pondere est numus hic perqvam egregius unciarum tredecim & propemodum trium drachmarum.

No. 22. UL. FR. GULDENL. D. C. L. PROR. NO. MARSCH. *Effigies Illustrissimi Proregis.*

Typus munimentorum & urbis Marstrand in Norvagiâ cum Inscribtione: EROBRUNG VON MAERSTRAND. An°. 1677. i. e. *Expugnatio urbis Maerstrand anno* 1677.

Numus hic expugnationem muniminum urbis Norvagiæ Maerstrand & oppugnationem urbis ejusdem, in Insulâ cognomini sitæ, designat, qvam cinctu rupium munitarum ferè inaccessam Prorex Norvagiæ & Campi Mareschallus *Guldenlovius*, consilio & impetu pari rem gerere edoctus, Anno 1677. Svecis eripuit. Inter cœteras in postica numi parte ex rupibus ad urbem Maerstrand prominentes munitiones validissima fuit *Carlstein*, qvippe situ loci cautiumq; fortitudine omnia sibi subjacentia munimina maximè defendens: Captis tamen die scilicet 13. Julii Anni 1677. munitissima rupe *Malepert*, die verò 18. ejusdem mensis castello *Gustavusburgo*, una cum urbe *Maerstrand*, & postridie insulâ bene munitâ *Hedvigsholm*, Heros ille indefessus telis ignitis ex tormentis bellicis, qvæ in rupes propemodum inaccessas sedulâ arte afferri curavit, toties laceratum tandem eò adegit, ut miles Svecus arma vexillaq; sua ad pedes tanti Proregis provolutus victusq; die 23. mensis prædicti posuerit Anno eodem. Fusa sunt itidem in campo Oddevaldæ die 28. mensis proximè seqventis Svecorum undecim millia, Duce eorum Regni Sveciæ Cancellario, *Magno de la Gardie*, cùm *Lövenhielmius* nostras duobus tantùm millibus

N.o 21.





N.o 22.





N.o 23.





N.o 24.





N.o 25.






N.o 26.





N.o 27.





libus equitum hosti huic palmam ibi præriperet. Numisma hoc oppidò elegans duarum est unciarum & dimidiæ drachmæ pondere.

Tab. XIV.

No. 23. Nomen Regium Christiani Qvinti, nodo triplici innexum, tribus coronis, civicâ, navali & vallari exornatum.

Ex parte aversa:

QVOT TUA REX INGENS PENSABUNT FACTA CORONÆ M. DC. LXXVII. *in Corolla, infrà literæ C. S. formæ inciforis, Christophori Schneider, nomen designant.*

Qvot & qvales Regi huic ob fortia facta debeantur coronæ, toto innotuit orbi. Alexandro Magno, meminit qvidem *Curtius*, coronam auream, donum victoriæ, à duodecim Legatis oblatam esse, & Trionum Alexandri nomen hic tribus coronis, ob tantas contra regnorum hostes fortibus ausis partas victorias, meritò exornatum conspicimus; At qvot & qvibus coronis triumfalem ipsius imaginem nunc redimiemus ob res pro salute & libertate Septentrionis nostri gestas, in annalibus æternitatem inventuras? causam itaq; habemus hic cœlum solicitare illo numi epiphonemate:

Qvot tua Rex ingens pensabunt facta coronæ!

Pondere exæqvat numus hic uncias duas tresq; drachmas auri.

No. 24. Figura muliebris sinistrâ scutum tenens cum insignibus Daniæ & Norvagiæ, dextrâ Pyramidem indigitans, cum Inscribtione: RUGIA RECEPTA XIII. SEPT. M. DC. LXXVIII.

In postico:

VOLITABIT FAMA PER ORBEM. *Aqvila volans alis expansis, & ungulis scutum tenens, cui insculpti characteres nominis Regii Divi Augusti nostri & Electoris Brandenburgici.*

Numus hic victoriam Gloriosissimi Regis CHRISTIANI V. indicat, qva anno 1678. d. 13. Sept. Rugiam Insulam maris Balthici, litoribus Pomeraniæ vicinam imperio Daniæ, cui olim subjecta fuit, iterum adjecit. Anno 1677. d. 7. Sept. primò à nostris expugnata, postea anno 1678. d. 7. Januar. in Svecorum potestatem redacta, tandemq; anni ejusdem die 13. Septembr. fortitudine Danorum, qvi Brandenburgicis juncti, rursus subjugata est, & tanta qvidem Svecorum strage, ut Dux *O. W. Königsmarck* cum exigua sibi relicta militum manu Stralsundam profugus ex periculo vix evaserit. Primus, qvi in hoc assultu die 12 Septembr. ex classe Danica litora promontorii Rugiani *Wittau* cum suis ascendit defenditq;, fuit Excubiarum Summus Præfectus *Lövenhelmius*, qvi hic qvoq; imperterritum ductu suo se gessit virum, etiamsi ter fuerit ab hoste afflictus. Postridie copiæ Electoris Brandenburgici, Duce perqvam illustri *Dörflingio*, ab adversa parte insulæ irruentes, militis Dani intrepida vestigia presserunt tam fortiter & feliciter, ut per qvatuor dierum moras, varios cum hoste conflictus & capta munimina tota hæc insula opima, & tanta militum Svecorum manu instructa victorum jussa capessens Danorum potestati iterum jure subjecta fuerit: Antiqvissima enim hæc est Danorum possessio, qvæ belli theatrum priscis Danorum Regibus toties constituit, utpote qvibus multa sangvinis profusione Christianam religionem propagare, pro more solito Romanæ Ecclesiæ, hic curæ cordiq; fuit, qvorum fortia facta, expe-

ditionesq; variæ in hiſtoriis patriis dilaudantur. Numiſma hoc duarum unciarum propemodum cum ſemuncia eſt pondere.

Tab. XIV.

No. 25. NON EST MAJORIBUS IMPAR. *Obeliſcus ex uno latere figuris Hieroglyphicis refertus, expeditiones & victorias Auguſtiſſimi Regis Divi CHRISTIANI V. deſignantibus, qvas terrâ mariq; habuit; Ex alterâ verò votum literis Runicis expreſſum:* Gud bevare Kongen/ i. e. *DEus ſoſpitem ſervet Regem! In ſummitate apicis nomen Regium.*

In poſtico:

Figura ſolis cum radiis, his nominibus inſignitis: WISMAR, JEMTERLAND, GOTHLAND, CARLSBURG, CHRISTIANSTAD, MARSTRAND, LANSCRON, VENNERSBURG, *Circa hæc:* VELOX IRE VIAM, ULTERIUS. 1677.

Numus hic qvi duarum unciarum eſt pondere, regiones urbesq; omnes à Rege victorioſiſſimo CHRISTIANO V. Svecis ereptas ab anno 1675. ad annum 1677. velut compendio repræſentat, & fortitudinis Regiæ documenta, victorias & trophæa, ſtatuas & obeliſcos ſeræ poſteritati exhibet. Toti enim terrarum Orbi notum, Divum Auguſtum non fuiſſe Majoribus imparem, qvi velut ſalutare ſidus & patriæ noſtræ Sol VELOX victoriæ didicit ULTERIUS IRE VIAM.

No. 26. CHRISTIAN. V. D. G. REX. DAN. *Effigies Auguſti.*
FRIDERICKSBERG. I. GVINE. *Typus Caſtelli.* anno 1682. G. S.

Ducatus eſt, Havniæ, cuſore monetario *G. Seſemann*, percuſſus, prout literæ G. S. deſignant, ex Auro Gvineenſi illuc ex caſtello Fridericksberg allato. Aurum hoc duplici, uti itineraria produnt, conqviritur modo: aut fluminum ramentis, nec ullum datur aurum abſolutius, utpote curſu trituq; fluminis perpolitum, Francis eſt *l'or en poudre*, arenas qvippe fontium fluviorumq;, totis convallibus currentium, incolæ qvàm ſtudioſiſſimè in catillis ligneis, huc atq; illuc verſis, aqvâ lavant & urgent, ut aurum lapidesq; capiant reſiduos, qvos cribro æneo ab auro ſecernunt flando: Aut aurum in aridorum montium jugis clivoſis vallibusq; admodum induſtrii Æthiopes qværunt & ſcrobibus effodiunt, qvod Francis eſt *l'or de mine* & tanti non æſtimatur, qvia glareis plerumq; ſordeſcit. Æthiopum gens alias eſt vafra & avida, qvæ ficto & picto auro etiam fallere novit, & nullos niſi indigenas ad aurum in tellure ſua qværendum admittunt, qvam cuneis & ligonibus ipſimet protinus tantùm aggrediuntur & ſuffodiunt, duriusq; nihil putant, niſi qvòd inter omnia auri fames ſit illis duriſſima; Terras ligneis columnis ſuſpendere, aut cuniculis montes ad lucernarum lumina cavare, auriq; venas accuratè indagare, neſciunt, qvæ ſi ipſis contingeret metallurgorum ſcientia, credimus ingentem illos invenire & effodere poſſe auri theſaurum, qvibus *Guilielmus Bosman* in Itinerario ſuo Guineæ Ep. 6. pag. 95. addit: *Les negres creuſſent la terre ſans connoiſance & ſans regarder à de couvrir les veines, qu'on dit, qu'il à dedans les mines.* Caſtellum verò hoc, in monte clivoſo Amamfore ad pelagi litora in regno Fetu Indiæ Occidentalis ſitum, *Joſephus Cramerus* nomine Conſortii Indiæ Occidentalis, qvod Havniæ indultu Regis noſtri eſt, anno 1659. ædificari curavit, ut ex eo fortiùs tuerentur commercia, qvæ

in

in ea regione inter Danos Æthiopesq; exercebantur. Munimentum tribus aggeribus tormentariis, prout ex numi aversâ patet, præmunitum exstat, qvi 24. tormentis ferreis sunt instructi.

Tab. XIV. No. 27.

ERTHOLMIA
ante Piscatorum Famula⁂,
nunc Arbitra Codani Maris,
ante inhospita scopulis, abrupta cautibus,
Nunc
Anno M. DC. LXXXIV. ausu plusqvam Herculeo
CHRISTIANI QVINTI
Augusti. Daniæ Norvegiæq; Monarchæ,
tutela Balthis, asylum negotiantium,
Regnorum gloria,
ex castello saxeo arcet hostilia,
amicos placidè receptat,
posthac
CHRISTIANSÖE.

A parte altera:

Typus Castelli cum insulæ tractu: supra qvem in aëre oculus coruscans, cui circumscribtum:

DEFENDIT ET AUGET. *Infrà ad oram:* MEDIIS JAM PORTUS IN UNDIS.

Circa numi oram extremam⁂:

Flectit ad obsequium cautes & pectora flectit.

Numus elegans & magnitudine insignis est, pondere tredecim semunciarum triumq; drachmarum cum drachmæ qvadrante, cujus in memoriam castelli tutissimi Christiansöe in insulâ maris Balthici à Borringia, nobis *Boringholm*, ortum versùs borealem, milliaribus circiter duobus distante & antea Ertholmia dictâ, exstructi, cujus primum lapidem nomine & jussu Regis Dn. *Christophorus Sehested* Reg. Majestatis Consiliarius Intimus submissè posuit. Castellum inter præsidia Balthica munitissimum est, qvod inscribtionis veritate se tuetur, ex qvo Augustus noster potentissimus Dominium maris Balthici sibi vindicans, hostes qvoscunq; arcet & amicos placidè receptat. Insulæ qvippe huic aliæ minores ejusdem nominis associatæ conspiciuntur, qvæ in circulum ita conglomeratæ sunt, qvemadmodum ex numi aversa patet, ut stationem navibus in medio sui vel præbere vel denegare hoc castellum possit. Datur hic etiam numisma egregium ejusdem typi à postica parte, ab antica verò icon Regis coronati, ferto militaribusq; armis undiqvaq; cincta, conspicitur, intra qvam in expansis leonis exuviis, qvas bini Angeli buccinantes ab utroq; Regis latere tenent, hanc leges inscribtionem:

ERTHOLMIA
ANTE IGNOBILIS CODANI FILIA
NUNC AUSU PLUSQVAM HERCULEO
CHRISTIANI QVINTI
NOBILITATA NEPTUNOQ; DESPONSATA
REGI GLORIAM REGNISQ; UTILITATEM
PARTURIT,
POSTHAC
CHRISTIANSöE.

Tab. XV.

No. 28. NEC VI NEC METU. *Obeliſcus, ventis procelloſis afflictus, cui inſcribtum nomen Regium*

A parte alterâ:

HAFNIA DANIÆ. *Typus Urbis.*

Ducatus eſt Havniæ percuſſus, cùm urbis ejusdem navale regium vallis præmunitum & aggeribus amplioribus cinctum eſſet, qvemadmodum & facies urbis prædictæ, prout pelago objecta, munitas ſtationes navium bellicarum & litora complectitur, hic à poſtica numi parte id ſubindicare videtur.

No. 29. CHRISTIANUS V. D. G. REX DANIÆ NORV. *Imago Regia.*

Ab alterâ parte:

Integra Regnorum, & pendentium ab iis Provinciarum Inſignia.

Ducatus eſt perqvam nitidus.

No. 30. *Rex Cataphractus cum bacillo Imperatorio & literis his characteriſticis, ſuprà:* C. V. R. *Infrà:* D. N. V. G.

A parte altera:

Nomen Regium triplici nodo innexum. D. G. DAN. NOR. REX.

Numulus itidem eſt perelegans & drachmalis.

No. 31. MAGNUS INSTAURATOR PATRIÆ. *Effigies Auguſti.*

LUX SEPTIMA REDDITUR ARÆ. OCTAVAM SIDERA SPONDENT. *Ara cum ſex Candelis, cui ſeptima imponitur, imminet verò octava, velut jam jam imponenda. Aræ ab anteriori inſcribtum exſtat: d. 9. Juli, 1684.*

Numiſma eſt pondere ſeſqviunciæ & duarum drachmarum cum dimidia.

No. 32. ANNIVER. SACRA CHRISTIA. V. PI. AUG. P. P. ANN. COMP. XXXIX. XV. APRIL. M. DC. LXXXV.

A parte alterâ:

TALE JUBAR. TOT ET ANNOS. *Typus ſolis jubarisq; ipſius ſuper Elephantem turritum, cui inſculptum Nomen Regium cum inſcribtione:* VOT. *Infrà.* V. F. G. L. CON. *Ad extremam numi oram:*

TRIBUS IMPERII LUSTRIS EXACTIS.

Ex inſcribtionibus diſpaleſcit numo hoc Regi CHRISTIANO V. Pio, Auguſto, Patri Patriæ, annis ætatis XXXIX. completis, anniverſaria ſacra facta eſſe à Prorege Norvagiæ *Uldarico Friderico Gulden Lövio* die 15. Aprilis Regis natali anno 1685. cum voto, ut Rex tribus imperii luſtris jam exactis, tot adhuc viveret annos, qvot ſolis jubar haberet radios.

Tab.












Nº 31.





Nº 32.






Nº 33.







Nº 34.



Nº 35.





Nº 36.






Nº 37.




Nº 38.

Nº 39.





Nº 40.





Nº 41.





Nº 42.





Nº 43.





Tab. XV.

No. 33. ADVENT. AUGUST: *Leo Norvagicus eum ſcuto, cui inſcribtum:* CONSERVAT. CHRIST. V. M.DC. LXXXV.

Ara cum 15. inflammatis cordibus, & inſcribtione: REGIS ET OMNIA REGI. V. F. G. L. P. i. e. *Vldarico Friderico Guldenlövio Prorege.*

Numus hic qvemadmodum & ſeptem proximè præcedentes, perluſtratam anno 1685. à Rege Sereniſſimo CHRISTIANO V. Norvagiam indicat. Hos enim numos perqvam nitidos Norvagiæ Prorex & magnus ille Heros, *Vldaricus Fridericus Guldenlovius*, prout literæ V. F. G. in numis deſignant, tam ex auro qvàm argento procudi curavit, qvibus Regi de adventu, ubicunq; occaſio ſeſe obtulerat, perqvam ſubmiſsè gratulatus, & erga bene meritos ſuam teſtatus eſt liberalitatem. Per *Dora & Fila* in numo, qvi hic ordine eſt trigeſimus ſeptimus, montium tractus longiſſimi in Norvagiâ indigitantur, incolis Dovrefiæld & Filefiæld/ qvorum clivoſa & prærupta juga, à nullo antea Daniæ & Norvagiæ Rege, qvod ſciamus, calcata, aditu difficillimo ipſos Alpes Italiæ & Apenninos vincunt. In memoriam hujus rei perennem à *Johanne Wibe*, ſummo tum temporis excubiarum Præfecto, in confinio tractuum borealis & auſtralis Norvagiæ, vulgò Norden og Sönden-Fiælds inter manſiones Gerken & Hulled/ erecta eſt Pyramis lapidea in jugo montis Doureſiæld/ cujus hæc eſt inſcribtio: Dend 19 Jun. Anno 1685. reiſte & ofver Doureſiæld. Apex pyramidis coronam geſtat. Utrinq; in lateribus inſignia Norvagiæ conſpiciuntur. Eqves enim Rex hoc anni die, qvamvis ipſius in via comites propter aditûs difficultatem ex eqvo qvandoq; deſcenderint, montis hujus adeò clivoſum tramitem non minus rectô itinere & feliciter ſuperavit, nulla formidans acclivia & præcipitia montium juga, de qvibus Cimber ille Boreæ explorator diligens, nomine Hohtherus, in *Appendice VI. ad hiſt. vitæ Regis Ælfredi Magni edit. Joh. Spelmann.* Norvagiæ tractum deſcribens ſic ſeculo IX. Regi *Ælfredo* retulit: *And ſe mor ſythhan on ſumum ſtovum ſva brad, ſva man mæg on tvam vucum oferferan and on ſumum ſtovum ſva brad, ſva man mæg on ſyx dagum oferferan.* h. e. Montes aliqvibus in locis tantæ ſunt latitudinis, ut non niſi duarum hebdomadum itinere poſſint tranſcendi, in aliis non latiores, qvam qvi ſex „ diebus ſuperari poſſint. Montium qvippe horridi tractus magis tunc „ temporis invii ideoq; per ambages ampliores iter conficere neceſſe fuit, qvod poſtea Norvagi fecerunt compendiariô. Qvemadmodum & Glorioſiſſimus Rex per novem hebdomades tresq; dies, ab anni 1685. & menſis Maji die decimo nono ad 24. Julii inſeqventis, univerſam fermè Norvagiam terraq; mariq; in milliaria Germanica 606. hac illac patentem, perluſtravit, atq; ita brevi temporis ſpatio nives montium, inacceſſas aliis, & prærupta cautium, auſu plusqvam Herculeo, ſupergreſſus, & fodinas metallicas, ſilvas ſaltusq; regionis, urbes, caſtella, tractus limitesq; provinciarum oculo ſagaciſſimo eſt contemplatus. Pondere numus hic eſt ſemunciæ triumq; drachmarum.

No. 34. CHRISTIANO V. P. AUG. P. P. NORVEGIAM LUSTRANTI; M. DC. LXXXV.

In postico:

: AUGET PRÆSENTIA FAMAM. *Figura muliebris galeata cum insigni Norvegiæ.*

Numisma est insignis magnitudinis, pondere qvinq; semunciarum & qvadrantis drachmæ.

Tab. XV.

No. 35. SALVO CHRISTIANO V. NORVEGIA FELIX. M. DC. LXXXV.

A parte alterâ:

Figura solis, qvi regionis cujusdam tractum illustrat, cum inscribtione:

LUSTRAT & ILLUSTRAT, DAT VIRES, MEMBRA FOVETQ;

Pondere est semunciæ cum drachma dimidia.

No. 36. C. V. R. D. N. V. G. Q; *Effigies Regis eqvitantis.*

TERRA MARIQ; 1685. U. F. G. *Navis bene instructa remisq; acta.*

Numus est, qvi pondere tres æqvat drachmas & tres drachmæ qvadrantes.

No. 37. Tria corda cum Nomine Regio & utriusq; Regni insignibus.

A parte alterâ.

DORA & FILA LUSTRAVIT. *Figura memorata nuper rupis, cui insculptus leo cum bipenni* M. DC. LXXXV. U. F. G.

Oppidò elegans est numisma, pondere semunciæ unius triumq; drachmarum.

No. 38. CHRISTIAN⁹ V. NORVEGIAM ILLUSTRAV. ANNO M. DC. LXXXV. U. F. G.

A parte alterâ:

Tria corda cum Coronis, qvæ Nomen Regis & Insignia Regnorum ostentant.

Numus est semuncialis.

No. 39. C. V. R. D. N. V. G. *Rex eqves.*

IN MEMORIAM. *Leo cum bipenni* 1685.

Trium drachmarum triumq; drachmæ qvadrantum pondus numus æqvat.

No. 40. NORVEGIA LUSTRATA A CHRISTIANO V. P. AUG. P. P. M. DC. LXXXV.

A parte alterâ:

TERRAQ; MARIQ;. *Sub hac inscribtione tractus qvidam Norvagiæ, qvem Rex terra mariq; peragravit, conspicitur.* Pendet numus hic tres semuncias drachmasq; duas.

No. 41. Character Nominis Regii in fasciâ Ordinis Elephantini, qvam leo bipennifer ungulis tenet, cum inscribtione: DAN. NORW. REX.

In parte adversa:

LABORANTEM CORROBORAT. *Crux Dannebrogica.*

Numus est elegans illustrissimos Regis Ordines eqvestres repræsentans, & pondere propemodum trium semunciarum.

Tab.

Tab. XV.

No. 42. IN GRATI. RECEP. *Insignia Hamburgi cum folio urticæ, qvod indubitatum in numis hujus urbis antiqvis signum est imperii Holsatici, sub qvibus:* M. DC. LXXXVI.

Ex alterâ parte:

Octodecim literæ P, *qvæ ita explicantur:*

Propter Preces Plurium Principum Pacem Petentium, Petulantibus, Pœnam Præpetem Pristinæ Pervicacitatis Paventibus, Pius Pater Patriæ Præsens Protinus Peperc-it.

Typus Urbis Hamburgensis obsessæ, qvæ sic in gratiam recepta.

Etiam lingvâ vernaculâ non minus feliciter Illustri & Generoso Eqviti Dano, patrii idiomatis amantissimo, cessit octodecim has literas P. in numo significativas per 24. F., idem significantes, exactè exprimere & explicare, qvod typis his maximè dignum:

Fæderneländets Frommeste Fader Formedelst Fyrsternes Flittigste Forbøn Friede Fæstningen Fra Foreståaende Fare / Forlood Folkets Forøvede Forseelser / Forleente Fred / Frelse / Fordi Fortrydelse Fandtes / Forbedring Forsikkredes.

Numisma est egregium, ponderis semuncialis, exceptò drachmæ dimidiò qvadrante.

No. 43. VIVAT CHRIST. V. ARB: MA. BAL. *Neptunus cum tridente, Delphino insidens, Sirenibus comitatus.*

In postico:

ADVENT. AUGUST. M. DC. LXXXVII.

Numus hic Regis Augustissimi, CHRISTIANI V. iter â freto viridi vulgò Grønsund / *Falstriæ Monaq;* interjecto, die 6. Maji anno 1687. in Insulam maris Balthici *Boringholmum* indigitat, qvam die septimo ejusdem mensis intravit. Hinc die 10. Maji vela solvens, ad Insulam *Ertholmiam*, in memoriam Regii Nominis *Christiansöe* nunc dictam, ut munimentum ejus firmissimum lustraret, die 11. Maji horâ matutinâ 3. pervenit, qvâ relictâ, pelagi minas ventorumq; rabiem expertus, Havniam die 19. Maji feliciter attigit optimus ille Maris Balthici Arbiter, cujus Adventum verè Augusti aversa numi facies devotè refert. Inter qvindecim insulas regni Daniæ *Adamus Bremensis* lib. de situ Daniæ pag. 12. circa seculum undecimum *Christianitatis*, ut dicit, *titulo decoratas*, etiam recensèt Boringholmum, qvæ ibi ordine octava Scaniæ & Gothiæ proxima, neglectâ primore syllaba, appellatur *Holmus*, *celeberrimus Daniæ portus & fida statio navium, qvæ à Barbaris in Græciam dirigi solent.* Ex hac enim insula, cujus longitudo milliaribus Germanicis septem protenditur, duobus lata patet, incolæ, *Adamo* barbari etiam dicti, in Græciam aut Constantinopolim solvebant, mare Orientale usq; in Russiam navigando, inde verò terrâ reliqvuum iter emensi sunt, qvemadmodum vel ex *Saxone* & itinere Regis Daniæ *Erici Boni* seu Cyprii, patet. Unde etiam Russia sub Græciæ nomine à scribtoribus historiarum borealium comprehendi cœpit. Indicium itaq; hoc est certum magna hujus insulæ incolis

cum

cum Græcis olim intercesſiſſe negotia & commercia, qvæ in Oriente latè admodum etiam Conſtantinopolim ſe extenderunt. Namq; haud ita pridem etiam tellure in inſula hac eruta ſunt numiſmata aurea Imperatorum Leonis & Anthemii, in muſéo hoc aſſervata, qvæ ob literas C O N. OB. in numorum averſis ab Antiqvariis tutò cenſentur ſeculo V. CONſtantinopoli OBſignata, & à Boringiis, aut bellatoribus, aut mercatoribus, ex Oriente illuc allata: Prius comprobare videtur *Saxo* noſtras *lib. XII. Hiſt. Dan.* ſic locutus : *Inter cæteros, qvi Conſtantinopolitanæ urbis ſtipendia merentur, Danicæ vocis homines primum militiæ gradum obtinent, eorumq; cuſtodiâ Rex ſalutem ſuam vallare conſvevit*, qvibus *Paulus Khamnuſius* Venetus, de bello Conſtantinopolitano l. 2. p. 87. adſtipulatur, & *Meurſio* in Gloſſario Græco-Barbaro Βαραγγοι ſtationarii erant milites, qvi obſervabant fores conclavis Imperatoris: Certè Boringii noſtrates hi fuerunt, nobis adhuc **Boringer** vocati, namq; ex Thule hos profectos fuiſſe *Nicephorus Gregoras* qvoq; teſtatus eſt: Οἱ ϛρατιῶται, inqviens, ὅτι τῆς Θούλης ἐκπορευόμενοι, ὃς βαραγγίδες καλοῦσιν ἡμέτεροι: & *Codinus* etiam in ſua lingva confitetur Barangis nomen hoc adhæſiſſe κατὰ τὴν πάτειον καὶ γλῶτταν αὐτῶν, qvorum patria *Saxoni Grammatico* etiam ſeculo XII. Boringia dicebatur; Poſterius verò Judæus *Benjamin Tudelenſis* in itinerario ſuo, Lugduni Batavorum 1633. ultimùm impreſſo, confirmat, dum circa annum 1173. refert, Daniæ populum etiam Alexandriam, commercia ut freqventarent, adventaſſe. Wulfſtanus Hethebyenſis, (nobis jam Slesvigenſis) in ſua navigatione, qvam *Ælfredus* Rex Angliæ in præfatione ſua ad Oroſium nobis, editore *Spelmanno*, reliqvit, ſeculo IX. ſuſcepta, vocat inſulam hanc *Burgenda Land.* Verba ipſius ſunt: *And thonne Burgenda Land væs us on bæcbord, and tha habbad him ſylf cyning.* i. e. Progreſſi inſulam Bugenda à ſiniſtra reliqvimus, eiq; proprius tunc erat Rex. Pondere numus hic eſt ſemunciali cum didrachmo.

Tab. XVI.

No. 44. CHRISTIANUS V. D. G. DAN. NOR. VAN. GOT. REX. *Regis icon galeata.*

In poſtico:

CHRISTIANSBURG IN GVINEA anno 1688. *Typus Caſtelli. Ad numi oram extremam*:

PIETATE ET JUSTITIA.

Numiſma eſt pondere ſemunciæ, exceptâ drachmæ parte octavâ, ex Auro Guineenſi Havniam è commerciis apportato. Primus caſtelli Chriſtiansburgi lapidem nomine Regis Daniæ hìc loci, qvi prius ab anno 1650. emporium Danorum parvum exſtitit, *Henningus Albrechts* in commerciorum tutamen anno 1659. poſuit, tunc temporis Locum-Tenens, tali fundamini mœnia & aggeres perqvam munitos *Chriſtianus Cornelii filius* eodem nomine anno 1661. peritè ſuperinſtrui fecit, qvemadmodum in hunc usq; diem ex litoribus pelagi ejusdem prominet: Suo ſub dominio etiam colonia qvædam Æthiopum ſatis populoſa, nomine Urſow, adjacet, ex qva 300 milites in hoſtem qvovis tempore conſcribi poſſunt. Caſtellum hoc eſt, qvod in regno Acara Guineæ ſitum & bene munitum, cujus præſidio noſtrates nomine Regis Daniæ commercia ſibi qvàm lucroſa longè lateq; exercent, magnam vim auri mercesq; pretio-

N.o 45.







N.o 46.







N.o 47.






N.o 48.





N.o 49.





N.o 50.





N.o 51.





N.o 52.





N.o 53.





pretiosas consortio Indiæ Occidentalis & Gvineæ, qvod Havniæ immunitatibus Regiis communitum est, qvolibet anno illinc afferentes. Decus itaq; & tutamen in armis munimen hoc Danorum dici meretur, prout etiam in numi aversâ pelago objecta litora & stationes navium complectitur, qvibus *Guilielmus Bosmannus* Batavus in itinerario suo Guineensi Ep. 5. pag. 77. rectè addit: *Le fort* (Christiansbourg) *en luy méme vaut autant, qve celuy des Anglois & le nôtre les surpasse méme en force. Il est à peu près qvarré, avec qvatre batteries, & autant, que je m'en souviens il y a dedans vingt pieces de canon* (nos addimus octo) *Il a une tres-belle apparence & on diroit, qve tout le fort n'est qu'une batterie, car étant plat par enhaut & bâti sur de fort belles voutes, ou y peut planter par tout du canon.*

Tab. XVI.

No. 45. CHRISTIANA CHAROLOTA. CHRISTIANI V. ET CHAROLOTÆ AMALIÆ FILIA. *Dania Lugens sub cupresso: Infrà ad oram* OBIIT. XIV. AUGUS. M. DC. LXXXIX.

In Aversa:

ÆTERNÆ MEMORIÆ. *Urna sepulcralis super columnam.*

No. 46. A. CHRISTIANO V. MISSUM WILHELMO III AUXILIUM VII. M. MILITUM. M. DC. LXXXIX. B. M. Nomen sculptoris *Bart. Mejer* binæ literæ posteriores designant.

Ab altero latere

Classis velificans.

Numisma hoc Daniæ copias auxiliatrices, qvibus Dux Würtenbergicus Dn. *Ferdinandus Wilhelmus* præfuit, ex Juticâ Chersoneso die 8. & 9. Novembris anno 1689. ad Anglorum hostes ex Hiberniâ propulsandos trajectas indigitat, qvarum fortia facta hîc infra ad numum ordine qvinqvagesimum dilaudanda. Numus est oppidò singularis, pondere qvatuor semunciarum cum drachma.

No. 47. CHRISTIANUS. V. D. G. REX. DAN. NOR. VAN. GOT. *Effigies Regis. Ad oram:* Bart. Meier.

Ab alterâ numi facie:

CORONEBURGUM CORONATUM. *Typus Coronaburgi perqvam exactus. Ad oram extremam:*

TERRAQVE MARIQVE TUETUR.

Munimentum castri Coronæburgi, qvod superbis mœnium jam eminens pinnis, qvorum lapidem primum Rex Glorioſissimus *Fridericus II.* anno 1574. posuit, sic öræsundam seu fretum Codani maris, freqventiâ navigantium & vectigali auro fœcundum terraq; mariq; tuetur, anno 1691. â Rege Potentissimo CHRISTIANO V. muniminibus firmioribus, qvà terræ pelagoq; affidet, illi additis. Meritò igitur propugnaculis vallisq; jam amplius extensis Coroneburgum Coronatum dicitur, qvod secundùm inscriptionem numi seqventis & claudere & recludere valet, ut verè Orientalis totius Oceani, qvà se latissimè versùs Moscos ac Sarmatas expandit, claustrum sit firmissimum. Arcem hanc inter Europæ celeberrimas & magnificentissimas *Hadrianus Romanus in*

Theatro Urbium jam dudum numeravit, qvæ ſumtibus maximis prædicti Regis FRIDERICI II., qvadrati lapidis artificioſa compage congeſta & mirabili ſtructura anno 1584. abſoluta eſt, antea verò arce, qvæ locum ejus vice obtinebat, ōrekrogæ vocabulo, à flexura litoris ſic dicta, funditus dirutâ. Ad munimen hoc, à Regibus memoratis qvàm potentiſſimis ſic exſtructum & ampliatum, urbs Helſingøør *Hvitfeldio* Chron. Dan. pag. 727. ſecundùm ἔτυμον Latinè *Benedicta Auricula* dicta, ſita eſt, qvæ occaſione tot gentium huc è Scotiâ, Angliâ, Galliâ, Hiſpaniâ, Hollandiâ, Sveciâ, vicinisq; Vandaliæ urbibus &c. appellentium & privilegiis urbi eidem anno 1425. à Rege *Erico Pomerano* primum conceſſis, ita adaucta. Eſt nūmus inſignis magnitudinis, pondus viginti duarum ſemunciarum duarumq; drachmarum cum qvadrante drachmæ æqvans.

Tab. XVI.

No. 48. CORONEBURGUM CORONATUM. *Typus caſtelli ejusdem.*

In poſtico numi:

ET CLAUDIT ET RECLUDIT. *Clavis ad utramq; manum parata.*

Ad oram extremam:

TERRAQVE MARIQVE TUETUR.

Egregiæ etiam magnitudinis numiſma eſt & ponderis novem unciarum.

No. 49. ÆTERNUM NITEANT ARCTOI SIDERIS ASTRA. *Stella coruſcans, in cujus medio* ℭ, *in radiis verò qvinq; grandioribus ſtellæ qvinq; Regiæ Prolis nomina*—.

In averſa:

CHRISTIANO QVINTO, tori luſtro Qvinto, ætatis novies Qvinto, ſtella Qvinqve partitâ felici Aprilis decimo Qvinto fidelis & Qvinqvaginta Qvinqve annorum ſubditus anniverſaria ſau. vovet.

Sunt anniverſaria ſacra Reg. CHRISTIANO V. ætatis anno qvadrageſimo Qvinto ipſius die natali piè peracta à Prorege Norvagiæ fideliſſimo *V. F. Guldenlöv.* Numus eſt admodum nitidus & pondere trium ſemunciarum, dimidiâ drachmâ exceptâ.

No. 50. RELEVATA. *Hibernia victoriolam manu dextrâ, ſiniſtrâ verò trigonum ſuum tenens. Sub qvâ* 1691. Ant. Meibus. F.

Ab alterâ parte:

Palma cum duobus ſcutis appenſis, in priori: DANORUM FORTIBUS AUSIS, *in poſteriori:* VIRIBUS VNITIS.

Sic enim Hibernia ſuam relevavit citharam, dum non minus *Danorum fortibus auſis*, qvàm *viribus unitis* munimina urbium Corcagiæ & Kynſaliæ, nomine Magnæ Britanniæ Regis, *Wilhelmi III.*, anno 1690. expugnabantur, Gallorum Hibernorumq; copiis, qvæ Regi *Jacobo*, ejus nominis ſecundo, auxiliatrices erant, ad Drogetham anno eodem à Rege *Wilhelmo* antea propulſatis, qvemadmodum & inprimis anno, ut numi antica facies præ ſe fert, 1691. poſt munitiones Athlonæ, Galloway, Slego & Ballymore oppugna-

oppugnatas & labefactatas juxta fluvium Boine & in campo Achrim, aliqvot millibus hoſtium cæſis, vexillisq; hoſtilibus 34, una cum tormentis omnibus & opima prædâ, captis, noſtrates etiam ſuam ita exeruerunt virtutem, ut tandem aliqvando Lymeria, urbs omnium in Hibernia munitiſſima, ſecundò obſeſſa, viribus his iterum adunatis, anno eodem ſub poteſtatem Regis *Wilhelmi III.* redacta fuerit, poſtqvam ſagacisſimus Heros & Dux Würtenbergicus, Dn. *Ferdinandus Wilhelmus*, copiarum Danicarum hic ſummus Præfectus, juſſu Magni Herois Dni. *Ginckelii*, qvi Imperator exercitûs erat, ſelecta militum manu flumen Schannon noctu trajecerat exercitumq; hoſtilem citra fluvium eundem, urbi prædictæ aſſiſtentem, improvisò obruerat & poſt varios conflictus fugaverat: Adeo enim Hiberniæ lyra, victore Rege *Wilhelmo*, relevata tantæ ſeveritatis muſam hic edidit, ut ultima hac ſpecie & Hibernos refractarios & Gallos veluti mœſtitia ac ſtupore compleverit, cùm hi veniam abeundi petere, illi verò poſt tam acerrimas pugnas & captas Hiberniæ munitiones victorum juſſa capeſſere coacti ſint. Hinc & tropæa illa perqvam ſplendida, ab hoſte ſuperato gloriosè reportata, de utraq; palmæ parte in averſa numi ſuſpenduntur, ut æqvè in numis ac in annalibus hujus rei æterna exſtaret memoria. Numiſma oppidò nitidum, qvod tres ſemuncias tresq; drachmæ qvadrantes pondere exæqvat.

Tab. XVI.

No. 51. CHRISTIANUS D. G. REX DAN. NOR. VAN. GOT. *Icon Regis.*
PIETATE ET JUSTITIA. *Inſignia Regnorum integra.* 1691. C. W.
Ducatus eſt, cura monetarii *Chriſtiani Winecke* percuſſus, qvemadmodum literæ C. W. deſignant.

No. 52. CHRISTIANUS V. D. G. REX DAN. ET NORV. *Icon Regis.*
IN PACE OMNIS SALUS. *Pax globo inſiſtens & dextrâ ramum oleæ, ſiniſtrâ cornucopiæ tenens, navigiis ſub ortu ſolis præternavigantibus.*
Numiſma eſt perqvam nitidum, pondere ſemunciali cum dimidia drachma.

No. 53. *Nomen Regium bifariam ſub coronâ.*
D. G. REX DA. NO. V. G. *Regnorum inſignia.* 1691. C. W.
Eſt Ducatus, à prædicto monetario itidem cuſus.

Tab. XVII.

No. 54. CHRISTIANUS V. D. G. REX. DAN. NOR. VAN. GOT. *Regis effigies.* Bart. Meier.
In poſtico:
Navale regium, vallis præmunitum, caſtellisq; iſtis maritimis bene inſtructum, ſupra qvod, in aëre apparent nubis & ignis ſtatuæ cum ſubſcribto: HIS DUCIBUS. *EXOD. XIV. Infra ad oram:* NEC IRRITANTES NEC IRRITANDÆ. Sunt Regis naves bellicæ, qvibus immenſa Divi Auguſti CHRISTIANI V. ſolicitudo novam & commodiorem ſtationem hic accuravit, ut intra ipſam, vallis aggeribusq; tormentariis anno 1692. exactè cinctam, qvaſi ſedentes Portuam illa Oceani parte non ſaltem, HIS DUCIBUS, tueantur, verùm etiam Patriam univerſam undiqvaq; defendant, qvibus appoſitè additur inſcribtio hæc: NEC IRRITANTES NEC IRRITANDÆ.

Ad numi oram extremam:

Sic ſtant conſpicuæ regali in ſede carinæ,
Et bene mumti caſtella natantia regni. 1692.

Numus inſignis magnitudinis, hinc & ponderis viginti duarum ſemunciarum, cum didrachmo qvadranteq; drachmæ.

Tab. XVII.

No. 55. CHRIST. V. D. G. DAN. NO. V. G. REX. *Icon Regis laureati.* Meibus. F.

PIETATE ET JUSTITIA. M. DC. XCII. *Triangulum nomine Divino coruſcans & circumqvaq; nomen regium ſextupliciter apparens.*

Ducatus eſt, qvi artificem ſuum *Antonium Meibuſch* commendat.

No. 56. Icuncula Regis.

Ex latere poſticô:

Dania & Norvagia ſacrificantes ad altare, cui inſculptum: VOTA REGNORUM *& ſcuta Daniæ & Norvagiæ. Suprà vota:* DE NOSTRIS DET DEUS ANNOS. *Ad oram infrà:* XV. APRILIS. 1693.

In natalem Regis percuſſus & devotè numus hic oblatus, qvi drachmam pendet.

N. 57. CHRISTIANUS V. D. G. REX DANIÆ NORVE. *Effigies Regis.*

Ab alterâ parte:

Regnorum inſignia provinciarumq; eò pertinentia—.

Ducatus item eſt nitidus.

No. 58. CHRISTIANUS V. D. G. DAN. NOR. VAN. GOT. REX. *Regis icon* Ant. Meibus. F.

PIETATE ET JUSTITIA. *Altare, cui impoſita ſunt Regalia ſeu ornamenta Regia, Deo conſecrata. Ex latere priori apparet Nomen Regium inter palmæ ramos.*

Coruſcant in numo hoc Trionum κειμήλια, ornamenta nempe Regia ſeu Regalia, qvæ mira concinnitate ex puro puto auro confecta. Præprimis effulget fulgidum iſtud ſeptentrionis noſtri diadema Regium, in cujus ambitu eminenter admodum illa incomparabilis ſapphirus oblonga exſplendeſcit, qvæ magnum iſtum, qvem Hetruriæ Magnus Dux poſſidet, adamantem & pondere ſuperat & ſplendore æqvat, utrinq; aſſident pyropi æqvales, flammas ſiderum cœleſtium imitantes, tandem ſeſe effert ſaphirus qvadrata perqvam eximia, fulgore ſuo nulli cedens, qvæ omnes intra ſuas qvaſi areolas adamantinas diſtinctæ per circuitum gratioſiſſimam ex ſe diffundunt lucem: Igneis qvippe luminibus totum anadema hîc inprimis perfunditur, accenſâ inter ſociatas & concinnè diſpoſitas gemmas aliqva æmulatione. Nempe ibi nitores Cyanei, maſculè certantes, fluctuant, ruboresq; igniti coruſcant, qvibus permagni illi adamantæi comites adſunt, qvi oculos fulgore ſuo leniter compunctos jucundè admodum paſcunt. Præ cæteris autem gratæ magnitudinis ille adamas, ex qvo hic Regii Nominis character pellucet, ſpectatorum oculis & animis glorioſam hujus κειλημίε Inſtauratoris memoriam ibi inculcat. Supra Diadematis hujus infulati ambitum arcus ex frondibus qvernis aureis, adamantibus ubertim diſtinctis, exſurgunt omnes aurei, qvi claudendo coronam coincidunt, & bene gemmati crucigerum ſuſtentant po-

mnm



N.° 54.



N.° 55.



N.° 56.






N.° 57.



N.° 58.



N.° 59.



N.° 60.





N.° 60a.





N.° 61.





mum aureum, cujus ex apice collucet mira & magna illa gemmarum progenies, qvæ varias ex ſe diſpergit flammas & ſcintillas. Et hæc eſt illa excellens forma, & operoſus ille ornatus, qvo in terris nihil dari poteſt deſcribtius, luculentius aut opulentius, unde ſeptentrionis noſtri regium caput aureſcit, frons gemmaſcit, Rex totus niteſcit & coronâ hac ex auro qverceâ redimitus de cœlo roboratur. Huic ornamento verè Regio oppoſitum eſt pomum aureum, qvod virilis manus vix complectitur, ambit ejus medium circulus gemmis adamantinis diſpunctus, & talis crux deſuper immobilis ei eſt inſita. Decuſſatim adjecta conſpiciuntur gratiæ juſtitiæq; inſignia Regia, ſceptrum aureum, abundè hinc inde adamantibus diſtinctum, in cujus ſummo cærulei lilii folia gemmata ſe paulatim vergunt & expandunt, & gladius Regius capulo gemmis pellucido munitus, & vaginam indutus, omnibus Regnorum, Ducatuum Comitatuumq; inſignibus, ex opere colliquato & cauſtico ſecundùm artem Heraldicam in clypeos redactis, perqvam concinnè exornatam, additâ cuilibet eorum clypeo coronâ adamantinâ ſatis decoro. Tanta & talia ornamenta regia Rex Auguſtiſſimus Deo ſacrata voluit, recordatus ea non niſi à Deo eſſe, qvæ & *pietate & juſtitia* ſumma in his terris geſtavit. Inſigne & nitidum hoc numiſma pondere decem ſemuncias cum dimidia exæqvat.

Tab. XVII.

No. 59. CHRISTIANUS V. D. G. REX DAN. NOR. VAN. GOT. *Regis icon.* B. Meier.

PAX QVÆRITUR ARMIS. ANN. M.DC.LXXXXIII. M. JUL. *Armorum congeries.*

In expeditionem Ratzeburgicam anno 1693. menſe Julii numus hic cuſus videtur, pondere eſt trium ſemunciarum.

No. 60. CHRIST. V. D. G. DAN. NOR. VAN. GOT. REX. *Icon Regis.* Ant. Meibus F.

QVÆ SUSPECTA DIIS MERITO SIVA DEJICIT ARMA.

Siwa Polaborum Dea, arma, qvibus induta fuit, in ſtagnum Ratzeburgicum dejiciens, ſub qvâ ad oram: PAX RATZEBURG. 1693.

Siwa ſeu potius, ut *Schedii* conjectura eſt, Syeba Polaborum Dea fuit, (i.e. Ratzeburgenſium) *Helmold.* lib. 3. c. 53. *Stabat illa*, inqvit *Bangertus* in notis ad hunc locum, *utrâq; manu in tergum rejecta, alterâ uvam cum folio viridi, pomum aureum alterâ tenens, capilli per tergum ad poplites usq; fluebant:* Qvibus *D. H. G. Maſius de Diis Obotr. cap. 2.* addit: *Caput ſerto ornata, de cætero nuda fuit*, qvemadmodum in averſa numi hic conſpicitur expreſſa, (manu tamen utraq; hic projecta, alterâ dejiciendo galeam, alterâ uvam pampinis veſtitam apprehendens) ſicut Polabi, relatu laudatorum Autorum, fortè aliqvot poſt ſecula ſuam ſibi formari Deam voluerunt: Nam ſi *Witechindo* iis antiqviori & Chron. Saxon. lib. 1. de Saxonum Diis ſic locuto credendum: *Secundùm errorem paternum ſacra ſua propria veneratione venerati, nimirum Martem, effigie columnarum imitantes Herculem*, rudem molem antiqvitus obtinuiſſe Saxonum Deos Deasq; cenſendum eſt, nondum enim hic de imagnibus receptis qvicqvam annotavit *Witechindus*, ſed de rudibus arborum truncis erectis, qvos columnas vocat, qvia Saxones ſic vocârunt Sulen / Sülen / & Seulen / ut: Herman-Sul ſive Irmenſeul / Idolum à Carolo Magno everſum, qvod ad

has columnas ſpectat, & exinde Irmenſulam rudem & informem talem columnam fuiſſe manifeſtum qvoq; redditur. Nec à cœpto hoc Lappones Tornenſes adhuc deſiſtunt, locô numinis Thoronis, nudum & rudem adorantes betulæ ſtipitem, qvem reliqvi Lappones ſpecie qvadam prorſus deformi formant, ex radice nempe caput, ex trunco ſeu caudice verò reliqvum corpus, & *Steuchius* in Lapponia *Schefferi* idola hæc aſſerit eſſe, *trabes ingentes, qvibus addita eſt rudis aliqva figura humanum vultum referens*, de qvibus fuſiùs pag. 104. 105. 106. & 107. qvemadmodum & Lappones eodem loco memorantur, ſuos etiam habere Deos lapideos, ſaxa illa vulgaria, rudia, ſcabra & fœda, nullam prorſus ſpeciem aut figuram præferentia, *Seitæ* qvæ ſunt vocata, interdum altitudine viri proceri: Sic etiam Veteres Saxones & Cheruſci prius nulla ſimulacra in Deorum Dearumq; cultibus admiſerunt aut εἰδωλα ἀνθρωπόμορφα fabricarunt, ſed columnas & truncos arborum, Deorumq; ſuorum nominibus inſigniverunt, donec tandem idola varia apud Romanos vidiſſent illorumq; commerciis uſi eſſent, uva qvippe & malum aureum, qvos Auctores hic in manibus Sivæ adferunt fructus, vix ante Chriſtianiſmum vel potius diu poſt, in Saxonia antiqva creverunt, adeò ut Polabi pagani hanc Sivæ formam ornamentaq; aliunde traxerint. Itaq; haud immeritò deinde fuit Venus Polaborum dicta, Ratzeburgi eodem in monte culta, in qvo poſtea *Henricus Leo* templum cathedrale condidit. Hodie locum iſtum incolæ *Montem Palmarum* vocant, ubi lucum Deæ huic conſecratum perhibent, qvæ jam ſuâ ſorte non contenta armisq; inde induta, meritò terrarum Diis ſuſpecta videbatur. Hinc ignium vi à Rege Potentiſſimo Chriſtiano Qvinto, Divo Monarchâ noſtro, eò redacta, ut propugnacula & arma ſua ipſo Michaëlis die anno 1693. dejiceret. Numiſma ſatis nitidum eſt, pondere octo ſemunciarum.

Tab. XVII.

No. 61. PROVIDENTIÆ CHR. V. P. F. A. P. P. OB. SECURIT. CIRC. INF. SAX. RESTIT. *Effigies Regis, ſub qvâ:* DN. XV. APR. M. DC. XCIV.

In latere adverſo:

Ratzeburgi oppugnatio. Ex utroq; ſtagni litore:

PIETATE COMMOTUS. JUSTITIÂ ADACTUS.

Providentiæ Regis Chriſtiani V. Pii, Felicis, Auguſti, Patriæ Patris Celſitudo Regia, Princeps Fridericus, Filius Regis prudentiſſimus, hodie Monarcha noſter Auguſtiſſimus, in natali Patris anno 1694. ſic litare voluit ob ſecuritatem Circulo inferiori Saxoniæ expeditione Ratzeburgicâ reſtitutam. Æqvatis enim ſolo Ratzeburgi muniminibus, Saxoniæ inferiori infeſtis, Fortiſſimus Rex ita novis diſſidiorum ignibus, in vicinia erupturis, prædicto die Michaëlis omnem diſtraxit materiem, ut & Saxoniæ Transalbinæ & ſuis provinciis ad libertatem proſpexerit Pietate commotus & juſtitiâ adactus. Numus eſt ſpectatæ magnitudinis, qvi pondere qvatuor uncias cum didrachmo drachmæq; qvadrante exæqvat.

No. 62. M. DC. XCIV. XV. APRIL. R. D. N. P. ✠ P. INCIPIT ANNUM ÆTAT. XLIX. REGNI XXV.

Ab



N°62.



N°63.







N°64.





N°65.



N°67.





N°66.





Ab alterâ parte:

Votum vernaculum literis Runicis inciſum:

ᚴᛁᚠ ᚴᚢᚦ ᚴᚬᚿᚴᛖᚾ ᚠᚱᚬᚴᛏ ᚬᚱ
ᚬᚦᚱᛁᚴ ᚢᛁ ᚼᛖᚦᚱᛖ ᚴᚬᚱ.

qvod explicitè ſic exaratur:

Gif Gud Kongen mange Aar/
Aldrig vi en bedre faar/

i. e. *Annos plurimos Deus Regi Optimo indulgeat.*

Numiſma oppidò ſingulare, & literis illis antiqvis, qvibus majores noſtri gentesq; Septentrionales & Gothi, qvi ex iis ſunt egreſſi, ſuas exararunt inſcribtiones, in averſa inſignitum, qvas, aut his ſimiles, politioris doctrinæ Antiqvarii, teſtimonio *Venantii Fortunati* lib. 7. Epigr. 18. muniti etiam Romanis inter Gothos in Italia degentibus circa annum Chriſti 560. innotuiſſe probant. Runæ initiò qvidem tantùm fuêre characteres magici, ſed poſtqvam à ſuperſtitione revocati eſſent & in Alphabetum digeſti, populis his Chriſtianis jam factis, vetus runicum nomen haud depoſuerunt, unde etiam *Venantius*, qvi Gothis ac Longobardis familiaris erat, iisdem ſub eodem nomine uti noverat, de qvibus uberiùs ſuprà meminimus ad numos Gothicos Part. II. Sect. III. No. 14. Pondere numus hic eſt ſemunciæ, duarumq; drachmarum cum drachmæ dimidiâ.

Tab. XVIII.

No. 63. DAN. NORV. VAN. GO. QVE REGINÆ CHARLOTTÆ AMALIÆ M. P. NATALITIO SACRUM.

In poſtico latere:

AUGUSTISS. VIVAT.

Duo ſacrificantes ad altare, cui inſculptum: XXVII. APRIL. M. DC. XCIV. *ſub qvo:* LÆTIT. PUBLI.

In numo hoc ſic *Matri Patriæ*, qvæ Serèniſſimâ Cattorum Haſſiacâ proſapiâ die 27. Aprilis anni 1650. prognata eſt, in ipſius die natali anno 1694, Dania & Norvagia ad aram devotè ſacrificantes, ut Regina *Auguſtiſſima* diu *vivat*, *Lætitiam publicam* teſtari videntur. Didrachmum pondere numiſma hoc exæqvat.

No. 64. CHRISTIANUS V. D. G. DAN. NOR. VAN. GOT. REX. *Regis icon, Ordinis Elephantini toga & torqve induti. Infra:* Ant. Meibus f.

In poſticô:

MAGNANIMI PRETIUM. *Ornamenta Ordinis Elephantini à cœlo irradiata.*

Ut non ſolùm conſveta antiqviſſimo & nobiliſſimo Ordini Elephantino reverentia ſervetur, qvam inde à Rege Daniæ *Canuto VI.* obtinuiſſe D. M. *Janus Bircherodius*, Epiſcopus jam Chriſtianſandenſis, in Breviario Eqveſtri hujus Ordinis multis argumentis evincit, de qvibus etiam vide, qvæ Sectione hac ad numos Tab. II. No. 10. 11. 12. & 13. item Tab. III. No. 1. & Tab. V. No. 24. adduximus, ſed & major illi indies accreſcat fulgor, Auguſtiſſimo, immortalis memoriæ, Regi CHRISTIANO V clementiſſimè placuit Ordinis hujus majorem ſuſcipere curam, leges & ſtatuta ejus ſummâ cum diligentiâ reviſa & aucta anno 1693. calendis Decembris promulgando,

gando, qvorum vi Feſtum Congregationis in Dei Ordinisq; gloriam in ſacello, qvod Fridericiburgi eſt, qvovis anno, tertio poſthac Pentecoſtes die, celebrandum voluit, qvod anno 1694. die 4. Julii magnâ gloriâ peractum eſt. In Ordinem hunc adſciti fuerunt poſtridie Principes Germaniæ Sereniſſimi & Celſiſſimi, *Fridericus* Gothâ-Saxonicus, Dn. *Everhardus Ludovicus* Würtenbergâ-Stutgardus, Dn. *Erneſtus Ludovicus* Haſiâ-Darmſtadenſis, Dn. *Philippus* Haſiâ-Caſſellanus, Dn. *Fridericus Ludovicus* Holſato-Beckenſis & Dn. *Leopoldus Everhardus* Würtenbergâ-Mumpelgartenſis, qvorum Legati, ritu ſolenni Ordinis ornamenta ſplendidiſſima ante ſolium ad pedes Regis provoluti ſummâ cum reverentiâ accepêre. Ordo certè eſt, qvo Principes coronisq; fulgentia capita ad fiduciam concordem amicitiamq; ſinceram mutuò inter ſeſe obligantur, in qvorum ſodalitium Ordinis Dominus non niſi viros illuſtriſſimos, qvorum ingentia glorioſaq; facta honorem hunc provocarunt, admittit, unde inſcribtio in numi averſa: MAGNANIMI PRETIUM. In cujus ſuſceptam curam memoriamq; numus hic ita percuſſus Nobiliſſimi hujus Ordinis Sodalibus à Rege, glorioſæ memoriæ, CHRISTIANO V., Ordinis tunc Domino, diſtributus eſt. Numiſma ex auro eſt egregium, pondere decem ſemunciarum cum drachma dimidia drachmæq; dimidio qvadrante.

Tab. XVIII.

No. 65. CHRISTIANUS V. D. G. DAN. NOR. VAN. GOT. REX. *Effigies Regis togam & torqvem Ordinis Elephantini induti. Infra*: Ant. Meibus. f.

In averſâ:

TESSERA FIDELIUM. *Manus nube exerta ornamenta Ordinis Dannebrogici tenet, ſuper globum terreſtrem.*

Percuſſum itidem Numiſma in Ordinis Dannebrogici inſtaurationem & celebrationem, qvæ diem natalem Auguſti noſtri illuſtrat. Ordo eſt celeberrimus, qvi à glorioſæ memoriæ Rege Daniæ *Waldemaro II.* inſtitutus cenſetur, ad virtutem eorum compenſandam, qvi expeditione Livonica hoſtilem impetum impigrè exceperant, victoriamq; Regi & ſibi aſſeruerant, occaſione vexilli, qvod de cœlo dicitur labſum, poſtea Dannebroge vocati (i.e. Danorum Palladii, *ut P. Reſenius* ſentit *in præf. Legg. Waldemari II.*). Varia auguria Majores noſtri ex vexillis bellicis ceperunt, qvæ arte magica ita contexuerunt pura, ut in illis, pugnæ tempore explicatis, corvus ſemper apparuerit, unde & labarum tale à Danis Reafen & Ræfen / i. e. corvus, καθ' ἐξοχὴν, denominabatur. Teſtis oculatus nobis erit vetus *Encomiaſtes Emmæ*, cujus verba ſic lib. 2. jacent: *Erat namq; iis* (Danis) *vexillum miri portenti, qvod licet credam poſſe eſſe incredibile lectori, tamen qvia verum eſt, veræ inſeram lectioni. Emmverò dum eſſet ſimpliciſſimo candidiſſimoq; intextum ſerico & nullius figuræ in eo inſerta eſſet imago, tempore belli ſemper in eo videbatur corvus, ac ſi intextus, in victoria ſuorum qvaſi hians ore excutiensq; alas inſtabiliq; pedibus, & ſuis devictis, qvietiſſimus totoq; corpore dimiſſus*, cui & *Aſſerius Menevenſis* de rebus geſtis *Ælfredi* lib. I. n. 54. aſſentitur. Ex qvibus certò colligimus ſuperſtitionem veterem à Danis, Chriſtianis jam factis & regnante *Canuto Magno*, non ceſſiſſe. Nec Norvagis Chriſtianis etiam ultimò ſeculi XII. defuit

defuit vexillum propemodum tale, ipſis *Sigrflugan* vocatum i. e. Signum victoriæ volans, credebant enim vexillum hoc ventô oppidò ſingulari agitatum ſibi certam portendere victoriam, qvemadmodum illud ante Regem *Svererum* contra ipſius hoſtes ex Hiſtoria ipſius M. S. pag. 485. & 491. portatum percipimus, nomine *Sigrflugan* inſignitum; Ut verò antiqva illa ſuperſtitio *Waldemari II.* tempore elideretur, amiſſo veteri Danorum labaro in conflictu contra Livonos mox novum eſſe ſubſtitutum legimus, cujus auſpicio Rex *Waldemarus*, qvi ob ingentes ſibi partas victorias **Woldemar Sejr** / i. e. victorioſus dictus, illicò tot & tam felices edidit ſtrages, ut Dani bellatores tanti fecerint vexillum hoc, acſi de cœlo labſum fuiſſet: Nam qvicqvid antiqvi arbitrati ſunt præter ſpem, aut mala impéndentia avertere, aut felicitatis ſucceſſum dare, illud cœlô miſſum dixerunt, qvomodo & vetus ſcribtor Anglicus *Twinus* in hiſtoria Regis *Ælfredi Magni*, editore *J. Spelmanno*, Regem eundem *de cœlo elapſum* prædicat. Hinc & labari hujus occaſione in uſum tractum fuiſſe Ordinem Danebrogicum Nobiliſſimus *Th. Bartholinus* noſtras in Diſſertatione hiſtorica de Eqveſtri hoc Ordine gravibus probat argumentis: Danebrogicus ſic vocatus à vexillo Dane-broge, **Broged** enim nobis eſt verſicolor, qvemadmodum & Generoſus *Hvitfeldius Chron. Dan.* pag. 185. 192. 1033. & 1034. vexillum hoc **Danebroge** / i. e. Danorum verſicolor, trilici natura contextum, apparuiſſe deſcribit, coloresq; fuiſſe purpureum, album & flavum, qvos pro tempore aliqvantum mutatos ex antiqvis hiſtoriarum monumentis intelligimus, cruce Danebrogicâ albâ, prout in vexillis & ſigillis Regum Daniæ nunc conſpicitur, autem *Waldemaro* IV. à Prædeceſſoribus ſuis qvaſi per manus in labaro Danorum relictâ, qvam ipſius clypeo ſic inſertam inter Regum ſigilla, Regis FRIDERICI II. hiſtoriæ, editore *Reſenio* laudato, adjuncta, videmus. Temporum verò vetuſtate Ordinem tam illuſtrem oblivioni penitùs traditum priſtinæ dignitati & gloriæ reſtituere, atqve in uberius ornamentum certos eidem æqvè ac Ordini Elephantino prædictis calendis Decembris addere articulos Monarchæ invictiſſimo, Divo CHRISTIANO V., placuit: Unde anno 1671. d. 12. Octobris (poſtqvam Divinum Numen Regem primogenito pridie beaſſet) ejus rei initia publica clementiſſimè fieri curavit, cùm Havniæ in arce Roſenburgi 20. viros Generoſos & magni nominis Proceres **teſſerâ hac fidelium**, dignaretur, Dominos nempe *Georgium Bielcke*, Regis Generalem Locum-Tenentem: *Otthonem Pogwiſch*, Expeditionum militarium Præfectum Summum: *Ovidium Juel*, Proregis in Norvagia Vicarium: *Oligerum Wind*, Vice-Theſaurarium: *Ericum Banner*, *Ericum Krag*, *Enewaldum Parsberg*: *Corneficium Trolle*, *Chriſtianum Scheel* & — —, qvi Regi à Conſiliis intimis erant: item Summum maris Daniæ Præfectum *Curtium Adeler*: Comitem, *Magnum Friis*: Barones, *de Winterfeld*, *Ol. Roſencrantz*, *Eilardum Holcke*, *de Ruyſenſteen* & *Janum Juel*: Summum Regiæ venationis Præfectum, *de Hahne*: Excubiarum etiam ſummum Præfectum, *Fridericum de Ahlefeld* & Sereniſſimi Principis GEORGII Qvæſtorem primarium, *von der Oſten*. Numus ex auro eſt itidem ſatis elegans, in ejusdem rei memoriam perennem ſic procuſus & diſtributus, decem ſemunciarum drachmæq; dimidiæ pondere.

Tab. XVIII.

No. 66. DIE EDLE BLUME LENCKT SICH NACH DEM HIMMEL HIN.

Sol ſuper ſoliſequam ſplendens, apud quam cor alatum cum nomine Sereniſſimæ Reginæ Charlottæ Amaliæ.

DEM LANDE WIRD GESCHENCKT DER SEEGEN ZUM GEWIN. *Exerta è nube manus flores aliaq; è cornu copiæ effundens.*

No. 67. DES HIMMELS KRAFT DEN WACHSTHUM SCHAFT FRIEDENREICH. *Palma ad mare ſive flumen navigabile.*

UND LOCKT DIE FAHRT; RECHT NACH DER ART, DOCH HELDEN GLEICH. *Evolantes ad ſolem duæ aquilæ.*

Numiſmata ſymbolica hæc ſunt perqvàm ſplendida Reginæ Matris, *Charlottæ Amaliæ*, qvondam obſeqvioſum & fœcundum conjugium deſignantia.

Ulterius Numiſmata hæc aurea Glorioſiſſimi Regis CHRISTIANI V. uti ſeriùs aut congeſta aut procuſa, in acervum hunc diſponere, ne numorum ſuperiùs explicatorum ſeries disrumperetur, neceſſe habuimus.

Tab. XIX.

No. 1. Characteres coronati nominum Monarcharum ſeptentrionalium, Regum CHRISTIANI V. & CAROLI XI. inter palmarum ramos, ſibi invicem conſertos, in qvorum medio repræſentatur figura (adamas qvibusdam eſt) trigonalis, angulatim diadamata & ab omni parte coruſcans, cui inciſum vocabulum FRIEDE, qvod nomen Auguſtum ULRICA ELEONORA & XXVI. SEPT. M.DC.LXXIX amplectuntur. Ad oram numi circa palmarum ramuſculos: DIE HIER BINDET WIRDT GEBUNDEN. UND DADURCH DER FRIEDE GEFUNDEN.

In poſtico:

Mercurius aëra pervolans, ſub qvo inſculptum exſtat: *Lauter Freude.*

Ex inſcribtione numi antica & figuris haud obſcurè colligimus, almam ſeptentrioni tunc reſtitutam fuiſſe *pacem*, qvovis theſauro pretioſiorem, interq; paciſcendi conditiones illam fuiſſe maximam, qvâ, novò amoris beneficiò, publicis Trionum deſideriis ſatisfieret: Ceſſit qvippe fœdere connubiali, anno hoc menſisq; die, ULRICA ELEONORA, Princeps Daniæ & Norvagiæ Hæreditaria, omni laude digniſſima, in Svecorum Monarchæ, CAROLI XI, amplexûs caſtiſſimos, qvibus poſt tot inter Reges diſcordias totus coaluit Septentrio, pignoreq; tanto Auguſtorum amicitia, nullo caſu in æternum diſſolvenda, firmata. Meritò igitur Mercurius, Deorum vigilantiſſimus caduceator & fœderum ac induciarum inventor, nobis in numi poſticâ *tanta* annuntiavit *gaudia*. Numiſma eſt trium ſemunciarum & qvod excurrit.

N. 2. AÕ: CHR. M. DC. LXXXI. REGNANTE. REGUM. OPTIMO. CHRISTIANO QVINTO. VIRTUTE. ET. INDUSTRIA.



N°. 1.





N°. 3.



N°. 2.

AÕ. CHR.
MDCLXXXXI.
REGNANTE REGVM OPTIMO
CHRISTIANO QVINTO
VIRTVTE ET INDVSTRIA
HENRICI SPAN
INVENTA EST NAVALIS MACHINA
CVIVS OPE
VETVSTE ET LONGO VSV FRACTÆ NAVES
NON SINE MAGNO TEMPORIS ET SVM TVVM
COMPENDIO
RESARCIRI ET QVASI IN INTEGRVM RESTITVI
QVEANT
ADEOQ
QVOD NATVRA NEGAVIT
COMMODVM
ARTE
PARATVM
EST.



N°. 4.







N°. 5.





N°. 6.





N°. 7.



N°. 8.



FRIDERIC:
D·N·V·G·PRINC·
HAEREDIT·
ET
INDOV·PRINCIP·
PRIMOGEN·FIL·
CHRISTIANVS·
NAT·28·IVN·1697·
DENAT·4·OCT·1698·

labaro explicato, cujus medium characteres nominum Sponsi Sponsæq. Serenissima sub coronâ opertâ occupant, quater addito voto: VIVANT.

Adventum auspicatissimum **Augustæ** Sponsæ, Dominæ LOVISÆ, Principis Megapolitanæ omni laude majoris, numus denotat: Die qvippe primo Decembris anni 1695., ductu Herois illustrissimi Dni. *Christiani Siegfriedi à Plessen*, ad litora, nemori *Gyldenlund* prope Havniam objecta, Princeps illa exoptatissima navi rostrata, magnifico apparatu instructâ appulit, qvæ illicò amplexu castissimo Sponsi Celsissimi, Daniæ & Norvagiæ Principis tunc Hæreditarii, Dn. *FRIDERICI* excepta in arcem Jægersburgum ingenti gratulantium numero & nobilium satellitio stipata introducta est. Hinc votis publicis invocata, insequenti die 5 Decembris, prout stylobatæ pyramidis insculptum exstat, festivitatis publicæ apparatu facto, inter effusæ Aulæ Urbisq; gaudia, Principe Sponso in occursum cum purpureo agmine ruente, sic ordinis eqvestris flore circumfusa sedem Regiam Havniæ ingressa est, ejusdemq; diei vesperâ, post festivas Regiæ gentis, Principum Magnatumq; gratulationes, sacra faciente Regis Confessionario, Dn. *D. Petro Caspari*, in thalami sociam tanti Principis assumta est, Rege aliqvando digna conjux. Horum **temporum lætitiam** qvoq; numi postica indicat cum voto, ut qvàm diutissimè bene **vivant** & qvicqvid in sinu suo cœlestis favor recondit, nuptis Principibus Piis, Augustis, Felicibus proferat, atq; sic ex iis virtutum suarum traduces, singulari cœli munere, longa serie progerminent, avitis fascibus aucti. Pondere est fermè qvinq; semunciarum.

Tab. XIX.

No. 8. FRIDERICI. D. N. V. G. PRINC. HAEREDIT. ET. LUDOV. PRINCIP. PRIMOGEN. FIL. **CHRISTIANVS.** NAT. 28. JUN. 1697. DENAT. 1. OCT. 1698.

In postica:

SEPTEM. SPES. LAPSA. TRIONUM. *Urna feralis super altare, insignibus Daniæ & Obotritarum à priori latere exornatum, utrinq; Dania & Norvagia lugentes, infrà spes labsa & litera C. S. qvæ inciforis nomen designant.*

Tanta Trionum spe Dania & Norvagia labsæ meritò hîc lugent & cineres Beati Principis sacrare in numi postica satagunt, cœlum simul precibus solicitantes de publicæ felicitatis fructu, nullis tunc regnorum natis natorum existentibus. Reperitur etiam in ejusdem rei memoriam numisma procusum, cum inscribtione in aversa: **caduca relinqvo**, ubi effigies nuda, sub cœli irradiatione, nube recepta conspicitur, ornamenta Regia relinqvens. Infrà leo cum insignibus Daniæ ante urbem Havniæ procumbit. Utrumq; qvadratum est duorum ducatorum.

Tab. XX.

No. 9. CHRIST. DAN. NOR. PRINC. HÆR. CHARL. AMALIA PRINC. HASS. Ant. Meybus. fecit.

Principum icones se invicem aspicientes.

Ex aversa parte:

PROSPERA SERVABIT, QVÆ FOEDERA SANXIT, OLYMPUS.

Sub hac inſcribtione eorundem Principum ſtatuæ, porrigentes ſibi manus.
Ad infimam numi oram: M.DC.LXVII. D.25. *Junii.*

Ex hujus numi inſcribtione ſatis diſpaleſcunt fœdera ſacra nuptiarum in arce amœniſſima Neocopingiæ in Falſtria ſancita, qvibus regnorum tunc Hæreditarius Princeps, Dn. CHRISTIANUS, d. 25. Junii Anni 1667. inter ſolennes populi applausûs feſtivasq; Regiæ Gentis & Principum Magnorum gratulationes ſibi Sereniſſimam ex domo Cattorum Haſſiacâ Principem ac Dominam *Charlottam Amaliam* in thalami ſociam, aliqvando dignam Rege conjugem, aſſumpſit. Princeps enim illa & virago eſt, *in qva* Nobiliſſimus Tullius noſtras, D. *Wandalinus, Orat. Parent. in exeqviis Divi* CHRISTIANI V. verè dixit, *verecundiam de palma certare cum venuſtate, cum gravitate humanitatem, cum nobilitate Principalis familiæ chorum virtutum clariſſimarum.* Havniæ breves poſt moras Princeps omni laude digniſſima pompâ & applauſu magno excepta eſt, qvam Principum dotum abſolutum compendium Matremq; Deorum æternùm regnaturi Nepotes celebrabunt. Numus eſt perqvam elegans pondere unciarum qvinq;.

Tab. XX.
No.10. In numi facie Rex in genua ad altare holocauſto accenſum devotè provolutus eſt, compoſitis manibus Deum ſolicitans, cum epigraphe: CHRISTIANUS.
Infimo numi loco (Franci dicunt *dans l'exergve*) *exſtat*: PIETATE.

Ab altera parte:

REX. *In ſolio Regio ſedet Rex Salomon, dijudicans cauſam meretricum.*
Infra ad oram numi: JUSTITIA.

Senſus numi totus eſt erutus ex hiſtoria Salomonis 1 Reg. 3., qvi, regno in manu ipſius confirmato, dominatum *Pietate* exorſus eſt, & ſapientiam à Deo efflagitans, *Juſtitiâ* prudenter diſcuſſit cauſam meretricum. Qvantas autem à primis ungviculis regiminisq; primordiis *Pietas* fixerit radices in pectore Salomonis noſtri, Divi CHRISTIANI *V.*, & qvàm individua per omnem vitæ gradum ipſi exſtiterit comes, in glorioſam & æternam ipſius memoriam prædicant, qvi ad ipſius conſvetudinem interiùs admiſſi fuêre, ipſorumq; poſteri dicent, adeo ut etiam occupatiſſimus manè non ante ſalutari & alloqvi, aut veſperi qvietem ſumere voluerit, qvàm ſe Deo venerabundum ſtiterat, ſe ſuamq; Domum Regiam, regna & populos in clientelam Divinam commendans. Notiſſima qvoq; ſunt ipſius in publico officia devota, qvibus ſubjectorum animos in Deum cultumq; divinum attraxerat. Dilaudent ſinceram Regis pietatem ædium ſacrarum tecta parietesq; ſuperbi, in qvibus tot & tanta ipſius exſtant præſidia. Adde qvod de promovenda Eccleſiæ politia, de ſacris ritè, id eſt, decenter & ad veræ pietatis formam, ordinandis, de pauperibus curandis, de alendis Sacrorum miniſtris, de ſcholis deniq; & doctrinæ ſeminariis conſervandis multa piè, religioſè & qvam nemo majore & accuratiore ſtudiò præſcribſit. Uberiùs idem loqvantur & enarrent Magni hujus Inſtauratoris pia ſtatuta, ut ille præ cœteris juſto pietatis titulo gaudeat. Et qvemadmodum Chriſtianus Pietate, ſic & Rex Juſtitiâ denominandus ſit: Magnus enim hic Legislator jura regnorum Tribunalibus reſtituit, cui eorum amplisſimæ provinciæ debent, qvòd in unoqvoq; regno una vivendi lege & ejusdem juris inſtitutis, qvæ à Patre ipſius Magno, *Friderico III.*, inchoata, jam in ſuum qvodq; corpus concinno ordine col-

N° 9





N° 10





N° 11





N° 12.





N° 13.





N° 14.





N° 15





N° 16





N° 17





N° 18





N° 19





N° 20





N° 21.





STRIA. HENRICI. SPAN. INVENTA. EST. NAVALIS. MACHINA. CUJUS. OPE. VETUSTÆ. ET. LONGO. USU. FRACTÆ. NAVES. NON. SINE. MAGNO. TEMPORIS. ET. SUMTUUM. COMPENDIO. RESARCIRI. ET. QVASI IN. INTEGRUM. RESTITUI. QVEANT. ADEOQ;. QVOD. NATURA. NEGAVERAT. COMMODUM. ARTE. PARATUM. EST.

In parte altera:

Machina hæc navalis cum navi bellica, jam jamq; qvaſi matre renatâ, adumbratur, hinc infimo numi loco inſcribtum: HAC MATRE RENASCOR. C. S. *Binæ ſunt literæ, qvæ inciſoris nomen deſignant.*

Egregium eſt numiſma qvinq; ſemunciarum, exceptô drachmæ dimidiô qvadrante.

No. 3. CHRIST. V. ET. CHARL. AMALIA. D. G. REX. ET. REG. *Icones Regis Reginæq; ſe invicem aſpicientes.* Ad infimam numi oram: ANTON. MEIBUSCH FECIT.

In poſtico numi latere:

A *dextrâ ſuperioris partis eminet Celſitudo Regia* FRIDERICUS, *hodie Rex Auguſtiſſimus.*

A ſiniſtrâ ejusdem partis CHRISTIANUS PRINCEPS, *qvi, peregrinabundus Ulmæ anno* 1695. *d.* 27. *Junii immatura morte eſt mortuus.*

Ab inferiori dextrorſum PRINCEPS CAROLUS.

E regione: WILHELMUS PRINCEPS, *qvi Havniæ ſua morte præmaturè defunctus eſt anno* 1705. d. 23. *Novembris.*

Aream numi obtinet unica tunc regnorum PRINCEPS, SOPHIA HEDEWIGA.

Inſcribtio: SPES ET DELICIÆ ORBIS ARCTOI. *Ad infimam oram:* FELICITAS SECULI DIE XV. APRILIS. M.DC.XCV

Splendida hæc ſunt ſimulacra iconica Auguſtæ Domûs Divi CHRISTIANI V, meritò Spes & Deliciæ orbis Arctoi vocata, qvibus Regii Parentes in natali Regis d. XV. Aprilis anni 1695, ſibi in regnorum præſidia & familiæ Sereniſſimæ ornamenta relictis, lætati ſunt, ideoq; in illius ſeculi felicitatis perennem memoriam numiſma hoc qvàm elegantiſſimum & ſpectatiſſimum pondere decem ſemunciarum Rex Glorioſiſſimus cudi Suisq; diſtribui curavit. Datur & aliud ſimili, ſed minori, typo, & pondere qvinq; ſemunciarum.

No. 4. * CHRIST. V. D. G. DAN. NOR. VAN. GOT. REX. *Regis effigies,* Ant. Meibus f.

IN. TRANSITU. VIDIT. ET. DERVIT. *Delineatio muniminis* Holmer-Schantze *adjectarumq; munitionum. Infrà ad oram numi:* OB SECUR. PUBL. 1697.

Ut Rex prudentiſſimus provinciis Ducatuum Slesvigæ & Holſatiæ ad ſecuritatem publicam proſpiceret, & ſibi unionis communionisq; fœdera, inde à Majoribus ſarta & tecta, ulterius cum Duce Gottorpienſi integra ſervarentur, munitionem in averſâ numi adumbratam adjacentiaq; peregrini militis receptacula, nuper à Duce hoc absq; prævia communi-

catione exſtructa, in tranſitu anno hoc videns demoliri adactus eſt: Qvippe vigore antiqvitus ſtabilitæ arctiſſimæ conjunctionis & communionis horum Ducatuum in iis, qvæ communem ſecuritatem attinent, Duci eidem non licuit absq; communicatione & conſenſu Regis tales perficere munitiones, qvemadmodum Dux *Chriſtianus Albertus*, in Memoriali, Aulæ Svecicæ anno 1665. exhibito, ſponte ſuâ eſt confeſſus, cùm nil præter obligationem Vaſalli exſtinctum eſſe ex fœderibus ſancitis rectè evinci poſſit, ſalvâ unione cæterisq; pactis, Regem & Ducem ab antiqvo obligantibus. Et qvoniam de ſupremitatis titulo, Ducibus Gottorpienſibus ſumendo, nil in pactis iſtis eſt actum, ſuprematum qvoq; Duces hi non potuerunt extendere ultra id, qvod reverâ conceſſum & transactum fuit. In cujus rei memoriam ſuſceptamq; Regis curam numus hic, pondere trium unciarum cum dimidio drachmæ qvadrante, ita eſt procuſus.

Tab. XIX.

No. 5. CHRIST. V. REX DAN. NORV. V. E. G. *Regis icon.*

In Averſa:

Leo ſub ungvibus ſcuta tenens, ut ex inſignibus in umbone conſpicuis patet, Daniæ, Norvagiæ & Slesvigæ, cum inſcribtione hac: ET TEGIT ET PROTEGIT ET TUETUR.

In numi poſtica Leo Arctous illa regnorum ducatuumq; in armis decora, Daniæ ſcilicet & Norvagiæ, Slesvigæ &c. ſcuta tegendo tuetur, ut non ſolùm hoſtibus, qvos eodem tempore acceperat, conſtaret, ſi modò contra eum in arenam deſcenderent, cum qvo pugnaturi eſſent, ſed & indicaret, ſe non paſſurum eſſe ſibi ungvibus extorqveri qvicqvam, cujuscunq; ſit clypei, qvô ſecundùm poſticam numi inſcribtionem avita regna ducatusq; & tegit & protegit & tuetur. Numiſma eſt inſignis magnitudinis, qvod pondere ſeptem ſemuncias & dimidiam drachmam exæqvat.

No. 6. CHARL. AMALIA D. G. DAN. NOR. V. G. REG. *Reginæ Effigies.*

In poſtico:

DIEU POUR MON PARTAGE. *Aream numi illuſtre tetragramma* יהוה *occupat.*

Numus Reginæ Matris eſt ſymbolicus, qvo abſolutiſſimum illud Pietatis ac Clementiæ exemplar profitetur, ſe partem nullam in his terris habere niſi Deum. Reginæ ejusdem effatum videtur eſſe, qvale illud Regis Davidis Pſalm. 73. v. 26. *Deus pars mea, Deus in æternum* Hinc & Divinum illud tetragramma, velut media poſticæ inſcribtionis pars, eo nomine hic coruſcat, namq; nihil in cœlo Reginæ eſt absq; Jehova, nec absq; illo ad exemplum Davidis qvicqvam concupiſcit ſuper terram. Pondere hic numus eſt duarum ſemunciarum cum tribus drachmis.

No. 7. ADVENT. AUGUSTAE. *Navis roſtrata, velis remisq; properans, comite claſſe.*

In poſtico numi latere:

LÆTITIA TEMPORUM. *Obeliſcus ad litora poſitus, à cujus latere priori Daniæ & Obotritarum inſculpta ſunt inſignia ſub corona operta. Infimo loco inciſa eſt æra Chriſtiana* M. DC. XCV. V. DEC. *dextrorſum Cupido cum laba-*

collecta in Daniâ 1769., in Norvagiâ autem 1735. numerantur, aſſociatæ nunc floreant & absq; temporis diſpendio cum exigui argenti impendio, nec Bartholo nec Baldo dicam impingentibus, pro ſe ipſis cauſam dicant, qvod non cuivis contingit populo. His legibus ſuorum vitia fregit, & peccandi licentiam ex imperii finibus ſedulò proſcribſit, qvin etiam qvoties in tribunali ſummo intricatos juris dijudicare caſus, aut in conſilio intimo qvid diliberandum vel conſilium in arena capiendum contigit, Conſiliariorum animos non potuit non ſubire admiratio, qvippe advertentium exactam in Rege veri rectiq; ſagacitatem, qvi res dijudicatu difficiles tam prudenter dirimere ſcivit.

Tab. XX.

No. 11. CHRISTIANUS V. D. G. DAN. NOR. VAN. GOT. REX. *Ejusdem Regis vultus.*

In aversâ:

MONUMENTUM PIETATIS. *Typus templi.*

Ad oram numi infimam: CHRISTIANSHAFN.

Numi facies præ ſe fert iconem Magni Patriæ Inſtauratoris templiq; Chriſtianshavniæ fundatoris, cujus devoti actus teſtem in poſtica numi parte exemplar ejusdem templi tunc ædificandi ſeſe ſiſtit. In fundati ergo templi memoriam numus hic eſt procuſus, cujus primum lapidem Glorioſisſimus Rex Anno 1682. d. 30. Octobris piè poſuit; jacto verò ultimo hujus monumenti lapide, anno 1696. d. 19. Aprilis ab Epiſcopo Siælandiæ D. *Henrico Bornemanno* ſub nomine *Salvatoris* Mundi Deo dicatum voluit, qvo die Pius ille Rex etiam cum tota Domo Regia de fauſto ſucceſſu cœlum ibi ſolicitavit, votis populi devotè ſtipatus. Magnum certè & magnificum eſt **Pietatis Monumentum** & urbis Havniæ, in ſuburbio Chriſtianshavniâ, eminens ornamentum, ſecundùm ideam ſummi Architecti Regii, *Lamberti von Hagen*, adeo ſcitè & venuſtè exſtructum, ut ſeptentrionis ſtupendæ molis & artis fabrica meritò ſit vocandum.

No. 12. CHRISTIAN. V. D. G. REX DAN. NOR. VAN. G. *Regis Chriſtiani V. vultus.*

Ex aversâ numi parte:

Argenti-fodinæ in Norvagiâ Regiomontanæ cum inſcribtione: SPE ET LABORE. Ad extimam numi oram: MONS DOMINI MULTA RERUM UBERTATE REDUNDAT. Pſ. 68. 16.

Ex antica parte numi vultum Regis CHRISTIANI V. exhibentis, tutò colligimus in aversâ qvaſi per tranſennam repræſentari argenti-fodinas Regiomontanas, in Norvagia admodùm feraces, cùm in regnis arctois Regis ejusdem aliàs nullæ dentur, dari autem poſſe plures in Norvagia argenti fodinas aliorumq; metallorum nulli dubitamus, earum verò, qvæ hic dantur, & argenti ſunt, exactiorem ſitum in mappa geographica ad Sectionem VII. part. I. *de metallis* &c. hujus muſei luci expoſuimus. Satis ſuperq; itaq; ad rem erit, in numismatis poſticâ parte compendiariò tantùm indicaſſe metallurgorum officia & fodinarum qvarundam capita, fructus partesq;, qvarum ſpecus Potentisſimus Rex CHRISTIANUS V. in itinere ſuo Anno 1685. præſentiâ Auguſtâ illuſtravit, & luſtrando duas, qvæ

in

in Muſéo hoc aſſervantur, argenti mineras eximias manu Regia avulſit, veſtigia Divi CHRISTIANI IV. animosè premens, qvi fodinas has qvoq; perluſtrans argenti puri mineram elegantem libræ dimidiæ pondere, ut refert *Wormius*, olim manu extraxit. Venæ verò argenti primæ fodinæ fortuitò à paſtore qvodam juvene, patris pecora in tractu illo paſcente ſub jugis montium Sølvsbiergs Aas in vicinia Sandſvær/hodie Kongsbierg ſive Regiomonti Anno 1623. inventæ & detectæ ſunt, Regisq; nomine deinde fodina hæc inſignita, qvæ tot & tantas cum tempore circum ſe nacta eſt diffuſas argenti venas earumq; fodinas, ut illæ jam ſecundùm montium tractum in ſuperiores & inferiores diviſæ ſua qvæq; ſortitæ ſunt nomina, de qvibus diffuſiùs hîc egimus part. I. ſect. VII. Scatebræ ſunt hæ, qvas benedictione tanta Numen Divinum fœcundavit, ut fertilitate ſuâ nullis planè in Germania cedant, qvarumq; ſumtus facilè ergò ſuperarunt lucrum. Teſtes clariſſimi ſunt tot ex argento myriades numorum uncialium, qvi Regum noſtrorum autoritate ex iſto metallo Norvagico ſeculò proximè dilabsò cuſi originis ſuæ memoriam in poſtica numi parte conſervant, Leonem cum bipenni, decora Norvagiæ inſignia, exhibentes. Nec unqvam probus hic labor ſpem fefellit, unde *ſpe & labore* averſa numiſmatis inſcribtio vult, ulterius etſi annitendum: In extremo numi limbo monti eidem ejusq; fodinis ob earum fertilitatem hoc Davidis effatum applicatur: **Mons Domini multa rerum ubertate redundat.**

Tab. XX.

No. 13. ARCTOI FASCES CUM JOVE SOLUS HABET. *Glorioſus Regis Chriſtiani V. vultus cum caſſide, plumis ſertoq; laurino ornata.*

In parte poſtica:

POST DOMITOS HOSTES TERRAQVE MARIQVE TRIUMPHOS. *Regis equitis ſtatua in ſtylobatâ poſita.*

Feliciter qvippe faſces Trionum Monarcha hic cum Jove ſolus certè habuit, nec tamen, altitonante fulmine Jovis, juſtiſſima bella ſæviens expedivit, qvi in gerendo & componendo bello ſemper inventus eſt pacificus: Humanus enim inhumanum duxit, homine prodigè uti. Sibi ergo habeant hoſtes pervicaces, ſi qvæ ab eo everſæ ſint urbes, agri deſolati, incenſæq; aut laceratæ claſſes, multis myriadibus hominum & omni aparatu inſtructæ. Et ſanè qvotqvot è litoribus Codani maris capita exerunt & tunc exeruerunt munimina ſuperba, tot & ejus rei exſtant monumenta, Martiæ virtutis & victoriæ ipſius documenta. Ad Oelandiam, ad Langelandiam, ſinumq; Coagienſem Balthicus ille Neptunus faſces ei dimiſit, & agnoſcens Dominum ſua jura, repetitis præliis, vindicantem, tot Regis victorias integras maximeq; inſignes in æviternum decantat, dirutis captisq; tot claſſibus, qvantis reparandis pauci anni & unius regni ſumtus vix ſufficerent. Ob infinita ergo in nos merita & cives tantopere ſervatos laureâ redimitus victor in victoriato hoc meritò conſpicitur, qvemadmodum & **poſt domitos hoſtes terraq; mariq; triumfos** in aversâ numi eqves eminet invidiam ſtimulaturam peſſundans. Statua eſt magnifica, qvæ in foro Regio Havniæ inter reliqva orbis arctoi fabrorum fuſa ποιήματα nulli cedit omniumq; ideò oculos in ſeſe convertit,

tit, opera & arte Statuarii Regii, *Abrahami Cæsaris L'Amoreux*, Metis Lotharingi, hic ex plumbo conflata & anno 1688. stylobatæ spectatæ imposita, cujus angulis asident justæ magnitudinis imagines, virtutes verè regias repræsentantes. Egregia hæc artis moles altitudine sua duos supra viginti, &qvod excedit, pedes æqvat, in æviternam Monarchæ hujus victoriarum memoriam foriq; Regii ornamentum magnificentissimum.

Tab. XX.

No. 14. SIC ORBIS VEHITUR. *Vehiculum qvoddam tot vermiculis tractum, qvot eidem insident homines.*

In postico:

HILARITAS TEMPORUM, *in corona laureâ.*

Est numulus, qvi percussus refertur anno 1693. in hilaritatem eorum temporum, qvæ in aula Regiâ d. 16. Febr. incidebant, eo enim qvisq; aulicorum, qvasi in theatro qvodam, splendidè admodum personatus suum luci exponebat affectum. Et sicut mundus regitur opinionibus, ita iisdem in numo hoc sub specie vermiculorum vehitur: qvippe suos qvisq; patimur manes. Aula igitur regia magnatesq; ipsius hic nihil humani à se alienum esse contestari voluerunt, ut eò melius qvilibet suum deinde reprimeret affectum, publicè professum.

No. 15. FRIDER. DAN. NOR. PRINC. HÆR. LOVISÆ PR. MEGAPOLIT. Concordia æterna. *Icones eorundem Principum junctis lateribus stylobatæ impositæ, cui æra Christiana & mensis dies, nempe 1695. d. 5. Dec. qvo nuptiæ istorum Principum Havniæ celebrabantur, incisus. Infrà* Ant. Meybus. fec.

Ex altera parte:

ANTHYRIA VIRTUS. *Virtus provida, sedens dextrâ corripit serpentem, sinistro brachio copiæ cornu, omni ornamento Regio prædives, tenens, loco fulcri sedilis gryphus conspicitur, virtutis illius insigne decorum.* Ad oram infimam hoc votum: REGUM FOECUNDA FIAT!

Numisma est, qvod Principibus Celsissimis, septem Trionum deliciis, inter arctoi populi acclamationes festivas, Magnorum Principum Magnatumq; gratulationes, thalamis Augustis Havniæ in arce Regia die prædicto illatis, Concordiam æternam exoptat, ut excelsæ hoc pacto coalescant mentes & antiqva gentis utriusq; concordia arctiore jam vinculo, in seros annos duratura, firmetur. Junctis itaq; cum patria universa votis sua qvoq; ex parte postica offert numus σωτήρια pro Anthyriæ Virtutis fœcunditate: Qvippe Obotritarum sangvinis satorem Anthyrium annales memorant, Ducem *Alexandri Magni*, qvi, domitore orbis exstincto, in oras Vandalicas navi cum lecta manu vectus, Megapolin, Herulam & Stargardiam postea condidisse fertur, ex cujus progenie, Celsa & Regia illa Obotritarum gente, consummatæ illud virtutis Anthyriæ exemplar Serenissima Princeps ac Domina LOUISA oriunda, filia *Gustavi Adolphi* Ducis Megapoli-Gustrovienſis ex *Magdalenâ Sibyllâ*, Principe natu maximâ *Friderici* Ducis Slesvicensis, Anno 1667. d. 28 Augusti nata, qvæ in Celsissimi Daniæ & Norvagiæ tunc Hæreditarii Principis FRIDERICI amplexus ruit castissimos, impetu hoc sibi nos omnes clementer admo-

dum devinciens. Igitur ad thalomos tantorum Principum ſubmiſsè provoluti cœlum, unde fertilitas omnis deſtillat, his precibus ſolicitamus:

Anthyria virtus
Regum fœcunda fiat!

Elegantiâ conſpicuus eſt numus, etiam in poſtica ſub ſpecie Virtutis Anthyriæ faciem gratioſam Celſiſſimæ Principis LOUISÆ exprimens pondere ſuo qvatuor uncias fermè æqvat. Horum temporum lætitiam numus Tab. XIX. No. 7. qvoq; hic indicat.

Tab. XX.

No. 16. FRIDER. DAN. NOR. PRINC. HÆR. LOUISÆ PR. MEGAPOLIT. Concordia Æterna. *Vultus gratioſi expreſsis thoracibus eorundem Principum & junctis lateribus baſi impoſiti, cui ara Chriſtiana nuptiarum Principum eorundem inciſa eſt menſisq; dies.*

In poſtica:

FELIX DANORUM GENIUS. *Genius ſub brachiis infantem geſtans.*
Inferiùs: CHRISTIANUS NATUS. XXVIII Junii MDCXCVII.

Principum iſtud conſummati amoris par & exemplar, nunqvam ſatis dilaudandum & venerandum, prima numi pars exhibet, fauſta acclamatione inibi repetitâ, ut illis ſit Concordia Æterna, poſteritati propagandæ & noſtræ felicitati continuandæ jam proſpicientibus. Averſum itaq; ſi inſpiciamus numi latus, habuimus hic pro qvo vota cœlo etiam ſolveremus gratiasq; referremus, qvòd thalamum illorum Principum ea exhilaraverit fœcunditate, tantumq; amoris caſtiſſimi pignus benigno ſinu in nos effuderit, dum die 28. Junii Anno 1697. ex Sereniſſimâ Principe Megapolitana, Domina *Ludovica*, Principem *Chriſtianum*, Hæreditarii Daniæ & Norvagiæ Celſiſſimi Principis *Friderici* Primogenitum, naſci voluit. Felix ergo inſcribitur hic Danorum Genius, naturæ Deus humanæ. At cùm nihil ab omni parte beatum ſit, Princeps primogenitus his terris vix oſtenſus anno proximè ſeqventi vivis exceſſit d. 1. Octobris! Commutare ſaltem nobiſcum voluit bonus ille Deus hoc Septentrionis Decus, cùm exſpirantis jam ſeculi Anno 1699. d. 30. Novembris ſingulari cœli munere Celſiſſima Princeps, tunc Regina Daniæ & Norvagiæ laudatiſſima, iterum peperit Principem Hæreditarium, cui avitum illud impoſitum nomen CHRISTIANI. Numus eſt qvoq; oppidò pretioſus, pondere ſuo qvatuor uncias ferè æqvans.

No. 17. CHRIST. V. D. G. DAN. NOR. V. G. REX. CHARLOTTA AMALIA REGINA. *Vultus Regis atq; Reginæ ſe invicem aſpicientes.*

In poſtica.

Daniæ & Norvagiæ ſtatuæ, inter tædas geniales ſuper aram, igni accenſam, tenentes clypeum, in qvo:

DE SEX LUST. CON. CHRIST. ET CHARL. AMA. 25 JUN. 1697. FEL. ABSOL. *Altare eſt tribus his literis* VOT. *ſignatum. Infimo deniq; loco:* GRATUL. *qvod ſic legendum cenſemus:* De ſex luſtris conjugii Chriſtiani & Charlottæ Amaliæ 25. Junii 1697. feliciter abſoluti vota gratulatoria. *Qvibus omnibus inſcriptio hæc votiva adjungitur:* ADHUC SEX LUSTRA SUPERSINT.

Vota

eminentiſſimæ gloriæ virtutumq; radiis, inclaruit orbi toti, perfectisſimam *Pietatis* & *Juſtitiæ* imaginem præprimis in eo demiranti. Demeruit igitur *Optimus* ille *Rex*, qvòd *Pietas* & *Juſtitia* triumfalem ipſius imaginem in numi averſa ſertis redimiant ſuis, meritisſimo acclamantes:

Qvot tua, Rex ingens, penſabunt facta coronæ!

Numus eſt aureus, pondere qvatuor fermè unciarum, qvi, funere Regio Divi CHRISTIANI V. Havniâ d. 2. Novembris Anni 1699. apparatu ſolenni Roëskildiam educto, procuſus bene meritis ab Auguſtisſimo Monarcha noſtro FRIDERICO IV., Genium & Majeſtatem Parentis induto, eſt diſtributus.

Tab. XX.
No. 21. CHRIST. V. D. G. DAN. NOR. VAN. GOT. REX. *Regius vultus.*

In poſtica:

MEMORIAE AETERNAE OPT. PRINC. *Supra pyramidem cum impaſita urna ſepulcrali, monogrammate Regii nominis ſignata, ipſi pyramidi inſculptum legas.* N. 15. APR. 1646. OB. 25. AUG. 1699. REGN. AN. 29. h. e. Natus 25. Aprilis 1646. Obiit 25. Auguſti 1699. regnavit annos 29. *Infimo deniq; numi loco exſtat E. C. D. 2. NOV. qvod legendum putamus.* Et Condebatur Die 2 *NOV*embris

Numi tales per plateas in pompa inſigni, qvâ Potentisſimi qvondam, memoriæ glorioſæ, Regis CHRISTIANI V. funus Regium ducebatur, inter populum Havniæ d. 2. Novembris 1699. veſperâ eâdem ſunt ſparſi, æternam Optimi Principis memoriam inculcantes. Cœteros funeris Regii apparatus ſplendidos uberiùs deſcribtos dabit Diarium Regis ejusdem Germanicè conſcriptum & Havniæ Anno 1701. impreſſum, qvos breviter *Nova Literaria Mar. Balt. & Septent. Anni 1700. pag. 45.* delineant. Exſeqvialis hic numus, qvi minoris eſt moduli, pondere unius unciæ qvadrantisqve conſtat.

SIGILLA REGIS EJUSDEM AUREA.

Tab. XXI.
No. 1. SIGILLUM REGIS MAGNUM.

Antica facies Regem CHRISTIANUM QVINTUM, Regiis ornamentis inſtructum & throno Auguſto inſidentem repræſentat, cujus frontiſpicio inſcriptum Symbolum: PIETATE ET JUSTITIA.

Poſtica verò ſigilli facies integra regnorum & qvæ eò pertinent Provinciarum inſignia, torqvibus utriusq; Ordinis Regii cincta, exhibet.

Sigillum eſt admodum ſpectatæ magnitudinis, qvadraginta ſemuncias auri pedens, qvo immortalis memoriæ, Divus CHRISTIANUS V., ſua cum terrarum Principibus Potentiſſimis fœdera, qvæ integra & ſancta ſemper ſervavit, corroborari fecit, peſtem enim univerſitatis rerum illam qvorundam in fœderibus pangendis & mox frangendis levitatem averſatus fidem coluit conſtantiſſimè; Oſculatus eſt qvondam Æthiopum Rex Archetas, teſte *P. Diacono lib. 16.* hiſtor. miſcellan. p. 471. Imperatoris Juſtini pectuſculum in ſigillo, qvo epiſtola, ſibi ab eodem anno 465. miſſa, obſignata fuit, docet enim ibidem, qvid ſigillum claudens epiſtolam expres-

ſerit, nempe imaginem Imperatoris, qvæ pectuſculum præ ſe ferebat, ex qvibus colligimus non adeò amplum ſigillum fuiſſe, dum pectuſculi *P. Diaconus* ſaltem hîc meminerit; At qvàm ſubmiſſis exoſculationibus, Dive Auguſte, tuum hîc venerabimur pectus, Auguſtiſſimum antiqvæ fidei domicilium.

Tab. XXI.

No. 2. Inſignia Regnorum integra, faſciâ & torqve elephantino cincta.

Ab alterâ parte:

MAGNUM SIGILLUM NOBILISS. ORDINIS ELEPHANTINI.

Elephas turritus gemmisq; diſtinctus, cui Æthiops manu ſagittam tenens inſidet, cum ſymbolo Ordinis ſuprascribto:

MAGNANIMI PRETIUM.

No. 3. Inſignia regnorum plena, faſciâ & torqve Danebrogicô circumdata.

Ex altera parte:

Character nominis Regii coronatus inter ramos lauri & palmæ. Ad oram ſigilli: RESTITUTOR ORDINIS DANEBROGICI. *In medio Crux gemmis diſtincta & ſtellata, cum ſymbolo Ordinis:* FIDELIUM TESSERA.

Sigilla hæc Ordinum Eqveſtrium ſunt, qvorum prius pondere uncias ſex, poſterius verò qvinq; propemodum ſuperat. His literæ Regiæ, qvibus Monarcha Septentrionis noſtri vel terrarum Dominos vel excellentes Magnates in Ordines hoſce eminentiſſimos cooptat, munitæ conſpiciuntur, ut toti mundo certiùs conſtaret, qvàm ſincera amicitia & fiducia concors ipſi cum Europæ Principibus intercedit, qvàmq; juſta lance eminentium in toga vel ſago virtutum decora communicat.

No. 4. CHRISTIANUS V. D. G. REX DANIÆ NORV. V. G. D. SL. H. ST. D. C. OLD. & DEL.

Inſignia regnorum, trinis tormentis bellicis & Ordine Elelphantino exornata.

Eſt ſigillum Regis militare, pondere qvod uncias auri tres exæqvat. Multa præterea & magni ponderis hîc qvoq; viſuntur ſigilla aurea, qvibus glorioſæ Memoriæ Rex, Divus CHRISTIANUS V., diplomata & edicta ſua expediri curavit.

REGIS
FRIDERICI QVARTI.


Tab. XXII.


No. 1. CHRIST. V. D. G. DAN. N. V. G. REX. *Regis effigies.*

In aversâ:

FRID. IIII. D. G. DAN. N. V. G. REX. *Icon Regis.*

Numus eſt, ancipite imagine oppidò rarus: Numiſmatis qvippe antica Divi Monarchæ, Regis CHRISTIANI V., regnorum habenas die 25. Auguſti anno 1699. deponentis, faciem ſerenam repræſentat, qvâ Rex tantus, pacis belliq; tempore, magnitudine rerum geſtarum, fortitudine, pruden-




CHRISTIANUS V DEI GRATIA
REX DANIÆ
ET NORVEGIÆ
VANDALORUM
GOTHORUM
DUX SCHLES
VETHOLSA
TIÆ. STOR
MARIÆ. DIT
MARSIÆ. CO.
MES IN OLDEN.
BURGET DEL
MEN HORST

Vota tricennalia Dania & Norvagia in poſtica numi parte ad altare ſolvunt de ſex luſtris conjugii Regis CHRISTIANI V. & Reginæ CHARLOTTÆ AMALIÆ die 25 Junii 1697. feliciter exactis, ſuſcipientes tot tantaq; vota inter gratulationes in hoc die feſtivas, votivâ nempe hac acclamatione: **Adhuc ſex luſtra ſuperſint.** Habemus certè, pro qvo vota ſolvamus cœlo, qvod Optimo Patri Patriæ, CHRISTIANO V., non optimam tantùm junxerit Matrem CAROLOTTAM AMALIAM, ſed & tam obſeqvioſo & longævo Regium hoc Par beaverit conjugio, cujus longævitatem ſuperare nullis Regibus, ſtemmate Oldenburgico ſatis, antea contigit, niſi *Chriſtiano* & *Johanni* Primis, qvô ampliſſimos felicitatis publicæ fructûs in nos qvàm gratioſisſimè contulit. Eſt itidem numiſma non minus ſplendidum, fermè ejusdem ponderis & magnitudinis atq; proximè præcedens.

Tab. XX.
No. 18. CHRISTIAN. V. D. G. REX DAN. NOR. V. G. *Regius ejusdem vultus.*

Et parte altera:

* Hiob. 37. 22. VON MITTERNACHT KOMT GOLD. KONIGSBERG Am 1 DEC. 1697. H. C. *decuſſatim duo mallei.* M.

Qvamvis dictum Scripturæ ex parte numi averſa, ſecundùm fontes Hebræos eum non patiatur ſenſum locoq; auri ponendum eſſe fulgorem accuratiores fontium ſacrorum indagatores ſentiant, attamen appoſitam hic *Lutheri* verſionem nil minus cenſemus: **Von Mitternacht komt Gold.** h. e. *Ex ſeptentrione venit aurum,* cùm & in rem noſtram apprimè faciat, qvibus & addimus ſeqventia Jobi verba: *Et ad Deum formidoloſa laudatio:* orbi qvippe jam notum eſt, qvàm divite penu amplisſimum Norvagiæ Regnum ſub aſperis montium jugis argentum ſubminiſtrat, ut etiam auri fulgor ex fodinis hiſce ſeſe ſubinde diffundat, propterea & Deum omnipotentem cum Jobo venerabundi laudamus, qvi amicum illud ſoli metallum in ultimis & frigidiſſimis etiam ſeptentrionis oris naſci adeò clementer concedit. Ex auri enim minerâ, argento admixtâ & duas marcas pendente, qvæ ex diu deſerta & denuò apertâ fodinâ Norvagica Regiomonti, **Die beſtändige Liebe** dictâ, Anno 1697. diruta & per ignem depurata $8\frac{1}{2}$ ſemuncias auri, argenti verò $7\frac{1}{2}$ ſuppeditavit, numus hic aureus aliiq; ejusdem typi & ponderis ducatum valentes, curâ Nobiliſsimi & Generoſi *Schlaenbuſch*, argenti fodinarum Regiomonti in Norvagia Præfecti ſummi, die 1. Decembris anni ejusdem percuſſi ſunt, qvorum χειρότυποι ad Monarcham noſtrum anno eodem ab eo transmiſſi. Exſtat etiam in Muſéo hoc Regio minera ejusdem farinæ, qvæ ex fodinâ Regiomontana, **Braunſchweig** vocatâ, Anno 1630. avulſa huc allata eſt. Hinc poſt qvatuordecim annorum moras itidem major auri vis ſub rigidis tractûs Necnæſenſis montibus ſeſe in Norvagia exeruit, cujus rei teſtem fide dignum afferimus incomparabilem D. *Th. Bartholinum* in ſuis vindiciis pro Medicinâ Danorum: *Auri,* inqvit, *qvod ferax eſt eadem Norvagia, cujus minera A. C. 1644. ex tractu Necnæſenſi prope portum Arendalenſem & curiam Barlo* (Archivis Regiis rectius eit ad portum *Marede* & prope *Bareboe* in eodem tractu) *allata igneq; probata ex pondere centenario præbuerunt auri puri marcas triginta octo, & alia vena ex libra una auri puri dedit drachmas ſex, ex accurata annotatione* Olai Wormii *lib.* 1. *Muſéi ſect.* 3.

c. 2. *Aliæ mineræ talcoſæ & multis granatis refertæ inde ad nos miſſæ fuerunt, aurum condere paratæ, qvarum particulas in muſæo ſervo. Ex harum minerarum auro in rei pretioſæ memoriam Rex Daniæ inclytus, Divus Chriſtianus IV., ducatos aureos cum paropiis cudi mandavit*, qvemadmodum & nos antea Sectione hac ad numum No. 40. Tab. VII. meminimus, addita hac inſcribtione: *VIDE MIRA DOMI.*

Tab. XX.

No. 19. UTINAM NON POSSET MORI! *votum eſt, qvod ambit glorioſam Regis Chriſtiani V. iconem in numi hujus facie. Inferiùs additur æra Chriſtiana M. DC. XCIX. & dies* 15 *Aprilis, qvi Regis eſt natalis.*

In latere averſo:

HAEC CURA, HOC VOTUM. *Pietatis vina ad aram, accenſo igne, libantis ſtatua, dextrâ capeduncularn tenens. Characteres aræ eidem inciſi* Chriſtianum V. Daniæ Norvagiæq; Regem *exprimere volunt, qvibus ſubjunctum eſt Monetarii nomen.*

Monarchæ Glorioſisſimo d. 15. Aprilis 1699. qvinqvageſimum & tertium ætatis annum ſuperanti votivum hoc numiſma devotè admodùm obtulit Illuſtriſsimi Proregis *Guldenlövii* filius, Comes de *Danckiold in Laverwigen*, Regis ejusdem viribus tunc morbi gravioris diuturnitate defluentibus, Deum hoc voto mille millies ſolicitans: **Utinam non poſſet mori!** Tam probum Ezechiam, cujus annis tantum qvatuor, & qvod excurrit, menſes poſtea ſunt additi, ſenectutis limine vix ſalutato, mortuum eſſe qvidem dolemus; At dum bene vivitur, diu vivitur, & qvem ſui raptum gemuêre cives, hic diu vixit! Ex aversâ numi parte Pietas velata conſpicitur, Deo votum pro incolumitate Regis vovens, qvæ **cura** etiam ſit **noſtra noſtrûmq; votum.** *Hoc* enim *bonum & acceptum coram Deo, fieri obſecrationes, orationes & poſtulationes pro Regibus & omnibus, qvi in ſublimitate conſtituti ſunt*, Scripturâ Sacrâ ſic admonente. Numiſma eſt eò nitidius, qvò exactiùs vultum Regium ex auro uncialis exprimit, qvem & exqviſitisſima artificis induſtria commendat.

No. 20. CHRISTIAN. V. D. G. DAN. NOR. VAN. GOT. REX *Regis ejusdem effigies.*

In aversâ:

GLORIÆ IMMORTALI REGIS OPT. BENE MER. *Sub hac epigraphe exſtat icuncula Regis, ſtylobatæ, monogrammate regii nominis ſignatæ, impoſita, qvam Pietas & Juſtitia coronant.* Infimò locò (*dans l'exergve* dicunt Franci) CURSU COMPLETO D. XXV. Aug. MDCIC.


Meritò in poſtica numi exſeqvialis parte **Gloriæ immortali** tanti Regis, cujus triumforum laureas tot vigiliis, periculis & fortibus auſis partas nulla tamen exedet vetuſtatis caries, monimentum hoc poſitum eſt, **curſus** ſideris tam ſalutaris Anno 1699. horâ poſt meridiem mediâ qvintâ, diei XXV. menſis Auguſti **completo,** qvod anno 1646. die 15. Aprilis horæ qvadrante poſt decimam antemeridianam (in Flenopolitana arce) clementis cœli inclinatione exoriens, per tres annos, & qvod excedit, ſupra qvinq; decades ſuis perqvam benignè affulſit, & diffuſis hinc inde emi-

N°2.




MAGNANIMI. P RETIVM
MAGNVM. SIGILLVM. NOBILISS. ORDINIS. ELEPHANTINI

N°3.




RESTITVTOR
TESSERA
ORDINIS
DANIEBROGICI
TVTELARIS

N°4.


CHRISTIANVS. V. D. G. REX. DANIÆ.
VOLVI. C. D. S. L. H. S. T. D. C. OLD. K. DE L.

dentiâ, juſtitiâ, tantusq; pietate & clementiâ Civibus & Exteris viſus eſt, ut extraneis amicis, ſui amorem & venerationem, inimicis terrorem incuſſerit; A ſubditis verò, velut Numen tutelare, cultus omnium in ſe attraxerit animos. In poſtica item numi parte tantum Patrem ſplendido ſucceſſionis ordinis illicò excipit Magnus Filius, genio & Majeſtate parentis indutus, Auguſtiſſimus Monarcha, Rex FRIDERICUS IV. regnorum clavum anno & die prædicto feliciter capeſſens, qvem Deus Ter Optimus Maximus eccleſiæ Nutricium, populi Patrem, legum Vindicem, fortunæ Statorem & armorum Imperatorem ſalvum, felicem & florentem qvàm diutiſſimè nobis conſervet. Numus eſt duorum ducatorum.

Tab. XXII.

No. 2. *Corona regia & operta.* *Infrà inciſum:* CHRISTIANUS REGNORUM DAN. ET. NORV. HERES. NAT. 30. NOV. 1699.

In area averſæ

Inter frondes lauri florentis hæc inſcribtio: SPES FELICITATIS NOVI SECULI.

Septentrionis noſtri ſpes labſa ſingulari cœli munere hìc erigi maximè cœpit, dum, mortuo Celſiſſimi tunc Daniæ & Norvagiæ Hæreditarii Principis, Dn. *Friderici*, ex Sereniſſima Principe Megapolitana, Dna. *Ludovica*, primogenito, Principe *Chriſtiano*, exſpirantis jam ſeculi anno 1699. d. 30. Novembris, eadem Princeps, Daniæ & Norvagiæ Regina exoptatiſſima, Monarchæ noſtro FRIDERICO IV. feliciter enixa ſit Principem, regnorum Daniæ & Norvagiæ Heredem, avito illo nomine CHRISTIANI qvoq; appellatum, cum qvo, ob excelſas ipſius animi dotes, qvicqvid exoptati, fauſti ac glorioſi ominari poteſt, qvàm ſubmiſsè, NOVO jam nato SECULO, exſpectamus. Faxit Deus omnipotens, ut nobis hoc Trionum Delicium, ſceptrorum Auguſtus Hæres, ſoſpes & ſalvus ſervetur & aliqvando ex eo generentur Reges & Principes, qvi Avum Regem *Fridericum Qvartum* & Aviam Reginam *Ludovicam*, imò proavum & proaviam vivos venerabuntur, qvò regnis æterni ſint ſuo de ſangvine Reges! Numus hic, in memoriam æternam nativitatis tanti Principis cuſus, pondere ſemunciali eſt.

No. 3. FRIDERICUS IIII. D. G. DAN. NOR. VAN. GOT. REX. *Regis icon ſub qva:* A. MEIBUSCH F.

QVI DEDIT, PROTEGET. *Altare, cui impoſita ſunt Regalia, ſeu ornamenta verè Regia, ſuperne Divinum illud tetragramma coruſcat & ex latere priori altaris apparet coronata Regii nominis nota inter palmæ ramos.* *Ad infimam numi oram:* D. UNCT. XV. APR. M. DCC.

Eſt numus, qvi unctionem Regis Auguſtiſſimi FRIDERICI IV. in templo arcis Regiæ Fridericoburgenſis, die ipsò natali Divi Parentis, Regis CHRISTIANI V., ſacra faciente Epiſcopo Diœceſeos Siælandiæ noſtræ Dn. D. *Henrico Bornemanno*, magno ſeptentrionis noſtri gaudio & fauſtis ſubditorum acclamationibus peractam indicat, qvam exactè lingvâ vernaculâ ab eodem deſcribtam legimus: Sic enim illo die Rex prudentiſſimus ſibi fieri voluit, ut non minus memoria Divi Genitoris glorioſiſſima exſtaret, qvàm auſpicatiſſimò hòc exemplò Monarcha noſter hic declararet, meliores

liores naſci qvàm eligi Principes. Itaq; eo tempore Potentiſſimus Rex Auguſtum Monarchiæ ſolium & natalium jure & virtutum conſpectiſſimarum meritò conſcendere amavit, qvalem Deus in iſto Regali faſtigio, Deo in his terris proximum, Imperio huic ſoſpitem & florentem diutiſſimè præeſſe nobis clementer concedat! Et ut omnia auſpicatò cederent, ornamenta regia in poſtica numi ſub Divini nominis coruſcatione conſecrata qvoq; voluit Rex, recordatus ea non niſi à Deo eſſe, & cœlum ſolicitans, ut ille, Qvi hæc Dedit, protegeret. Numus eſt oppidò pretioſus, pondere ſuo qvinq; ſemuncias, & qvod excurrit, æqvans.

Tab. XXII.

No. 4. LOVISA. MEGAP. REG. DAN. NORV. VAN. GOTH. *Reginæ icon.*

In latere poſtico:

AMORIS. ET. VIRTUTIS. PRETIUM. *Regia corona operta, nimbo coruſcans, pulvinari impoſita ſub altari, à cujus parte priori Reginæ nominis nota coronata inter palmæ ramos apparet. Infrà ad oram numi:* FR. B. XV. AP. M. DCC.

In prima numi facie velut ſalutare ſeptentrionis ſidus è Domo Obotritarum Regia ortum, nobis gratioſè affulget, ſecundùm numi inſcribtionem: LOUISA MEGAPOLITANA. REGINA. DANIÆ. NORVEGIÆ, VANDALORUM GOTHORUMq; potentiſſima, illud virtutis & principum dotum compendium abſolutum. Digna certè hæc Princeps Magna Magni Regis amore, qvæ, uti ad oram averſæ numi exſtat, prædicto die XV. Aprilis anni M DCC. ſingulari cœli benedictione, coronâ regiâ ſerenisſimo ipſius capiti à Monarcha noſtro impoſitâ, Regina Daniæ, Norvagiæ, Vandalorum Gothorumq; in templo Fridericoburgi uncta eſt, omnium gratiarum comitatu ornatiſſima. Hoc enim amoris, hoc virtutis pretium in poſtica numi indigitatur: Et hôc pietatis & clementiæ ipſius mores Charites ita compoſuerunt, ut ſupra fortunæ excelſæq; naturæ modum non mortalibus ampliùs ſed Divis ſimillima videatur, qvemadmodum & Reginæ diadema in altari hic Deo conſecratum nimbo illo ſanctitatis ambiente & coruſcante clarum conſpicimus. Numiſma cum proximè priori planè eſt nitidum, magnitudine pondereq; pari & utrumq; eò pretioſius, qvò actus illuſtrior, in cujus celebritatem & memoriam procuſum eſt.

No. 5. FRIDERICVS IIII. D. G. REX. DAN. NOR. VAN. GOTH. *Regis effigies.*

In poſtico numi latere:

Regum Daniæ & Norvagiæ, Oldenburgici qvi ſunt ſtemmatis, novem icones ſereniſſimæ, ſub unaqvaq; cujusq; Regis dies natalis & emortualis eſt inſculptus, cum ſuprà ſcripto: EX DOMO OLDENBURGICA.

In primo numi latere faciem Regis gratioſiſſimam intueri licet, regnorum habenas jure avito per tot celſiſſimas animi dotes capeſſentis, ut ejus pietati, clementiæ, prudentiæ & fortitudini Europæ Principes aſſurgere, magnitudinem venerari & amicitiam ſibi conſervare, ſubditi verò virtutibus tanti Monarchæ indies litare prægeſtiant: In parte numi altera eminentiſſimo ſuccedendi ordine, Regum Oldenburgicæ ſtirpis facies Auguſtæ radios Majeſtatis diffundere videntur, tanqvam mitiſſima cœli Numina, ut conſtet, qvàm longa & præter cœteros in Europa

Reges

Reges Diva ſerie Regum, qvi glorioſam rerum geſtarum famam ſuperarunt, celſiſſimam progeniem inde à CHRISTIANO I., laudatiſſimo Septentrionis totius Rege, deduxerit Monarcha noſter Potentiſſimus, Divo Satore CHRISTIANO V, cujus memoria apud nos adhuc glorioſiſſima. Numiſma eſt ſpectatæ magnitudinis, qvod novem uncias pondere exæqvat.

Tab. XXII.

No. 6. FRID. IIII. D.G. DAN. N. V. G. REX. *Regis imago iconica.*

DOMINUS MIHI ADJUTOR. *In area numi Character nominis Regii coronatus, & infrà* 1700.

Numus eſt unius ducati.

No. 7. FRIDERICUS IIII. D.G. REX. DAN. NOR. VAN. GOTH. *Regis effigies.*

In aversâ:

Sub Divino nomine יהוה *& ejus irradiatione qvemadmodum etiam inſcriptione hac: DEO FAVENTE, REGE JUBENTE, obeliſcus ſtylobatæ impoſitus & in medio obnubilus, ex nube dextrorſum manus exerta falce meſſoriâ raſtrôq;, ſiniſtrorſum verò altera gladiô & bombardâ apparet. In ſummitate apicis litera initialis Regii nominis coronata. Infrà à priori pyramidis latere: POST. SAC: POSTeritati enim SACra memoratur. Ex latere ſtylobatæ anteriori: APTATO CASTR. AGRICOLA, hinc ſegetes veniunt, illinc urbs munita eminet. Ad infimam oram ſub manibus prædictis: HÆC COLIT. ILLA TUETUR. A. CHR. M. D. CCI.*

Ut regno Daniæ priſcas illas & nativas vires Rex noſter Prudentiſſimus conciliaret, anno 1701. per totum regnum adjacentesq; provincias ruri ad octodecim millia conſcribtos milites ſic ad bellicas artes neceſſariasq; pro patria fatigationes inſvefieri curavit, ut per iſta tirocinia brevi progreſſi ſint ad eam dexteritatem & fortitudinem, qvæ hoſti, etiam pugnaciſſimo, aliqvando tremenda erit. Martia enim proles hæc eſt ejus gentis, qvæ ita Italiæ ſuperfuſa, ita Britanniæ qvondam invecta, ut, ſubactis regnis, innumera ſecum traxerit tropæa de populis potentiſſimis, qvi armis aliorum priùs inſultaverant & qvorum nomen orbi terrorem tantum incuſſerat, ut obſtantia qvævis devicta fuerint. Adeò ut, **Deo favente**, qvicqvid à **Rege**, Monarchâ noſtro, **juſſum, agricolâ caſtris aptatô**, regnorum tutamini omniumq; ſubditorum ſecuritati inſerviturum & ſobolem hanc militum tandem aliqvando devictorum collibus tropæa, ſtatuas & obeliſcos **poſteritati ſacros**, æſtimata illa fortitudinis argumenta, indubitatò ſperemus utraq; manu impoſituram eſſe, qvæ patriam ſub benigno cœli aſpectu **hac** manu **colit, illâ tuetur.** Pondere numiſma hoc eſt propemodum qvinq; ſemunciarum.

No. 8. FRID. IIII. D. G. DAN. NO. V. G. REX *Regis icon, ſub qva* 1701.

CHRISTIANS-BORG. *Caſtellum idem. Ad oram numi infimam:* IN GVINEA.

Numus eſt duorum Ducatorum ex auro Gvineenſi Havniæ cuſus.

Tab. XXII.

No. 9. FRID. IIII. D. G. DAN. NO. V. G. REX. *Regis effigies & infrà* 1701.

In postico:

DOMINUS MIHI ADJUTOR. *Nominis Regii character coronatus.*

Ducatus est duplex.

No. 10. FRID. IIII. D. G. DAN. N. V. G. REX. *Regis ejusdem imago iconica, & infrà* 1701.

CHRISTIANS-BORG. *Delineatio castelli ejusdem, in cujus portu appareret navis, puppi literis DWC. insignitâ, quæ designant consortium Indiæ Occidentalis Danicum. Infimo numi loco:* IN. GVI.

Ex auro itidem Gvineensi ducatus hic est percussus.

No. 11. FRID. IIII. D. G. DAN. NO. V. G. REX. *Regis effigies iconica, & ad latus dextrum* 1701.

In aversa:

XVIII. MARCK DANSKE. *In area numi sub corona opertâ & hisce literis D. M. A., quæ symbolum Regis,* Deus mihi adjutor, *denotant, castellum Christiansborg & ad oram infimam:* CHRISTIANS-BORG I. G. i. e. in Gvinea.

Coronatus est aureus, cusus ex auro Gvineensi secundùm bonitatem internam & externam eorum, qvi inde ab anno 1619. indultu Regum Daniæ procusi & hic describti conspiciuntur, præsertim Tab. VII. No. 29. & Tab. X. No. 26. Nostratibus en atten Marks Guld-Crone etiamnum est dictus, prout inscribtio posticæ numi partis præ se fert.

No. 12. FRIDERICVS IIII. D. G. DAN. NOR. VAN. G. REX. *Regis ejusdem imago iconica, sub qvâ A. NORMAN. F.*

In postica:

NON. FECIT. ITA. ULLI. GENTI. PSALM. CXLVII. v. XX. *Ara, cui secundùm seriem decoram manu, è nube exertâ, impositæ conspiciuntur octo coronæ opertæ, ejusdem qvæ sunt magnitudinis, seorsum additâ octavæ nonâ. Ab antica altaris parte:* NATALIS TRICESIMVS SECVNDVS XI. OCT. A. CIↃ IↃ CCII.

Si Imperatorum Regumq; Europæ tot secula fata perscrutemur stemmata, Ita Deum certè non genti ulli fecisse legimus, qvæ Imperatores ac Reges suos per tot propagines continuatas numerabit, octavo prosapiæ gradu in lineâ rectâ descendentes, qvemadmodum singulari cœli indultu inde à *Christiano I.*, Septentrionis totius Rege potentissimo, Genti nostrati Regiæ, ordine successionis inviolato per plura jam secula tam feliciter contigit, ut etiam singulis seculis Progenies hæc, omni Principum nobilitate, qvæ sub sole inveniri potest, fermè major & vetustior, ingentium virtutum Reginam Exteris qvoq; produxerit, atq; sic gloriam antiqvam iterum Europæ parti magnæ intulerit. Splendida itaq; serie in hujus rei memoriam immortalem de cœlo hîc in numi aversa dicq; Regis natali anno 1702. tot coronas altari traditas Septentrioni nostro gratulamur, Superos simul perqvam devotè solicitantes, ut nona, qvam

sidera

In averſa:

SALOMONI
SEPTENTRIONALI
H. E.
PACIFICO PATRIÆ PATRI
ARGENTI-FODINAS SUAS
REGIOMONTANAS
MENSE IUNIO A.º 1704.
BONO INCREMENTI
OMINE
INVISENTI
SACRUM.

Numiſmata ſunt, qvæ Monarchæ noſtro, FRIDERICO IV. in itinere ſuo, anno & menſe memorato, argentifodinarum capita, partes fructusq; præſentiâ Auguſtâ illuſtranti & Metallurgorum officia exploranti ſubmiſſè oblata hujus rei memoriam inculcant, adjuncto voto, ut qvam diutiſſimè VIVAT FRIDERICUS IV. REX DANIÆ, NORVAGIÆ, VANDALORUM, Gothorumq;. Meminimus hîc Sectione VII. Part. I. No. 9. in Septentrione, aſſerente *Paracelſo*, tantum latere metallorum theſaurum inter cœli noſtri gradum 60. & 70, ut in Oriente ſimilis unqvam non inventus & erutus ſit. Et ſi Paracelſo credendum ſit, tutò hinc colligimus Regem Salomonem, qvi in ſacris ſuper omnes ſui ævi Reges dives prædicatur, tantam auri argentiq; vim non poſſediſſe, qvanta in Borea datur, cùm idem Rex ex Ophira, qvæ eadem orientalis mundi plaga autoribus ſagacioribus cenſetur, eam ſibi claſſe adportari curaverit. Numis itaq; hiſce SALOMONI SEPTENTRIONALI ARGENTI-FODINAS SUAS REGIOMONTANAS BONO INCREMENTI OMINE INVISENTI meritò gratulatur, qvarum æra non ſaltem MULTA argenti UBERTATE ABUNDANT, verùm etiam prout hîc, ſic & nuperrimè alibi in Norvagia metalli fodinæ aurum parturiunt atq; pariunt. Ejusdem cum proximè priori numus hic eſt ponderis.

Tab. XXIII.
No. 19.

AUG.^MO
SEPTENTRIONIS
MONARCHÆ
FRIDERICO QVARTO
PATRIÆ PATRI
RERUM RESTAURATORI,
FOEDERUM SERVATORI
MISSIS IN AUXILIUM
CONFOEDERATORUM
IMP. ANGL. ET BATAV.
XX. MIL. MILITUM.

In poſtico numi latere:

MAXIMA. SED MULTO DANORUM SANGVINE PARTA. *Dania hîc figurâ muliebri, coronatâ & ſedente, adumbratur, ſiniſtrâ ſcuto ſuo innixâ, dextrâ apprehendit lauream, qvam itidem dextrâ ipſi Victoria tradit, ſiniſtrâ tropæa tenens. Infimô numi locô:* SOCIIS DANORUM ARMIS. D. 13. AUG. M. DCC. IIII.

Ex æra Chriſtiana dieq; menſis numiſmati huic perqvam nitido in aversâ ſuppoſitis, anno nempe 1704. & die 13 Auguſti illuſtrem Fœderatorum conflictum cum Bavariæ Duce Gallorumq; copiis illi auxiliatri-

cibus, ad urbem Höchſtædt, SOCIIS DANORUM ARMIS peractum hic indigitari haud obſcurè colligimus, dies namq; ille fuit, qvi hoc anno Gallis, maximè verò Bavaro Principi, fatalis fuit. Duces in acie Fœderatorum *Marleburgicus*, qvi rei ſummæ præerat, & *Eugenius Sabaudus* conſtituti erant, qvorum hic in dextro exercitûs cornu cohortes Danorum, Boruſſorum variarumq; gentium Germaniæ, inprimis Auſtriacorum & Svevorum ducebat, ille verò ſiniſtrum Anglorum tuebatur, dum in media acie Princeps Hereditarius Haſſiâ-Caſſelanus reliqviq; Duces laudatiſſimi cum ſuis qvisq; copiis Danicis, Luneburgicis, Batavis, Haſſiacis conſiſterent, omnes Principi *Sabaudo*, acſi ipſe adforet *Marleburgicus*, parere juſſi, ſi qva ex præſenti neceſſitate extra ordinem juberet: E regione *Tallardus*, Gallorum Dux, cum ſuis in dextro cornu ſtabat, Bavarus verò Princeps delectis nationis ſuæ cohortibus ſtipatus in media acie & in ſiniſtro cornu ipſius Comes *de Arco* dimicabant. Fœderatorum eqvitatus 176. turmas implebat, copiarum pedeſtrium non ultra 66. cohortes erant, & tormenta totidem; at hoſtium acies, ut eqvitatu inferior erat, ita pedeſtri exercitu, tormentis & ipſo loci ſitu prævalebat. Sic utrinq; acies ſtetit ſic & manûs cum hoſte conſerere, prædicto die, ab utraq; parte fortiter aggreſſum eſt. Et qvamvis Dani Borusſiq; pedites in dextro cornu cum majori hoſtium numero iniqvitateq; loci pugnandum haberent bis victi, fuſi fugatiq;, ut de victoria certè deſperaretur, tamen, advolante Duce Sabaudo, perpetua bellorum fortunâ clariſſimo, memorabile prælium profuſiori Danorum ſangvine ediderunt & tandem aliqvando hoſtem ſuum in fugam conjecerunt, dum Marleburgicus in ſiniſtro cornu & media acie, perpetuâ ferè partium ſuarum fortunâ, *Talardi* copias, qvæ ex villa Plintheim tormentorum vi intra aggeres, hortos ſepesq; tegebantur, fugat, profligatq; & qvicqvid hoſtium fortem ipſius evaſit manum, in Danubium præceps egit, capto ipſorum Duce Talardo. Atq; ſic ab utroq; cornu & media Fœderatorum acie in hoſtis reliqvum exercitum tanto conflictu invehebatur, ut ubiq; hoſtis terga prorſus vertere, & relicto, qvicqvid ferè attulit impedimentorum, fugâ Lawingam & Ulmam petere coactus ſit, magis in terrorem, qvàm ſpe aſſeqvendi à Fœderatis perſecutus: Nam & nox ingruebat, & 26. cohortes hoſtiles turmæq; duodecim, qvæ prædictâ villâ adhuc continebantur, eos reverti adigebant, ne vel fuga evaderent vel in fœderatas copias à tergo erumpentes pugnam inſtaurarent, qvæ omnes, reverſis Confœderatis, una cum earum Ducibus poſt varios conflictus ſunt captæ, & armis vexillisq; exutæ. Galli Bavariq; ſponte confeſſi ſunt, ſe hîc perdidiſſe qvindecim millia hominum (plura annales fide digni numerant) præter novem millia ſuorum, vexilla ac ſigna complura & tormenta duo & ſexaginta à Fœderatis capta. Jacebant enim totis campis eorum integræ alæ acinace eqvitis circumfuſi depectæ, milites, ut pugnaverant, in ora proni, ut etiam interfecti ordinem tenerent, qvo pugnantes ſteterant. Neq; adeò incruenta hæc victoria Confœderatis fuit, qvorum ſeptem millia cecidêre, inprimis Danorum peditum, qvi hic maximum adierunt damnum, ſteterunt enim Borusſis priores in extremo cornu dextri, qvod ab hoſte maximè affligebatur, unde & ab eqvitatu præſertim derelicti aliqvoties fugati ita ſemper in arenam forti animo redierunt, hoſtemq; ſuum fuderunt, ut etiam Dux Boruſſorum, Princeps Anhaltinô-Deſſavius, acerrimâ pugnâ jam editâ, ſuisq;



Nº. 1



Nº. 2





Nº. 5



Nº. 4

Nº. 3









Nº. 7





Nº. 6



Nº. 8



Nº. 9



Nº. 12







Nº. 10

Nº. 11









Nº. 13





Nº. 14



ſidera hìc nobis eminus ſpondent, ſera & ſoſpes Auguſto ſceptrorum Heredi obveniat & Poſteri ipſius hæc Trionum decora in æternum numeroſiora & ampliora recenſeant.

Tab. XXII.

No. 13. LOUISE. KÖNIGIN. ZU. DENN. NORW. DER. WEND. V. GOTHEN. *Litera initialis nominis Reginæ coronata.*

In poſtico latere:

Lauri florentis ſertum, in qvo: LANGE. LEBE. LOUISE, WEIL. KEINE. WIE DIESE. 1702. 28. AVG. *Inter laurinas ejusdem corollæ frondes:* JE LANGER JE LIEBER.

Numiſma eſt in die natali, optimæ Reginæ anno 1702. perqvam ſubmiſsè oblatum cum voto publico, ut indulgentiâ Dei tardus ſit ille dies, qvi ſpatiis mortalis ævi labentibus metam figet, & ſera cœli, cujus eſt delicium, habitatrix exiſtat. Pondere qvatuor ſemunciarum numus hic eſt.

No. 14. CHRISTIAN. ERB. VND. CRON-PRINTZ ZU. DENN. NORW. *Character nominis Celſitudinis Regiæ, intus coronatus. Infrà annus nativitatis ipſius:* GEB. 1699.

In averſa:

SO. WACHSET. UNSER. CHRISTIAN. ZU CRONEN UND ZU THRONEN AN. *In area numi laurus oppidò floreſcens, infra qvam Celſiſſimi Principis annus ætatis:* ÆT. III. 30. NOV.

Trionum humaniq; generis Amori, Celſitudini Regiæ, Daniæ & Norvagiæ Principi Hereditario, CHRISTIANO, Principi certè magnæ & unicæ ſpei noſtræ, annum ætatis tertium ſupergreſſo numus hic cuſus & ſubmiſsè oblatus eſt, dum anniverſaria ſacra eidem in natali die anni 1702. piè peragerentur, ut inſtar lauri, qvæ in poſtica numi repræſentatur, perpetuâ comâ virentis qvàm diutiſſimè in publicæ felicitatis augmentum creſcat, lauris viridior cedrisq; perennior ex ſe aliqvando diffundat ramos fructiferos & populus Boreæ noſtri ſub tantæ arboris tegmine dulcem perpetuamq; aliqvando etiam ſentiant reqviem. Duarum ſemunciarum numus eſt pondere.

Tab. XXIII.

No. 15. FRIDERICVS IIII. D. G. REX. DAN. NOR. VAN. GOT. *Regis imago iconica.*

In poſtica numi:

HIS SOCIIS. *Rex Romano more Eqves, inſtar Imperatoris, cui à latere Juſtitia & Clementia comites ſe hìc in via præbent. Infimo averſæ loco:* ITER NORVAGICUM M. DCC. IIII.

Numiſma pondere duas uncias tresq; drachmas æqvat.

No. 16. FRIDERICVS IIII. D. G. REX. DAN. NOR. V. G. *Regis ejusdem icon—.*

In aversâ:

Sub Triunius Dei nominis charactere irradiante ☧ *Inſcribtio hæc:* COELÒ PELAGOQVE. FAVENTE, *& in numi medio cautes & clivoſa præruptaq; montium juga Norvagiæ repræſentantur, qvemadmodum mari hìc placido è regione Jutia objecta conſpiciuntur.*

Utrumq; numiſma in fauſtum & felix ITER NORVAGICUM Regis cu-

ſum perſpicimus: Namq; ut Monarchæ prudentiſſimo Regni Norvagiæ ſtatus extremæq; oræ Septentrionis ſui eò meliùs innoteſcerent, die 29. Maji anno 1704. è portu Jutiæ ad **Fladſtrand** vela ſolvens, **cœlo pelagoq; favente**, poſtride Norvagiæ promontorium, **Laver-Kullen** vulgo dictum, claſſe appulit, horâq; ſecundâ pomeridianâ regnum ſuum feliciter intravit: Hinc temporis fermè exigui ſpatio immenſa regionum ſpatia terraq; mariq; emenſus eſt Rex, cujus vigilantiæ indefeſſæ edita montium, prærupta cautium, depreſſa vallium, profunda ſcrobium, abditaq; cavernarum auſpicatò patuêre, ſinusq; procelloſi & flumina etiam rapidiſſima vaſto hinc inde fluctu gurgiteq; Majeſtatem ipſius ſunt venerata, dum Auguſtiſſimus Rex SOCIIS, divinis illis Virtutibus, **Juſtitiâ & Clementiâ**, Norvagiæ fodinarum metallicarum cryptas inſpexerit, caſtellorum militumq; ingenia exploraverit, gentium mores excuſſerit, urbium ſitus & tractus provinciarumq; limites oculo ſagaciſſimo perluſtraverit, qvibus magno cum deſiderio relictis, exoptatiſſimus Rex die 1. Septembris anni ejusdem mari Havniam ex ſententia attigit, atq; velut ſalutare ſidus ſuis in Dania iterum affulſit. Nec minus cumulatè qvàm gratioſè ſeſe effudit in hoc itinere Regis *beata plenò*, ut *Horatio* eſt, *copia cornu*, qvemadmodum in averſa prioris numi imagine **Sociæ Clementiæ** deſignatur, cujus beneficiò tot myriades numorum propemodum uncialium in munificentiam ſumtusq; itineris Havniæ pro cuſæ populo Norvagico enumeratæ & diſtributæ ſunt hac in poſtico inſcribtione:

Mod, Troskab, Dapperhed, og hvad der giver Ære
Den hele Verden kand blant Norske Klipper lære.

i. e.

„ Mens invicta, fides, virtus Mavortia ſunt,
„ Qvæ Norica mortales ſaxa docere qveunt.

Deſcribtionem ejusdem numi uberiorem poſthac ſeries numorum argenteorum hîc dabit; Pondus verò hujus numiſmatis tres ſemuncias totidemq; drachmas exæqvat.

Tab. XXIII.

No. 17. *Rex Eqves in numi area.* *Ad extimam numi oram:* MONS DOMINI MULTA RERUM UBERTATE REDUNDAT. *PS. 68. 16.*

In numi latere poſtico

Argenti-fodinæ in Norvagia Regiomontanæ compendiariò delineantur, qvibus impoſita pyramis, cujus apex coronâ laureâ redimitus eſt. A priori obeliſci parte inſcribtio hæc: VIVAT. FRIDERICUS IV. *ſuprà:* REX. DAN. NOR. VA. GO.

Numiſma eſt qvinq; ſemunciarum.

No. 18. *Qvæ poſtica prioris numi facies fuit, hîc antica eſt, cum inſcribtione prædicta ad extremam numiſmatis oram.*

In

isq; repulsis, reliqvos ad res fortiter iterum gerendas vexillum arripiens sic Danorum strenuitate inflammaverit: Wendet euch/ setzet euch/ vergesset eure Ehre/ Generals und Fahnen nicht! Sehet ihr nicht/ wie brav sich die Dänen gesetzet haben! Qvomodo Dux hic fortissimus suos item cruenta strage dispersos collegit, labantes erexit, pugnam detrectantes castigavit, & in hostem, præviis Danorum armis, auspicatò duxit. Hæc illa est memorabilis & MAXIMA, MULTO DANORUM SANGVINE PARTA & reportata victoria, cui parem, per aliqvot secula Germania non vidit, qvam & nostrates, qvi interfuêre, cum stupore recordantur & posteritas vix credet: Augustissimo itaq; Septentrionis nostri Monarchæ FRIDERICO IV. Patriæ Patri pio, rerum Instauratori indefesso & fœderum servatori constantissimo, tot millibus militum ex Dania in auxilium Confœderatorum dilaudatorum missis, qvorum fortia facta orbi præterea satis nota, hoc numismate, qvod pondere qvatuor est semunciarum, & qvod excurrit, perqvàm devotè litatur Daniæq; inter cœteras hæc in numo corolla, tanto sangvine comparata, velut verum victoriæ symbolum, etiam meritò debetur.

Tab. XXIII.

No. 20. SOPHIA. HEDWIG. PRINC. HÆRED. REGN. DAN. NORV. *Effigies Principis.*

In parte altera:

MEIN GLVCK. IN GOTTES. HAND. *Brachium è nube exertum, fortunæ typum globo insistentis manu tenens.*

In primo numi latere intueri licet Serenissimæ Principis Hereditariæ vultum, qvi illam Augusti oris gratiam præ sè fert, qvæ gravitate amabili ita intermixta, ut hìc etiam absoluto flore germinare conspicias, qvicqvid Pietatis ac Clementiæ in Matre Augusta unqvam maturuit. Postica numi inscribtio eruta videtur ex proverbiis Salomonis c. 16. v. 33: *Sortes* inqvit Rex sapientissimus, *à Domino temperantur.* Numisma est, qvod Principi huic in arce Fridericoburgensi oblatum est, die Ipsius natali 28 Augusti anno 1704, pondere qvinq; propemodùm semunciarum.

No. 21. FRIDERICVS IIII. D. G. REX. DAN. NOR. VAN. GOT. *Regis icon.*

In aversò latere:

CONANDO INVENIMUS. *Navis omni apparatu instructa & velificans, in cujus puppi literæ characteristicæ W. C. consortium Indiæ Occidentalis significantes, sub sole coruscante. Infimo numi aversi loco:* CHRISTIANSBORG. 1704.

Danorum navigationes indefessas conatusq; arduos in mercaturis Christiansburgi alibiq; in Gvinea longè lateq; instruendis fusè hìc leges memoratos ad numum qvintum Tab. V., vigesimum sextum Tab. XIV., & qvadragesimum qvartum Tab. XVI., adeò ut conando Dani tutum & commerciis lucrosum ibi invenerint portum. Numisma semunciale est cum sesqvidrachmâ, ex auro etiam Gvineensi.

No. 22. FRID. IIII. D. G. REX DAN. NO. V. GOT. *Regis imago iconica, ad cujus latus dextrum* 1704.

In

In posticâ.

CHRISTIANS-BORG. *Idem castellum.* *Infrà* IN GVINEA.
Numus est duorum ducatorum.

Tab. XXIII.

No. 23. FRID. IIII. D. G. REX DAN. NO. V. GOT. *Regis ejusdem effigies, & ad latus ipsius dextrum* 1704.

In postico numi latere:

DOMINUS MIHI ADJUTOR *& Regii nominis character coronatus.*
Duorum ducatorum itidem est numus.

No. 24. FRID. IIII. D. G. DAN. N. V. G. REX. *Regis effigies.*

In latere postico:

CHRISTIANS-BORG. *Munimentum idem.* *Ad oram numi:* IN GVINEA. 1704.
Unius est ducati pondere.

No. 25. FRID. IIII. D. G. REX DAN. N. V. G.

In postica:

CHRISTIANS-BORG. *Typus castelli ejusdem, & infrà* IN GVINEA.
Numus est unius ducati.

No. 26. FRIDERICUS IIII. D. G. DAN. NOR. V. G. REX. *Regis imago iconica.*

In postico:

LOUISA DAN. NOR. VAN. GOT. REGINA. *Reginæ ejusdem icon perqvam nitida.*
Numus est qvinq; fermè ducatorum.

No. 27. FRID. IIII. D. G. DAN. NOR. V. G. REX. *Regis imago iconica, sub qvâ* 1705.

In aversâ:

LOUISA D. G. REG. DAN. NOR. VAN. GOT. *Reginæ icon.*
Duplex est ducatus.

No. 28. WILH. D. G. DAN. NOR. VA. GO. PRINC. HERED. *Principis imago.*

Ab altera numi parte:

MEMOR. AETERN. MAX. SPEI. PRINC. *In numi area pyramis, cui insculptum:* N. 21 FEB. 1686. DENA. 23. N. 1705. ÆTAT. 18. 9. M.

Exeqvialis est numus, qvi in parte una Daniæ & Norvagiæ Principis Hereditarii Divi WILHELMI faciem exhibet, & in illa à Divo Reg. CHRISTIANO V. Augustæ originis speciem, maximæ enim fuit spei Princeps, cui, sua morte præmaturè Havniæ defuncto, in altera numi parte obeliscus in memoriam æternam æterni desiderii Principis piè est positus, natalem mortalemq; ipsius diem, qvemadmodum & ætatem, à priori insculptam indicans. Duarum semunciarum est numisma.

No. 29. FRID. IV. D. G. DAN. N. V. G. REX. *Regis ejusdem imago.* *Infrà* 1705.

DOMINUS MIHI ADJUTOR. *In medio aversæ corona operta Regia. Infimo loco urtica, Holsatiæ insignia.*

Tab. XXIII. No. 30.

TAB. XXIII.

N.o 15.





N.o 16






N.o 17








N.o 18



N.o 19





N.o 20.





N.o 21





N.o 22





N.o 23



N.o 24





N.o 25





N.o 26







N.o 27



N.o 28





N.o 29.





TAB. XXIV.

N.o 30.





N.o 31





N.o 32.





N.o 33







N.o 34



N.o 35



N.o 36





N.o 37.





Tab. XXIIII.

No.30. FRID. IV. D. G. DAN. N. V. G. REX. *Regis effigies.*

In averſo:

DOMINUS MIHI ADIUTOR. *Corona Regia. Infrà* 1705. *& urtica prædicta.*

Numi ſunt unius ducati.

No.31. LOVISA DAN. NOR. V. G. REGINA. *Icon Reginæ, ſub qva literæ P. B. inciſoris nomen deſignantes.*

In averſa:

ET SPES ET GEMINÆ DECVS CORONÆ. *Sol in medio cœli conſtitutus, & infra ſe irradians nubem, qvæ concham margaritiferam, ſeſe roſcido conceptu impleri qvadam oſcitatione pandentem, ad litora irrorat. Infimô numi locô:* FOETA. DEO. A. 1706. QVÆ. NATA DIIS. A. 1667. D. 28. AUG.

Sic in numi antica parte ſubjectiſſimo honoris ſuſpectu intuemur Sereniſſimæ Reginæ faciem, omnium gratiarum plenam, qvemadmodum ſidus illud benignum anno ætatis 39. in die natali anni 1706. nobis affulſit, qvemadmodum & æra Chriſtiana ex inſcriptionis poſticæ literis majuſculis elicitur. Conſumatiſſimum illud eſt Naturæ opus & ſpes & geMInæ Coronæ ſeptentrionis noſtri DeCVs, qvod Deo fœtum & in poſtico numi cuivis mundi unioni, etiam inæſtimabili longè prætioſiori, comparatum cœli, pro natura, ut traditur, margaritarum, ſocietatem inſtinctu qvodam eminentiori amat, utpote Diis natum. Unius ſemuniciæ auri, & qvod excurrit, numiſma hoc eſt.

No.32. FRID. IIII. D. G. DAN. N. V. G. REX. *Regis icon, ſub qva* 1706.

In averſa:

DOMINVS MIHI ADIUTOR. *In area numi corona regia & operta. Infrà ad oram urtica clavata inter ramos laurinos.*

Ducatus eſt oppidò nitidus.

No.33. Rex idem eqves. In latere poſtico:

DOMINUS MIHI ADIUTOR. *Character coronatus nominis Regii.*

Eſt dimidii ducati numus.

No.34. Rex eqves, more Romano.

In aversâ:

Tres Characteres coronati nominis regii, qvibus interpoſita ſunt triâ regnorum inſignia itidem coronata, ita ut numerale illud ordinale (ut Grammatici loqvuntur) nomini Regio inferne ubiq; additum conficiat triangulum, in cujus medio aſteriſcus in bonum omen apparet.

Eſt ducatus admodum elegans.

No.35. FRID. IV. D. G. REX DAN. N. V. G. *Regis icuncula.*

In poſtica numi facie:

DOMINUS MIHI ADIUTOR. *Regii nominis character coronatus.*

Numus hic inter minutiſſimos qvadrans eſt ducati, & eò elegantior qvò accuratiùs in tam exiguo ſpatio exprimit faciem Regis ſereniſſimam, qvemadmodum etiam datur ejusdem typi ab antica parte numulus, qvi gratioſam Reginæ faciem in poſtica non minus exactè repræſentat, artificem ſuum non minus commendans.

Tab. XXIV.

No. 36. FRIDERICUS IIII. D. G. REX DAN. NOR. V. G. *Regis imago iconica, ſub qva nomen inciſoris.*

In aversâ:

PLACEBIT. DOMINO. SACRIFICIUM. MALACH. III. *In area numi ara thuricrema, ad qvam Pietas, anchorâ ſpei conſiſa, litare ſatagit, coruſcante de cœlo Dei propitio oculo.*

Infrâ ad numi oram:

EDICT. DE NOMINANDIS SACERDOTIBUS CAL. AUG. A. M. DCCVII. & P. B. *nomen ſculptoris deſignantes.*

In prima numi parte qvaſi ad vivum eminet Regis Sereniſſima facies, qva, tanqvam ſideris benigni aſpectu, ingenia turbæ ſacræ jam incaleſcunt atq; vegetantur, multa enim piè, religiosè & qvò nemo majore & accuratiore ſtudio pius ille Eccleſiæ Nutricius in EDICTO ſuo, nunqvam ſatis laudando, de Sacri miniſterii Candidatis examinandis, & ſanctæ doctrinæ ſeminariis conſtituendis, ut SACERDOTES integræ vitæ exinde NOMINARENTUR, anno & die, in numi averſi infima ora exſtantibus, præſcribſit, in cujus rei memoriam perennem numiſma hoc qvinq; fermè ſemunciarum pondere cuſum eſt. Novit qvippe Rex Auguſtiſſimus, maximum emolumenti Eccleſiæ Dei inde conciliari, ſi verbum Dei ritè & rectè à ſinceris ſacrorum miniſtris tradatur, nilq; unica hac & ſalutari doctrina pretioſius, ac eâ nullum regnorum ſuorum firmius ac ſtabilius ſulcrum eſſe. Nulli itaq; dubitamus, qvin ſacra hæcce, ex Pietate Regis inſtituta, ſecundùm effatum in poſtica numi Prophetæ, PLACUERINT DOMINO.

No. 37. CHARL. AMAL. D. G. DAN. NOR. V. G. REG, *Reginæ ejusdem icon, & infrà* P. BERG. F.

In poſtica:

VOTORUM. META. *Inter duas pyramides coronatas de chorda annulus pendens, angvis inſtar, ore caudam excipientis, ſchedulæ duæ obeliſcis ſunt affixæ, ſeculi annos numerò recenſentes & lanceæ binæ decuſſatim aræ, charactere nominis Reginæ à priori inſignatæ, in numi area conſpiciuntur impoſitæ. Infimo averſæ hujus loco: REGNORUM VOTA. NATAL. REGIN. MATR. 27. APR. M.DCCVIII.*

Ex inferiori poſticæ partis inſcribtione patet numiſma hocce percuſſum eſſe in celebritatem diei NATALis REGINæ MATRis, annum ætatis qvinqvageſimum octavum feliciter ſupergreſſæ, cum REGNORUM VOTIS ſubmisſisſimis, ut ætate ſua ſecundùm æræ Chriſtianæ numeros in ſchedulis annexis ſoſpes & ſalva integrum impleat ſeculum Habent enim Boreæ noſtri regnorum ſubditi, pro qvo hîc preces publicas fundant & vota nuncupent pia. Benè Tibi, AUGUSTA MATER, qvoq; precamur, æternùm celebranda regnaturis nepotibus Avia! qvòd ſingulari Cœli munere MAGNUM regnis enixa ſis FRIDERICVM IV. & tot regii amoris pignora pleno ſinu in nos effuderis, ut nobis non deeſſent præſidia & ornamenta regnorum. Pro tua incolumitate, porrectis in cælum manibus, votis ac precibus ideò ſuperos fatigamus, ut Te ſervent TIBIq; annos indulgeant de noſtris. Publicæ itaq; hujus feſtivitatis

ac

patriis memorat *H. Spelmannus in Archæolog.* p. 242. *Angliam aliqvando occupantes artem purgandi argenti etiam flandi & feriundi, celebrem reddidiſſe, nomenq; ipſorum facto deinceps reliqviſſe*, ut etiam tutò hinc colligere liceat artificium cudendi monetas Eaſterlingos hos omnimodò calluiſſe, qvi argentum ferire ſciverunt, illosq; eſſe ex priſcis illis Anglo-Saxonibus, qvi Danis proximè adſiti fuêre: Ex hac enim gente perſentimus Galliam probatiſſimos ſuos ſub Rege Dageberto anno 622. ad gubernacula ſedente, habuiſſe aurifabros & monetarios, qvemadmodum teſtatur *Duchesne tom. 1. p. 628.* ex Autore vitæ S. Eligii, ubi Monetariorum S. Eloy & Thille, Saxonum, mentio ſic injicitur: *Eligius fabricabat in uſum Regis uteníilia qvàm plurima ex auro & gemmis, & ſedebat fabricans in defoſſum, & contra eum Thille vernaculus ejus, ex genere Saxonum.* Prout etiam *le Traité Hiſtorique des Monnoyes de France* de memorato Thille cenſet: *ce Thille fut Maitre de la Monnoye de Paris aprés S. Eloy.* At Danos, qvibus multa cum Saxonibus ab omni ævo interceſsêre commercia, non tamen miror nullas niſi aliqvantum poſt Chriſtianos factos exercuiſſe monetas: Dani qvippe ac Norvagi adhuc pagani aurum & argentum ſuum ſignatum vix voluerunt, ne adulteraretur, ſed illud purum ad trutinam potius examinari amarunt, præſertim libris, ſelibris ſeu marcis, ejusdem ponderis monetâ nullibi exſtante, qvæ tamen tractu temporis, computatis marcis denariorum cuſorum, nobis Marker/Penninger æſtimari cœpit. Et qvamvis non dubitemus denarios uſuales antea in Dania, qvorum typi hîc exſtant, percuſſos eſſe aut ad domeſticas neceſſitates paratos aut ad ſummam pretii exactè ſupplendam in rebus permutatis, denariorum marcæ vix ullibi prius in Dania leguntur, qvàm Valdemari II. temporibus, ex qvibus colligimus, Rege hoc regnante, monetam ſatis certam fuiſſe conſtitutam, ut monetæ initium uberius tunc ſit factum credamus. Poſtqvam verò tributum populorum extraneorum, à Danis aliqvando debellatorum, piraticaq; Chriſtianis temporibus in ſeptentrione deſiit, aut ſaltem non eâ freqventiâ ac ſtudio, ſicut pro more ſeculi olim, exercebatur, auri argentiq; & numorum copia imminui cœpit, adeo ut vel eâ cauſâ proprios numos cudendi Septentrionales diu præpediverit eosq; juſſerit peregrinos ſemper juxta proprios uti, patrii deniq; denarii cupro immixto converſi ſunt à monetariis in pejores, prout ſolent monetarii progeniem ſemper vitioſiorem numorum dare, ut nobis ex antiqva gloria fermè nil ſuperſit, niſi Cnutini illi denarii minutuli purioris argenti. Hinc in hiſtoriis noſtris eſt varius ille computus marcarum Sialandenſium & Scanienſium aliarumq; reſpectu ſelibræ puri argenti. Qvippe etſi, Waldemaro II. regnante, cenſuerimus certiorem monetæ & marcæ fuiſſe ſtatum, tamen non percipimus ex annalibus ſeu conſtitutionibus ante, qvod ſciamus, qvàm Regis Chriſtophori I. temporibus (vide pag. 490. juris Danici) omninò fuiſſe conſtitutam monetam, adducitur enim ibi inter leges Chriſtophori I. paucis verbis, placuiſſe, ut *ſtabilis moneta habeatur in regno Daniæ.* Nec minus filio Regis ejusdem Erico Glippingo curæ fuit in concilio Nyburgenſi in Fionia anno 1284. monetam Daniæ eſſe coæqvandam, attamen per Regum tempora varia provinciarum varia diutius fuit moneta, puta prout ære ſuffarcinati procudebantur denarii. Hinc eſt qvod alios denarios in legibus, qvi legales, alios in uſu civitatum & provinciarum, qvi uſuales vocabantur, nobis dederunt ſecula XIII. XIV. & XV. Circa annum 1288. ſub Rege Erico Menvedio denarii novi leguntur in literis, qvibus Rex ille capitulo

Lundenſi 27. marcas denariorum novorum ex civitate Lundenſi qvotannis confirmavit in *Chronic. Epiſcop. Dan. pag. 63.* Hi denarii novi qvin minori exſtiterint probitatè prioribus, non eſt qvòd dubitemus, novi enim cudebantur, non ut meliores fierent, ſed ut lucrum majus ex moneta rediret, qvi denarii novi in edictis usq; ad annum 1355. memorantur Nye Skaanſke Penninger af Lunde-Mynt. Et circa ſecula prædicta videntur Boreales deveniſſe ad numos merè cupreos qvoq; fuſiùs cudendos, namq; vix legimus ante Erici Menvedii tempora marcas & ſchillingos in ære computatos fuiſſe, conceſſit enim Rex hic anno 1316. mercatoribus Daventrienſibus, qvi pannos afferebant, marcam denariorum æreorum pro qvovis faſce vectigal exponere, & ſi in foro vendant aliqvid, ſchillingum numorum æreorum ſolvant; pro curru qvovis etiam ſchillingum denariorum æreorum, qvorum ingentem numerum caſibus variis & freqventibus inventum & effoſſum apud nos videmus, & ante paucos annos cum templum qvoddam Jutiæ in Morſingia inſula reficeretur, è fornice templi, ubi repoſitum fuerat olim, vas ingens hiſce numis oppletum decidit. Optimè igitur ratiocinatur Joh. Mulenius in Præfatione Numiſm. Dan. hos numos vernaculos eſſe & uſuales in Dania aliqvando fuiſſe, qvamvis inter eos producantur aliqvi cum inſignibus Sraleſundæ urbis, qvi præter Anglicos & alios argenteos peregrinæ monetæ ubiq; etiam in Dania & Norvagia valuêre, & illa eſt urbs, qvæ civitatis jus à Danis inde à Waldemaro II. habuit, qvemadmodum ad æreolos hoſce poſtea dabimus, veluti & literæ aliaq; ſigna & figuræ, qvæ in ſeqventibus repræſentantur aut Regum denotant nomina, monetam procurantium, aut Epiſcopi vel civitatis cujusdam. Cauſam verò cur tales numos æreos tanta copia olim abſconditos à Clericis Pontificiis inveniamus, veram eſſe putamus, avaritiam eorum, qvi æreolos iſtos, qvàm maximè abrogari deſiderabant, ut major argenti vis in numis ad ipſos confluere poſſet, nullus enim Euclio adeò deparcus fuit, ut numos hoſce pro theſauro aliàs aſſervare voluerit. Qvam ob rem etiam numismata hæc minuta cuprea qvandoq; conflârunt, cujus rei nobis teſtis eſt *Crantzius* lib. 10. *Vandaliæ* cap. 11. Tale *numiſma, minutum cupreum*, inqvit, *ferunt aliqvanto tempore collectum â Paſtore* primario urbis Stralſundenſis, *Conrado Bonow* anno 1407. *in fuſilem ollam verſum, qvæ pro documento ſtabat diu poſt illa tempora.*

CLASSIS I,

In cujus numis, partim æreolis, partim argenteis cupro immixtis, figuræ qvædam rudes vel absq; ulla inſcribtione vel cum litera una aut paucis exſtant.

ÆREOLI.

Tab. XXV.

No. 1. Gladius *inter duas figuras tales* ΛΛ.

Clavis *in poſtico, & ab utroq; latere ſtella. Circumferentia lateris utrinsq; pluribus punctis partim inſignitur.*

Sen-

ac ſinceri gaudii aſſertor & auctor fuit Magnæ Reginæ Magnus filius, Monarcha noſter Clementiſſimus FRIDERICVS IV. qvi, ut conteſtaretur, qvantum gaudii ac tripudii ob ſalutem Reginæ Matris animo conceperat, hoc die Havniæ in campo ad arcem regiam eqvitabili AUGUSTÆ huic illuſtria inſtitui juſſit eqviria, qvemadmodum in numi averſa indicat apparatus decurſionis ejusdem, cui Rex Auguſtiſſimus & Regis frater, Celſiſſimus Princeps Carolus, maximâ intererant pompâ, qvorum ille Dux atq; ſtrenuiſſimus Decurſor turmæ Magnatum dextræ, hic verò ſiniſtræ præfuit.

DANIÆ NORVAGIÆQVE REGUM,

etiam eorum, qvi Angliæ Reges fuerunt,

& EPISCOPORUM,

qvi ſub iisdem ſederunt,

qvemadmodum & urbium Regnorum Ducatuumq; eorundem

NUMISMATA ANTIQVIORA


Ex viliori materia & argento ante Familiam Oldenburgicam.

PROOEMIUM.

Ut aliqvid in anteceſſum de antiqviſſimis Danorum monetis conſtet, nil qvidem antiqvius in hiſtoriis nobis occurriſſe fatemur, qvàm qvod eſt in vitis Abbatum S. Albani apud *Matthæum Paris.* p. 59. dicit enim Anketillum Aurifabrum vocatum ex Angliâ ad Danorum Regem contendiſſe, *ubi perſeptennium moram continuans Regis præerat operibus aurifabrilibus, Monetæ cuſtos & ſummus Trapezita.* Poſtea Angliam repetiit Anketillus bona cum venia Regis Daniæ &, ut ibidem fertur, *cùm honeſtatem religioſam Clauſtri S. Albani vidiſſet, placuit ei ibidem morari, habitum ſumens religionis anno* 1119. *ad annum* 1146. Qvando verò in Daniam trajecerit, exactè hîc non conſtat, tutò tamen colligimus eum circa annum 1112. eſſe ingreſſum Daniam, Nicolao Rege, qvi regnare cœpit anno 1107. & deſiit anno 1129. ſiqvidem idem Anketillus *Matthæo Pariſienſi* laudatô locô dicitur anno 1119. *ſumſiſſe habitum religionis in clauſtro S. Albani*, poſtqvam ſeptennium Monetæ Cuſtos & ſummus Trapezita in Dania traduxerat. Ab hujus Regis temporibus Daniam ſuos numos proprios vidiſſe cuſos, Anketillo aurifice rem monetariam curante, non eſt qvòd dubitemus, qvamvis qvidem hactenus Nicolai Regis numi nobis nulli obvii fuerint, at poſt ejus tempora Svenonis *Graatehede* & Valdemari I. proximè ſervaverit antiqvitas, qvi rem monetariam in Dania tunc viguiſſe docent. Non qvòd priores Nicolao Reges à Cnuto Magno, qvi Angliam una cum Dania tenuit ejusq; poſteris nullam monetam in Dania percuſſiſſe ſtatuere velimus: ſuperſtites enim ſunt ejus numi, cum icone & inſcribtione hac: ENVT REX DÆNOR. qvemadmodum & Regis Norvagiæ S. Olai, cujus inſcribtio: ONLAF REX NOR, & Cnuti Magni ex Sorore

Eſtrithâ nepotis numus, Sveno qvi Eſtrithius nuncupabatur Rex Daniæ, cujus effigies in antica circumſcribtum habet SAEN REX AD DENE. R., qvos omnes per monetarios Anglicos, Angliâ ipſis juſſu Cnuti Magni in Dania ac Norvagia viam patefaciente, pariter ac Anketillo prædicto, qvi ex Anglia in Daniam qvoq; vocatus, ut ibi monetariam exerceret, percuſſos eſſe nulli dubitamus : χαραγματα enim illorum numorum ab illis in Anglia cuſis aliqvantum in diverſum abeunt, ita tamen ut imitati eſſe videantur Monetarii morem Anglicanum, qvos ex Anglia vocatos probavimus. A qvo tempore monetam ſic ſtabilitam percipimus, ut proximi Reges eam non deſeruerint. Exemplum luculentum nobis præbet *Saxo Grammat. hiſt. Dan. lib. XII. p.* 216. qvòd Cnutus S., qvi Otthinienſis vocatur, ſeculo XI. Archiepiſcopo Lundenſi circa annum 1080., qvô regnare cœpit, qvartam numismatis Regii conceſſiſſe, ex qvo diſcimus monetam Regiam tunc Lundis Scanorum conſtitutam fuiſſe ac ante S. Cnutum viguiſſe. Et *Saxo* dilaudatus qvoq; *lib. XIV. fol. 148.* meminit Waldemarum I. ſtatim ab initio imperii circa annum 1153. numismatis Regii adminiſtrationem habuiſſe Roeskildiæ in Siælandia; Huic rei etiam adſtipulatur privilegium ejusdem Regis M. S. Monaſterio B. Mariæ Virginis de Eſrom, qvod Ordinis Ciſtertienſis fuit, de villa Steinholt datum, ubi mentio injicitur *Stubæ* (i. e. hypocauſti) Gerhardi Monetarii, in qva Roeskildiæ id conceſſum fuit. At cùm priſtinæ dignitatis numos ipſius fuiſſe legamus, credimus non minus eos, qvàm cæteros recuſos cum tempore fuiſſe qvia rarò obvii ſunt. Omnia qvæ nos eò ducunt, ut Cnutum Magnum primum fuiſſe arbitremur, qvi monetarios ex Anglia in Daniam miſerit artemq; monetas cudendi Danis æqve ac Norvagis hinc apertam fuiſſe, Chriſtiana Religione in Borea noſtro altiores agente radices. Qvippe ſub ultimis Danorum Regibus adhuc paganis & primùm converſis vix ullus aut exiguus numorum niſi peregrinorum uſus fuit, merces enim cum mercibus commutabantur, qvemadmodum apud Islandos & in Norvagia Nordtlandos in more poſitum adhuc eſt, id qvod etiam multis etiamnum populis extraneis in uſu eſt, inprimis eis, qvi inſulas colunt, illi ſunt, qvi morum veterum ſemper tenaciores exiſtunt, & de Siluranis Inſulæ, qvæ Britanniæ adjacet, *Solinus* ævo ſeculi IV. obſervavit cap. 22. p. 42. eos etiam *cuſtodiſſe morem vetuſtum, numum refutantes dare res & accipere mutationibus neceſſaria potius qvàm pretiis parare.* Sic & noſtrates aurum argentumve ſuum, qvorum copiam ſtupendam Regibus Danorum Norvagorumq; ſemper exſtitiſſe hiſtoriæ patriæ paſſim tradunt, non ab omni ævo cuſum ſed tantùm ad certum pondus examinatum habuerunt. Inter populos Sclavinos morem hunc adhuc anno IIIO. viguiſſe *Helmoldus* ſubindicat *lib. I. cap. 38. Chron. Sclav.* de Rugianis Ethnicis, ab Henrico Sclavorum Duce ſubactis, qvi pacem 4400. marcis vel ſelibris adepti ſunt, ſeqventia refert : *Apud Ranos non habetur moneta, nec eſt in comparandis rebus conſvetudo numorum, ſed qvicqvid in foro mercari volueris, panno lineo comparabis. Aurum & argentum qvod fortè per rapinas & captiones hominum vel undecunq; adepti ſunt aut uxorum ſuarum cultibus impendunt, aut in ærarium Dei ſui conferunt. Poſuit ergò iis Henricus in appenſione ſtateram graviſſimi ponderis & qvicqvid in privatis ſuis auri vel argenti habuerant, vix medietatem pecuniæ perſolverunt, puta ſtaterâ deluſi.* Hæc de qvibusdam inſularum incolis. Germanos verò Danis proximos (qvos poſt Albim & usq; ad Scaldim habitantes Angli in hiſtoriis perpetuò Eaſterlingos vocitarunt ab orientali ſitu) ex annalibus

patriis


N°. 1.
N°. 2.
N°. 3.
N°. 4.
N°. 5.
N°. 6.
N°. 7.
N°. 8.
N°. 9.
N°. 10.
N°. 11.
N°. 12.
N°. 13.
N°. 14.
N°. 15.
N°. 16.
N°. 17.
N°. 18.
N°. 19.
N°. 20.
N°. 21.
N°. 22.
N°. 23.
N°. 24.
N°. 25.
N°. 26.
N°. 27.
N°. 28.
N°. 29.
N°. 30.
N°. 31.
N°. 32.
N°. 33.
N°. 34.
N°. 35.
N°. 36.
N°. 37.
N°. 38.
N°. 39.
N°. 40.
N°. 41.
N°. 42.
N°. 43.
N°. 44.
N°. 45.
N°. 46.
N°. 47.
N°. 48.

Sententia qvorundam eſt per figuras in antica ΛΛ numerum æræ Chriſtianæ indigitari, non ſecus ac in libro Gallico Antwerpiæ 1633. impreſſo, cui titulus *Ordonnance & Inſtruction pour les Changeurs.* Ibi qvippe annus ita exprimitur in Moneta aurea Maximiliani & Mariæ IXΛΛI. c. 1477. At æram Chriſtianam ſeculo decimo tertio, circa qvod æreolos noſtros primùm cuſos cenſemus, binis æræ cifris ultimis numorum typis inſculptam ſtatuere veremur, vix enim ante initium ſeculi decimi ſexti in numis noſtratibus ſic factum eſſe unqvam videre nobis licuit, qvo numos propemodum minoris moduli ſic inſignitos conſpicimus, qvemadmodum nec niſi ultimo ſeculi decimi qvinti, numiſmata noſtra primùm integris æræ numeris inciſa videmus, qvi in plerisq; tamen planè omiſſi ſunt. Et valdè ſingularis noſtras eſſet æreolus, ſi in illo, aliis ejusdem farinæ exceptis, æra, qvâ cuſus, binis exprimeretur cifris. Cifris ſeu numeris barbaris, inqvam, non Romanis, reperitur enim inter vernaculos hîc argenteos in numo oppidò raro, qvem Civis Havnienſis *Petrus Swane* obtulit, æra Chriſtiana, numeris Romanis expreſſa, at una hirundo ſeptentrioni noſtro hic non faciet ver. Adducemus tamen ejusdem ectypon in deſcribtione, qvam faciemus ad numum Tabulæ XXVII. No. 41, ut pote qvi ejusdem cenſetur eſſe ætatis, ut ſic curioſorum deſideriis aliqvantum ſatisfaciamus. Potiùs ergo arbitramur his characteribus indicari binas literas, qvas capitales typotheta vocat. A.A. Namq; ſi formaturam ipſarum antiqvam in numis ulterioris ſeculi inſpexerimus, eas ita ΛΛ. exaratas in numis absq; literæ lineâ transversâ videmus. Ex clave averſæ hujus numi tutò colligimus æreolum hunc ad Epiſcopum qvendam pertinere in Dania & ex numorum charagmate Tabulæ hîc XXVIII. No. 45. & 51. hujus Sectionis, tempore Regum Ericorum **Plogpenning** aut Glippingii gladiis clavibusq; primum cuſorum, ſub Rege hoc vel illo vel circa eadem tempora numum hunc ita eſſe percuſſum, temporibus enim his multa & magna diſſidia Regibus Epiſcopisq; interceſſerunt, etiam ob monetæ Regiæ partem, his à Regibus clementer inde à Cnuto IV. ſive Sancto in civitatibus qvibusdam conceſſam, hinc Præſules illi faſtoſi non minus claves ſeu clavem ſolvendi & ligandi in numi poſtica, qvàm Regis in antica gladium vindicem inſculpi voluerunt, additis Antiſtitum illorum nominum, cognominum verò à ſede epiſcopali qvandoq; petitorum, literis initialibus, qvemadmodum hîc literis ΛΛ nullius, qvod ſciamus, nomen indicari poſſe, niſi Epiſcopi **Arnfaſti Arhuſienſis**; Nullus enim Præſul, cujus nomen ab his literis incipit, ſub qvoqvam Rege Daniæ illis temporibus ſedit, niſi Arnfaſtus ille Arhuſienſis, fuit hic qvi auctoritate Archiepiſcopi Jacobi Erlandi, electus, prout *Hvitfeldii Chronica Dan.* p. 257. memorant, invitò Rege Chriſtophoro I. ſedem Præſulis Arhuſienſis occupavit, qvam etiam regnante Regis ejusdem filio Erico Glippingio tuitus eſt.

Tab. XXV.

No. 2. *Numus* ***literâ S.*** *inſignitus, cum punctis duobus.*

In poſtico:

Litera N. *interpunctata.*

Tab. XXV.

No. 3. **Literam N.** *inſculptam habet in antica, ſuprà luna corniculata, infrà ſtella.*

In numi poſtica parte.

Litera I. *exſtat, dextrorsùm luna cava, ſiniſtrorum ſol. Numulus enim hic incuriâ calcographi eſt inverſus.*

No. 4. **M.** *cum qvibusdam punctis.*

In poſtico:

Candelabrum *magnum videtur apparere.*

No. 5. **P.** *eſt in antica facie.*

In poſtica:

Crux *inſculpta.*

Veremur qvidem aliqvid certi de numis hiſce ſtatuere, cujusnam autoritate ac nomine ſint cuſi, cum indicia in illis ſint planè incerta; ſunt tamen, qvi probabiliter argumentantur, ordine hic ſecundum æreolum literis initalibus S. N. inſignitum, eſſe qvoq; Epiſcopalem & ad Archiepiſcopum Sigurdum ant Sorlium Nidroſienſem pertinere, qvorum ille anno 1234. hic anno 1256. electus fuit, ſeculo enim tertio antiqviores hos numos facere antiqvarii noſtrates non audent, cùm etiam in annalibus patriis non priùs legantur marcæ & ſcillingi in ære computati ac uſitati, qvàm circà annum 1316. regnante Erico Menvedio: Ordine tertium item eſſe Archiepiſcopi Iorundi Nidroſienſis, anno 1286. electi, numulus qvippe, ut diximus, negligentia calcographi eſt inverſus: Ordine hic qvartum & qvintum numos epiſcopales qvoq; eſſe credunt, qvamvis æqve ac in prioribus inſignia Epiſcoporum, claves, lituus ſeu pedum epiſcopale, mitra, aut tale qvid in iis non compareant. Nihil tamen novi, inqviunt, Regum Daniæ nomina in numis unicâ literâ initiali, interdum absq; inſignibus, indicari. Ita ſæpe Erico unicum E. Chriſtophoris, Chriſtiernis ac Chriſtianis non niſi unicum C. placuit, qvorum imitatores & æmuli faſtuoſi Præſules illi fuerunt, addendo qvandoq; ſedem epiſcopalem, à qva etiam in fœderibus ac pactis ubiq; denominantur.

No. 6. *Æreolus* **literâ S.** *à priori parte inſignitus.*

A poſteriori:

Crux *oppidò ſingularis, qvæ qvaſi fulminis telo munita apparet, Stralſundæ urbis inſignia.*

Numulus hic repertus eſt in colle Kundbyenſi Siælandiæ noſtræ, in olla, ubi magnus ipſorum numerus conditus erat. *Mulenius* noſtras *Numism. Dan. Claſſ. II.* æreolum hunc attribuit Simoni Otthinienſi, ejusdem ſedis Epiſcopo ſexto, qvi, ſub Valdemaro I. & Cnuto VI. ſedens, mortuus eſt 1186., at timemus numulo huic tantam aſſignare ætatem, qvi cum cæteris ejusdem metalli vix ſeculò decimò tertiò antiqvior. Ut nil verum eſſe ſciamus, an Svenonis aut Simonis Epiſcopi ſit. Nec minus ambiguum eſt cujusnam ſit civitatis; verum qvidem eſt civitatis nomen in numis unicâ

unicâ literâ initiali etiam indigitari, qvemadmodum in numis Tabulæ XXVII. No. 41. & Tabulæ XXVIII. No. 42. Sectionis hujus conſpicimus per literam initialem R ſignificari Roeskildiam, adeò ut fortean urbis Straleſundæ, qvæ *Crantzio in Vandalia* ſua qvandoq; eſt Sundæ & urbs Sundenſis, eſſe poſſit æreolus; reperiuntur etiam numi ærei Tabulâ hâc No. 14. & 23. inſignibus ejusdem urbis fulminis nempe telo, exornati. Nec ſtatim ab incunabulis urbs hæc, qvam, teſte *Crantzio in Vandaliâ lib.* VII. *cap.* 5. anno poſt Chriſtum natum 1209. Waldemarus II. Rex Daniæ miniſterio Jarimari, Principis Rugianorum fundavit, ſuis gaviſa eſt inſignibus, qvæ ſeriùs, æqvè ac moneta urbibus qvandoq; obvenerunt. Nec Witzlavi prædicti Principis Iarimari filii tempore, poſt urbem hanc anno 1230. ab ipſo inſtauratam & amplificatam, civitatis inſignia aut monetam fuiſſe inſtitutam, qvod ſciamus, legimus: Nec Annales noſtri produnt, provincias Cherſoneſi noſtræ, qvas noſtrates Syſſer vocant anno 1308. ſigilla propria aut diſtincta habuiſſe, multò minus civitates, debellatis hoc anno provinciis iisdem. Itaq; ſingulæ à Rege Erico Menvedio jubebantur intra certum tempus ſigillum qvæq; parare & afferre, ut transacta illis obſignarent; qvemadmodum *Hvitfeld. pag. 368.* hæc profert. Non igitur inſignia tunc illis fuerunt & licet ſigillum paraverit qvæq; provincia, non ſeqvitur illa ſigilla inſignibus peculiaribus fuiſſe ſculpta, potuerunt enim nomina provinciarum inciſa habere, ut olim in ſigillis moris erat. Neq; ſigilla propria ſibi ſumere poterant, ſed jus inſignium ad ſummos Monarchas pertinet, illa vel concedendi, vel mutandi. Locus ergo hic ſolùm commonſtrat nondum illis provinciis inſignia certa fuiſſe & diſtincta, qvæ ne ſigillis qvidem ullis tunc gaudebant. Proinde etiam in numiſmatis noſtris cavis, qvæ Tabulæ XXVII. hujus ſectionis æri inciſa ſub numero 31. 32. 33. 34. 35. 36. repræſentantur, mediò ſeculi XII. nomina tantùm urbium, in qvibus percuſſa ſunt, integra conſpiciuntur, qvæ etiam unicâ ſolùm literâ & initiali in qvibusdam Regum, Præſulum ac urbium numulis hic & alibi exprimuntur: Pari modo urbi Sundenſi ſeriùs ſua inſignia impertita fuiſſe præſumimus, utpote qvæ una cum illo tractu Sclavorum ad mare Balthicum ſub nutu & imperio Danorum per aliqvot ſecula ſerviit, & tutamen ſuppetiasq; Regum Daniæ ſubjectisſimè diu expetivit.

Tab. XXV.

No. 7. *Litera I. à cujus latere dextro luna falcata ſeu creſcens, à ſiniſtro ſtella.*

In poſtico:

Anchora.

Straleſundenſem hunc qvoq; eſſe æreolum plurimi putant, literamq; in antica numi facie initialem eſſe Nominis Iarimari, qvi ſub ſingulari cœli aſpectu, luna creſcente, uti ex numo patet, primum hujus urbis lapidem anno 1209., prout antea diximus, poſuiſſe fertur, cùm etiam in cæteris æreolis Sundenſibus, qvi inſignibus urbis ejusdem hic inſigniti No. 14. & 25. conſpiciuntur, idem appareat character; at qvia monetam Iarimari I. tempore non viguiſſe apud Sundenſes nec inſignia civitatis ejusdem certa tunc fuiſſe conſtituta percipere licet, potius arbitramur, ſi modo litera

hæc denotet nomen Iarimari, illam in memoriam perennem tanti Principis & ſtrenui Fundatoris Straleſundæ expreſſam eſſe in numulo hoc cæterisq; Nec qvisqvam Iarimarorum anno 1407. vixit, qvo Joh. Micrælius Chron. Pomeranic. lib. 3. cap. 74. æreolos hos antiqvis tertiâ parte viliores cuſos eſſe memorat, qvos tamen non dubitamus antiqvi fuiſſe characteris, ut æqve atq; priores pari paſſu in oblationibus populi Sundenſis uſuales eſſent: Propterea etiam Paſtor Conradus Bonow, ut antea ex *Crantzio* meminimus, ingentem illorum copiam aliqvanto tempore corraſit, inq; ollam fuſilem conflari poſtea fecit, inſigni hoc facinore malè inclareſcens. Et ſi per literam I. columnam ac Romanum numerum indicari qvidam velint, eaq; exprimi numuli valorem, in eorum ſententiam tamen ire veremur, qvamdiu in cæteris ejusdem farinæ numulis, idem non inveniatur character, namq; vix prius Urbes Hanſeaticæ, (qvarum fœdus, Imperatore Carolo IV, anno 1369. ictum legimus, & inter qvas Straleſunda non fuit minima,) qvàm circa annum 1468. numos ac ſchillingos ſuos numeris Romanis, pretium numi indicantibus, percuti curarunt. In poſtico æreoli hujus additur anchora, qva fortaſis urbis portus opportunus & fida navium ſtatio ſignificatur.

Tab. XXV.

No. 8. *Clavis cum tribus punctis.*

In averſa:

Qvatuor lunulæ cornutæ, ſibi invicem à tergo oppoſitæ, ut, qvòcunq; numum rectâ verteris, lunam habueris creſcentem.

Numulus item erit Epiſcopalis, clave illa ligandi & abſolvendi ſignatus. In poſtico monetarius addidit lunulas creſcentes, amarunt qvippe monetæ cuſores typis ſuis lunam primam inſculpere, qvâ chemici ſemper ſuum denotarunt argentum, qvemadmodum & numos peregrinos Lunulis hiſce inſignitos paſſim videmus, & qvamvis numus hic non ſit argenteus, argentei tamen typo fortè percuſſus erit. Præterea Septentrionales aliiq; Europæ populi cœpta ſua ſemper feliciora putarunt, luna creſcente.

No. 9. *Corona Regis aperta:*

A poſteriori.

Gladius inter lunam dimidiam & ſtellam.

Æreolus eſt, qvi tempore Regis Erici Glippingii aut Menvedii inſignibus his Regiis cuſus cenſetur: Idem enim habet χάραγμα cum numis argenteis eorundem Regum, qvi tabulâ hîc XXVIII. ſub No. 51. 52. 53. & 54. repræſentantur, ut Regium planè ſit numiſma.

No. 10. *Litera characteriſtica B.*

In poſtico;

Crux lata cum qvatuor punctis.

No. 11. *Machœra ſeu Spatha inter qvatuor puncta, ornamenti gratia addita.*

In

Tab. XXV.
No. 19. ***Crux lata.***

In averſa:

Turres tres ſupra arcum.

Stormaricæ urbis Hamburgi qvibusdam hic cenſetur numulus æreus, ob tres, qvas præ ſe fert in poſtico turres ſuper portam fornicatam; At difficile dictu, cujusnam ſit æreolus hic, cum pleræq; urbes, qvæ ſub caſtellorum tutamine in civitatem coaluêre, à caſtellis iisdem ſua adeptæ ſint inſignia, qvemadmodum & urbium earundem clypeos turribus ubiq; exornatos in ſigillis antiqvis & hodiernis videmus, qvibus ut diſcernerentur à cæteris, figuram aliqvam ſeu characterem poſtea certum addiderunt. Itaq; ſi Hamburgenſe hoc eſſet numiſma, certè absq; urticæ folio in turrium porta oppidò rarum cuſumq; eſſe præſumeremus ante annum 1325., qvo Breviarium Hiſtoricum Hamburgenſe *Wolfg. Henr. Adelungki* p. 29. memorat urbem hanc jus monetam cudendi in Holſatiæ comitatu eſſe conſecutam à Comitibus Holſatiæ de Schouwenborch. Hinc etiam in numis ſuis urticæ folium, verum Comitum eorundem inſigne, urbis ſuæ inſignibus poſtea inſeruit in evidens ſubjectionis ſignum, non tantùm qvòd urbs hæc imperium Comitum Holſatiæ & de Schouwenburg agnoſceret, ſed & ab iisdem poteſtas prædicta Hamburgo eſſet conceſſa. Qvomodo Hamburgenſes in illo inſigni, numis ſuis apponendo, conſtanter perrexerunt usq; ad ultima tempora Friderici II. Regis Daniæ & Norvagiæ, Ducisq; Holſatiæ, qvando diſſidiis de homagio, Ducibus Holſatiæ & de Schouwenborch debito, ortis, illud inſigne ſtudiò neglexerunt, ne ſe ſubditos Holſatiæ Ducum faterentur, qvi libera Imperii Civitas audire malunt, qvam eſſe. Expetiit qvidem & impetravit Adolphus III. Comes Holſatiæ & de Schouwenburg civibus ſuis Hamburgi ab Imperatore Friderico Barbaroſſa anno 1189. inter cæteras hanc immunitatem: *Argentum qvoq; in ipſa civitate ſi qvis cambire voluerit, in qvocunq; loco fuerit oportunum, cambiat, niſi fuerit ante domum monetæ. Poteſtatem etiam habeant examinandi denarios monetariorum in pondere & puritate.* Prout verba diplomatis in *Originib. Hamb. P. Lambecii lib. I. p. 85.* jacent, qvæ civibus ſuis qvoq; ibidem lib. 2. pag. 6. anno proximè ſeqventi *perenniter ſervanda* glorioſus ille Comes & verus urbis Dominus clementer confirmavit. Ex qvibus liqvidò conſtabit, qvalem Adolphus III. civibus ſuis in Hamborch de argenti permutatione & de moneta concesſerit poteſtatem, reſervatâ ſibi monetæ domo ejusq; proventu, ut cives hi tantùm hîc eſſent Monetarii Cenſores, Germanis Schaumeiſter / denarios monetariorum ex pondere & puritate examinando. Præterea urticæ folium vix comparuit in clypeis Comitum Holſatiæ de Schouwenborch ante annum 1200, multò minus in ſigillis Hamburgenſium & longè ſeriùs in numis eorundem. Propria namq;, qvod ſciamus, non cœperunt eſſe Comitum Schouwenburgenſium urticæ inſignia ante Adolphum III. ejusq; reditum ex Terra Sancta, in eadem tempora incidentem. Qvòd verò ab anno 1024., qvo Adolphus ejusdem nominis Comitum Holſatiæ de Schouwenborch primus arcem Schouwenburgum in monte urticarum, Germanis Nettelnberg / exædificavit, inſignia hæc comparuiſſe qvidam exiſtiment, nullis

Scribtorum probatæ autoritatis teſtimoniis adhuc aſſeruerunt: Conſequens enim non eſt, qvòd Adolphus I. arcem in monte memorato ſtruxerit, ideo inſignia folii urticæ fuiſſe recepta, qvæ poſtea in clypeis horum comitum poſt expeditiones in Terram Sanctam percrebuêre, prout Adolphum III. eâ occaſione in perennem arcis Schouwenburgicæ memoriam, in urticarum monte exſtructæ, urticæ folium cum tribus clavis manuum pedumq; Chriſti, ob peregrinationem Hieroſolymitanam laudabiliter peractam, junxiſſe legimus.

Tab. XXV.

No. 20. *Stella*, *cujus radii ſunt interpuncti.*

A parte poſtica:

Qvatuor corda *in qvadrangulo diſtincta.*

Datur hic qvoq; æreolus unicò & ardenti inſignitus corde, cujus averſa literam R. præ ſe fert, qvem antiqvarii noſtrates ad Rudolphum Borglumenſem Epiſcopum in Jutia, qvi anno 1248. vixit, trahunt, propter cor, qvod cenſent Provinciarum Cherſoneſi ejusdem, nobis Syſſeler dicuntur, eſſe inſignia, qvæ hîc in qvatuor tandemq; ſecundùm regiones provinciarum in novem excreverunt & diſpoſita ſunt corda, earundem provinciarum jam inſignia propria. Præterea numulus, qvi ſerie hac exſtat, inventus & erutus eſt ad Weilebye, Jutiæ pagum. Alii verò æreolum Roeskildenſem eſſe autumant, ſed difficile dijudicatu eſt, cujus nomine hic cæteriq;, ejusdem commatis, ſint cuſi.

No. 21. *Anchora.*

In poſtico:

Cornua duo, *qvæ videntur eſſe cervina.*

Eadem legimus nonnullos viros nobiles ex familia Archiepiſcopi Lundenſis, Abſolonis, in clypeis ſuis portaſſe, ſed an huc poſſint facere, valdè ſumus ſoliciti ſcire.

No. 22. *Litera A.* *qvæ monaſtica apparet*, *infrà puncto addito.*

A parte poſteriori:

Lunulæ tres, *& gibboſæ*, *ſibi invicem à tergo appoſitæ.*

Numulum hunc cum cæteris, hîc ſub No. 24. 27. & 28. monaſticâ literâ A. inſignitis, referunt noſtrates ad urbem Aelburgi in Jutia, vel Asloæ in Norvagia, anchora enim in poſtico numi, qvi numero hic eſt vigeſimus octavus, reperitur, ſignum portûs utrobiq; ſecuri celebrisq; navium ſtationis, ſed qvò rectè pertineant æreoli hi, ſatis haud ſcimus. Certum tamen eſt, urbibus Daniæ ſaltem fuiſſe libertatem cudendi æreolos conceſſam, ut promtam haberent cives emendi & vendendi facultatem etiam ad minutias usq;, Regibus una cum Epiſcopis ſibi monetâ argenteâ ſervatâ. Hinc illam copiam numorum æreorum fluxiſſe, nobis perſvademus, qvi circa annum 1316. uti diximus, tempore Regis Erici Manvedii tantâ copiâ profluxerunt, ut in marcis & ſchillingis denariorum æreorum ſint computati: Nam argenteæ monetæ jus ſeriùs civitatibus accesſit, qvod ſibi Reges diu antea in civitatibus provinciarum vendicarunt, conſtitutasq; inde argenteas monetas ibi habuerunt, inter qvas

pri-

In postica:

Pedum, ut creditur, Archiepiscopale, elegantioris enim & majoris est formaturæ, atq; peda in æreoli postico, qvi proximè sequitur, utring; crux parva & lata.

Tab. XXV.

No. 12. *Spatha eadem in antica.*

Pedum episcopale geminum transversim positum inter puncta qvatuor.

Æreolus, qvi hìc numerò decimus est, an civitatis Bergensis aut Archiepiscopi Lundensis Bergeri, aut alius sit colligere, non licet, illud verò certum esse confidimus, illos, qvi numerò 11. & 12. sequuntur, ex monetaria officina prodiisse, in qva Episcopus qvidam numismatis Regii ad partem aliqvam particeps fuit; jam verò de nulla officina in historiis patriis hoc expressè legimus, nisi Lundis Scanorum, itaq; Lundenses forte an erunt æreoli hi.

No. 13. *Rotula qvædam oppidò singularis, qvæ videtur esse ansata.*

In postico latere:

Craticula.

Rotulam hanc in numi antica memoriam supplicii S. Catharinæ ab Imperatore Maximino constituti, inculcare, qvàm plurimi censent, eâ enim, qvæ tamen fulmineo igne combusta, tyrannus hic artûs S. Catharinæ suffringi voluit, qvemadmodum *Petr. de Nat. lib.* 10. *cap.* 105. memorat. Illius Martyris, qvæ manûs Maximini non nisi decollata tandem evasit, apud nostrates olim fuit etiam veneratio magna & apud Ripenses templum, in illius memoriam fundatum, adhuc splendidum cernitur, prout etiam hic & in picturis & fastis nostris rotulam, hujus Martyris indicem, observamus. Ex altera æreoli parte craticula, ut nobis videtur, conspicitur, qvæ evidens creditur esse signum martyrii S. Laurentii, Imperatore Tyranno Decio, craticulæ impositi atq; in ea cremati. Cœtûs Lundis Scanorum hic fuit maximè venerandus Patronus, in cujus memoriam ibi adhuc exstat templum Laurentianum, vasti qvod est operis & inprimis magnificum, veluti etiam crates hujus loci est illustris index. Lundensis verò an Ripensis hic sit æreolus difficile est dictu, cùm etiam utrobiq; qvàm diutissimè erectæ fuerint officinæ monetariæ.

No. 14. *Fulminis, uti apparet, telum, qvod in numis Stralesundensibus denotat insignia urbis ejusdem.*

Ab altera parte:

Litera I. solito more in æreolis iisdem inter lunam crescentem & stellam posita.

No. 15. *Litera I. eâdem, qvâ in numo priori est, positurâ, nisi qvod sinistrorsus videatur habere solem.*

In postico:

Anchora.

Straleſundenſes item cenſentur æreoli hi. De hac urbe Poëta ille laureatus *Zacharias Orthus* anno 1570. appoſitè ſic cecinit:

Inter Vandalicas multò præclarior urbes
Ad mare Balthiacum Sundina Strela jacet.

Crantzio in Vandalia ſuâ lib. 7. c. 5. urbis hujus nomen eſt ab inſula qvadam nomine Strela, qvam civitati objectam refert, & à Danicæ lingvæ vocabulo Sund/ Latinis qvod eſt maris faux. Sed originatio hæc *Micrælio*, qvi *Chron. Pomeranic. lib. 6. c. 49.* negat ſciri inſulam urbi objacentem, qvæ hoc nomine appelletur, placere non videtur. Hinc etiam *Andr. Corvino Font. Latin. part. II. de nominibus propriis* contradicere ſvadent inſignia urbis Straleſundæ, qvæ ipſi ſunt fluminis, ſeu rectiùs fulminis, telum, in ſua lingva ein Straal: oder Donnerpfeil. Ut potius origo nominis ſumenda ſit à maris fauce, ad inſtar fulminei teli hic præterlabente, qvâ huc vel illuc navigatum eſt in tantum urbis incrementum, ut præcipua vel certè inter primas urbium Vandalicarum fuerit, qvibus etiam *Micrælius* locò citatò aſſentitur. Vero itaq; nobis ſimile fit, maris ſeu faucis hujus formaturam urbi proximæ & nomen & poſtea inſignia olim dediſſe.

Tab. XXV.

No. 16. *Calix latus inter duo puncta cum circellis circa oram numi.*

A poſtica parte:

Stella in area, aliis videtur eſſe rota.

No. 17. *Calix fabrè factus, ab utroq; latere punctum.*

A parte altera:

Trifolium cenſetur apparere in medio numi.

No. 18. *Stella, qvæ aliis rota dicitur, cum variis circellis in circumferentia.*

In poſtico:

Crux molendinaris, qvemadmodum artis Heraldicæ gnari eam vocant.

Stellam in æreolis hiſce emicare, qvam alii pro rota venditant, non eſt qvòd dubitemus, cosqve numos Abele & Chriſtophoro I. ejus fratre in Dania imperantibus cuſos eſſe, his enim Regibus ut plurimùm ſtellæ in numis ipſorum argenteis hic Tabulæ XXVIII. conſpiciuntur. Calices in numismatibus his Præſules eccleſiarum ab antica parte fortean voluerunt poni in memoriam S. Euchariſtiæ perennem, ſtellaq; ſeu trifolio, in omen bonum, exornari in poſtica. Amarunt etiam priſci Franciæ Reges Cherebertus & Dagobertus, eorum nominum primi, denarios ſuos aureos calicibus anſatis ſub cruce procudi, ut refert *M. le Blanc Traité hiſtoriq; des Monnoyes de France*, in memoriam illius, qvod in Concilio Turonico, anno 567. Chereberti autoritate congregato, conſtitutum legimus, *ut corpus Domini in altari, non in imaginario ordine, ſed ſub crucis titulo componatur.* De calicibus his, qvi anſati fuerunt, plura ad æreolum hîc numerò viceſimum tertium dabimus.

primam reperimus Roeskildiæ nomine Regis non civitatis positam, deinde Lundis Scanorum secundam, tertiam Ripis in Jutia, qvæ Regiæ fuerunt monetæ, nec civitatum nomine ullos numos argenteos videmus procusos ante Erici Glippingii & imprimis Erici Pomerani regnum: Tunc enim magno agmine prodierunt Roeskildenses, Lundenses, Ripenses, Otthinienses, Nyburgenses, Nestwedenses, Randrusienses, Aelburgenses, Wibergenses & Arhusienses, omnes argentei, seu ære immixti: Malmogienses ita sub Rege Christophoro Bavaro & Christierno I. Havnienses sub Regibus Johanne I. & Friderico I. invaluerunt & sic de aliis. Adeo ut argentei denarii initiò non nisi Regibus & indultu ipsorum Episcopis dati fuerint cudendi, ærei verò maximè Civitatibus. Et si qva argenteorum seges sub nomine civitatum ante eadem tempora inveniatur, certè cum effigie Regum anteqvam civitatibus jus cudendi numos argenteos concessum erat, prodierunt, ut constaret Regia non civitatum esse numismata, donec tandem civitates, potestate cudendi monetam argenteam donatæ, partim Regis nomen aut characterem ipsius, partim cum nomine effigiem in numi antica, in postica verò cujus civitatis sit moneta, posuerunt.

TAB. XXV.

No. 23. ***Crux magna,*** *ad oram numi in circuitu puncta qvædam ad instar cordium.*

In aversa:

Calix, *ut apparet,* ***ansatus*** *cum circillis in circumferentia æreoli.*

Numulus oppidò est singularis ad modum numismatum Francorum, qvæ calicibus ansatis insignita, maximè regnante Rege Chereberto, *M. le Blanc Traité historiq. des Monnoyes de France pag. 65. & 67.* producit, qvemadmodum *Beda de loco sanctis.* cap. 2. memorat, calicem, qvo Christus in Cœna Dominica usus est, argenteum fuisse & duabus ansis munitum. In libro, cui est titulus *de Ordine Romano*, sæpius mentio injicitur Calicis ansati, & *Anastasius* narrat, Carolum Magnum donasse Pontifici Romano *Calicem majorem cum ansis duabus.* Ex qvibus constat, prout etiam ex æreolo nostra patet, qvalis antiqvissima calicis in Cœna Domini apud nos qvondam etiam fuerit formatura.

No. 24. Ejusdem est commatis, cujus æreolus numero 22. putatur esse.

No. 25. ***Fulminis telum*** *& utrinq; punctum.*

In aversa:

Columna *qvædam, qvæ censetur esse litera I. & dextrorsus luna crescens.*

Cum cæteris, hîc sub numero 14. & 15. exstantibus, Straleſundensibus annumeratur æreolis, insignia item Sundensia ab antica præ se ferens, telum nempe fulminis, nomenq; in postica larimari, Fundatoris ejusdem urbis perqvam glorioſi.

No. 26. ***Clavis*** *cum duobus punctis.*

In postico:

Crux, *qvæ antiqvariis nostratibus ex numis Gothicis dicitur Gothica.*

Crux

Crux qvippe ſic efformata in numis Gothorum ſæpius reperitur, cujus formam nec poſteri ipſorum hiſce in oris adeò neglexerunt. Fuſiùs de cruce hac diximus ad numos Gothicos Sect. one hic III. No. 14. Epiſcopalis videtur eſſe numulus, qvia clave ligandi & ſolvendi in antica notatus eſt.

Tab. XXV.

No. 27. & 28. Æreolos hos ad numum hîc ordine viceſimum ſecundum ſatis recenſitos arbitramur.

Præcipua hæc ſunt numiſmata ærea, qvæ hîc repoſita nobis has in qvalicunqve ipſorum explicatione dederunt conjecturas. Datur illorum aliàs vaſta congeries, qvam politioris doctrinæ viris examinandam una cum hiſce reliqvimus, ut qvoq; habeant, qvo ſuas conjectationes exerceant.

ARGENTEI

Numi, cuprô qvi partim ſunt ſuffarcinati & majoris moduli, vel absq; ulla inſcribtione vel cum litera una aut paucis.

No. 29. Gladius perqvàm latus & lineis qvibusdam tractis qvaſi deletus, ab ejus dextro latere ſol, à ſiniſtro luna.

In poſtica parte.

Crates.

Ex averſæ craticula, illuſtri illo cœtûs Lundarum Scaniæ inſigni, Lundenſe hoc eſſe numiſma cenſemus, eoq; tempore forte cuſum eſſe, qvô inter Regem Archiepiſcopumq; qvendam ejusdem loci etiam ob monetam qvædam interceſſêre litigia, qvemadmodum videtur ex gladio in numi antica facie, qvi evidens ſemper exiſtit poteſtatis & numiſmatis Regii ſignum, cui vocabulum Rex per literas RX abbreviatum, & interdum qvoq; nomen Regium in qvibusdam, ejusdem temporis numis adjungitur, qvemadmodum in numo hujus. Tabulæ No. 37. & Tab. XXXVIII. No. 45. conſpicimus. Multæ enim ob jus monetæ cudendæ ſimultates qvidem inter Reges Epiſcoposq; Daniæ olim exortæ ſunt, at nullæ ferventiores, qvod ſciamus, qvàm inter Regem Chriſtophorum I. & Archiepiſcopum Lundenſem, Jacobum Erlandi, qvi etiam inter cæteras, qvas apud *Hvitfeldium p. 251. Chronic. Dan.* contra Regem hunc Aatorpi in Hallandia anno 1257. habuit qverimonias, de re numaria conqveſtus eſt, qvòd Rex monetæ puritatem in detrimentum Pontificis Romani Clericorumq; depravaverit, & reducere ideò deberet monetam in priſtinum & meliorem ſtatum. Vir præterea Archiepiſcopus hic fuit perqvam faſtuoſi ſpiritûs, itaq; haud veritus eſt qvoq; profiteri, ſe æqvè gladio ſpirituali ac Regem ſeculari accinctum eſſe, *duos* enim ibidem edixit *haberi gladios, ſpiritualem & ſecularem*, horum qvemqve hîc in numi antica, conjicimus ſic, multis lineis tractis, concerptum atq; conciſum aut Regem aut Archiepiſcopum circa eadem tempora voluiſſe.

Tab. XXV.

No. 30. **Rex** *imberbis umbilicô tenus exſtans, indutus pileo ſuo Regali, ante frontem Phrygio qvodam opere concinnato & palla Regali amictus, qvi ſceptrum liligerum dextrâ, ſiniſtrâ pomum cum cruce tenet, dextrorſus litera W. ſiniſtrorſum Λ, qvam literam A eſſe judicamus, ut ſint initiales binæ nominis Regii W Aldemarus.*

In poſtico:

Icon mitrata, *cum duabus à mitrâ appendiculis ſeu flagellis, pallium epiſcopale induta & ambabus manibus lituum tenens, ad dextrum ipſius latus ſtella ſexangula. In circuitu exteriori circelli qvidam numum utrinq; ambiunt.*

No. 31. **Regis** *ejusdem effigies ad umbilicum usq;, figuris priori haud diſſimilis, niſi in paucis qvibusdam, dextrâ ſceptrum deſinens in lilium gerit, ad ſiniſtrum circa collum ſola litera W. conſpicitur.*

In aversâ:

Epiſcopi *figura, mitrâ ſuâ inſignis, pallio item epiſcopali, ſtellis utrinq; exornato, indutus, ad umbilicum qvoq; exſtans, dextrâ clavem, ſiniſtrâ baculum epiſcopalem gerit.*

Uterq; magnitudine aſſis Lubecenſis, ſed levis & gracilis. Ex averſarum figuris ſatis ſuperq; conſtabit, Epiſcopum hìc delineatum eſſe, qvem Abſolonem Archiepiſcopum Lundenſem Antiqvarii noſtri qvàm plurimi eſſe non dubitant, qvi famam & nomen ejusdem viri cum rebus geſtis amplisſimis memoriâ repetiêrunt & qvàm carus Regi Waldemaro I. fuerit, cujus lateri individuus comes hærebat: Regis itaq; Waldemari I. numos hos eſſe exinde ſibi calculum ſubducunt, in ſigillis enim antiqvis nomen Waldemari inciſum literâ W. conſpicimus æqvè ac ſimplici V. in qvibusdam numis ac ſigillis. Waldemari II. aut alius, qvi fuit ejusdem nominis Rex & inferioris ætatis non poterint cenſeri, cùm antiqvioris illi certè ſint χαραγματος, qvemadmodum ex aliorum ejusdem nominis Regum numiſmatis perſpicimus.

No. 32. **Lilium** τρίφυλλον. *In circuitu exteriori circelli qvidam numum utrinq; ambiunt.*

In altero latere:

Lituus & gladius *formâ crucis poſiti, qvibus litera O. videtur ſiniſtrorſus adjecta.*

No. 33. **E.** *monaſticum.*

In averſa:

Frontiſpicium templi *cujusdam.*

No. 34. **Lilium** *prædictum, ad oram numi ſeptem circelli utrinq; repræſentantur in circuitu.*

In poſtico:

Claves binæ, *ſolvens ſcilicet & ligans.*

Tab. XXV.

No. 35. E monaſticum.

Ab altera parte:

Crux aream numi ſecans, in cujus quatuor angulis litera qvatuor ERIC ejusdem commatis exſtant.

No. 36. Crux eadem eſt, qvæ cum iisdem literis in averſa proximè prioris numi conſpicitur.

In latere averſo:

Triangulus, angulatim lilio qvodam exornatus, ad cujus latera tria tres literæ monaſticæ REX apparent.

Regis cujusdam, cui nomen Ericus, numulos hos eſſe, ex inſcribtionibus eorundem patet, qvi cum numis argenteis Regum Erici Glippingii aut Menvedii TAB. hic XXVIII. Nô. 51. 52. 53. 54 & 55. collati ejusdem farinæ & Danorum Regis eſſe clarè ſatis videntur. Idem enim habent χάραγμα ejusdemq; ſunt typi, & hinc eadem literarum diſtantiâ & magnitudine, ut disjungere eos ab illo ævo non poſſimus. At cujusnam horum Regum ſint, & ex qvanam monetæ domo prodierint, difficile eſt dijudicatu. Si Fionenſes tunc temporis Regiæ & Epiſcopales exſtiterint monetæ, qvemadmodum per cæteras provincias, nos illos, præſertim cum flore lilii, ad Fionenſes traheremus, ſiqvidem Fionia amœna illa Daniæ provincia, lilii inſigne proprium habuiſſe dicitur, veluti etiam lituus & gladius figurâ crucis in poſtico numi latere hîc poſiti evincunt & Regi & Epiſcopo monetam qvoq; in Fionia fuiſſe: Nam plerumq; Reges Epiſcopis partem fructuum monetæ ſuæ conceſſerunt, ut de Lundenſi moneta in Scania obſervavimus. Si hæc ita ſe habeant, numuli hi, qvantum nobis antiqvitates patrias ſcrutari licuit, ad Regem Ericum Menvedium & Epiſcopum Otthinienſem Petrum Pag, qvi, hoc Rege regnante, ſedit ab anno 1301. ad annum 1319., trahendi cenſentur, eam ob cauſam præcipuè, qvòd moneat *Hvitfeldius* noſtras *in Chron. Epiſcop.* p. 40. hunc Epiſcopum in ſuis inſignibus lilio decorum fuiſſe Regiq; eidem admodum carum. Præterea conſpicimus lilium hoc circa hæc tempora conceſſiſſe in clypeum Civitatis Otthinienſis in Fionia, qvo in hunc usq; diem decoratus repræſentatur, illosq; circellos inſtar O parvi formatos, qvi numum hîc numerô 34. ad oram utriusq; ambiunt, ſignificare Otthiniam, qvemadmodum circellum ſeu O majus lituo & gladio numiſmatis, qvod hîc numerô eſt 32., eodem ſignificatu ſiniſtrorſus adjunctum eſſe credimus. Qvibus accedit, qvòd moneta Regia Otthiniæ etiam Rege Erico Pomerano viguerit, qvemadmodum ex numis ipſius, qvi hîc TAB. XXVIII. numerô 63. 64. 65. comparent, percipimus.

No. 37. Gladius cum literis R X. qvibus punctus ſupra & infra eſt additus.

In poſtico numi latere:

Frontiſpicium templi, in cujus faſtigio inter duas turres & infernè in porta ſtella emicat, præterea circelli qvidam in circuitu ad oram numi utrinq; apparent.

TAB. XXV.

No. 38. **Crux lata**, *in cujus qvatuor angulis lunulæ dimidiatæ qvatuor apparent cum variis item circellis utrinq; ad marginem numiſmatis in circumferentia.*

Ab altera parte:

Rex *literis monaſticis, in area numi exſtantibus.*

No. 39. **Crux latior**, *tribus ejusdem angulis literæ tres REX inſertæ ſunt, in qvarto roſa ornamenti gratiâ additur.*

In aversâ

Crucem *potiùs exſtare arbitramur, qvàm literas, angulatim lunulis qvatuor exornatam.*

No. 40. **Crux** *in medio numi, ad cujus marginem in circuitu qvatuor lunulæ totidemq; ſtellæ alternatim emicant.*

In poſtico:

Crux *trifolio ab utraq; ejusdem ala exornata.*

Ejusdem inciſoris numuli hi omnes eſſe cenſentur, utpote qvi ejusdem planè ſunt characteris, & Regiis illos annumerari, literæ RX & REX, promiſcuè iisdem inſcribtæ demonſtrant; ſed cujus ſint monetæ, certum qvid vix definire poſſumus. Sunt tamen, qvi eos Roeskildenſis incudis eſſe autumant: Nam ſi laminam ſeu ſigillum eburneum, qvod ſatis antiqvum, & domûs S. Trinitatis Roeskildiæ eſt, hic ſectione III. Num. 41. aſſervatum, templiq; Roeskildenſis formaturam in eo inſpiciamus, certè ejusdem templi frontiſpicium eidem, qvod hic in numuli aversâ No. 37. eminet, haud eſt abſimile.

His accedunt inter cæteros numuli duo, literis etiam ſignificativis inſigniti, qvorum primus TAB. hîc XXVIII. ſub numero 61. æri inciſus & deſcribtus conſpicitur, alter verò, qvi diutiùs oculos noſtros fugit ideoq; æri non inſculptus, hic eſt:

Lituum *in antica numi parte habet epiſcopalem cum appoſita litera O, & inferiùs literæ N. I. lituum amplectuntur, in exteriore circuitu alternis qvatuor cruces & qvatuor O cingunt.*

A parte poſtica

Qvadrangulus *eſt, qvi in angulis qvatuor O habet & in mêdio coronam, cui exterius qvatuor ſemilunulæ addita.*

Qvi antiqvitates patrias penitiùs ſcrutati ſunt, numiſma hoc ob toties in eo repetitas literas O. ad monetam Otthinienſem trahunt. Numus ergo hic potius ſpectare videtur ad Nicolaum Jonſſon Epiſcopum Otthinienſem ſub Waldemaro IV. ab anno 1339. ad annum 1360. in ſede collocatum. Hoc ſignificare poterint iſtæ duæ literæ N. I. & iſtud O adjectum & per numum ſparſum; non itaq; Olaum Regem, ut multi conjecerunt. Alii verò N. I. ad Nicolaum Jacobum, Epiſcopum

Roeskildenſem & Olaum Regem Reginæ Margaretæ filium, traxerunt ob iſta O. qvòd is ſub eodem Rege ſederit, de qva re contendere nollemus, niſi aliud indicium ſupereſſet, qvod ad Nicolaum Ionſſön Otthinienſem pertinere certos nos faceret, etenim eſt illud O. additum pedo Epiſcopali, qvod Olao non convenit, ſed urbi Otthiniæ: Sic enim reperies in averſa numi, qvi in tabulâ hîc XXV, numerò eſt 32., pedo epiſcopali & gladio, crucis more poſitis, adjunctum illud O. ad ſignificandum Otthinienſem Epiſcopum.

Et hi ſunt illi numi vernaculi & argentei, qvos Monetarii noſtrates temporis tractu non ſaltem cuprò adeò obſcurarunt, qvemadmodum *M. le Blanc Trait. Hiſtoriq; des Monnoy. de France* pag. 161. nobis adducit numos Tornacenſes, qvi Turones nigri ideo ſunt appellati; verùm etiam inſcribtionibus characteriſticis obumbrarunt, ut potiùs atri ſint dicendi, qvi unacum æreolis adductis vulgo noſtro Hvider i. e. Albi perperam vocitantur.

Tab. XXV. Nò. 41. 42. 43. qvæ hâc Tabulâ ſequntur numismata argenti purioris ad Claſſem hic II. & qvidem ad Cnuti Magni & Harde-Cnuti, ſub numeris hujus tabulæ ſunt adducta & deſcribta. Nò. verò 44. ad Cnuti IV. ſeu Sancti, 45. ad Regis Svenonis Eſtrithæ Nò. 46. 47. ad Svenonis Grathe & Nò. 48. ad Valdemari IV. numos eodem modo relata videbis. Seqvitur jam primò verus ille numorum argenteorum Anglò-Danicorum nitor, qvi ſub nutu & imperio Cnutorum, Daniæ & Angliæ potentiſſimorum Regum, in ſeptentrionis noſtri oras, tanqvam luna inter nubes, effulſit atq; prævaluit, re monetaria in Dania necdum gliſcente. Adeò ut qvi Cnuti Magni Patris, Regis Svenonis furcatæ barcæ, numos ſe reperiſſe gloriantur, imò furcatam qvoq; barbam in numis ſignari, vel ſculpi potius curarunt, numos Svenonis Grathe ſentiant ſe protuliſſe, ſub nomine SVEIN REX. cum barba acuta, non verò Svenonis Tiufveſkæg/ qvi Danis olim ſic in hiſtoriis cognominatus eſt ab admorſa barba, qvæ qvaſi in furcillam, noſtratibus Tiufve dictam, deſinebat: Regis itaq; hujus tempore numos Danis proprios in Dania cuſos oſtendere facile qvis non poterit. Poſt hunc Regem verò numi Danici adeò non ſilent, viſu tamen, qvos hic in procemio numiſmatum antiqviorum Regis Cnuti Magni, & ipſius ex Sorore Eſtritha nepotis, Svenonis Eſtrithii adduximus, ſunt rariſſimi: Tempus enim edax rerum, compluſculos oculis noſtris ſubduxit.

CLASSIS II

Numorum, qvi partim purioris ſunt argenti, inſcribtionisq; dilucidioris nominum propriorum.

Numismata

REGUM CNUTI II. ſeu Magni

&

CNUTI III., qvi Harde-Cnutus eſt vocatus,

Ea ſerie partim poſita, qvâ obvenêre, cùm ſenium & diſcrimen eorum dijudicatu ſit difficilius. TAB. XXVI.


N.o 1.


N.o 2.


N.o 3.


N.o 4.


N.o 5.


N.o 6.


N.o 7.


N.o 8.


N.o 9.


N.o 10.


N.o 11.


N.o 12.


N.o 13.


N.o 14.


N.o 15.


N.o 16.


N.o 17.


N.o 18.

TAB. XXVI.

No. 1. ✠ CNVT REX ^NG. *Vultus Regis, cujus caput galeâ prorſus Regiâ ornatum eſt, capillis in nodum ad cervicem coactis, qvemadmodum ex humeris apparet pallium Regis pompoſum, & dextrorſum eminet ſceptrum florigerum.*

In averſa:

✠ ASLA. MO. LINCOLN. *Crux, qva in qvatuor partes numum dividit.*

2. ✠ CNVT REX ANG. *Regis eadem icon, cum baculo, cujus apex tribus globulis præmunitus eſt.*

✠ LEOFVIG ON LUNDE. *Crux eadem.*

3. ✠ CNUT REX ANGL. *Eadem Regis icon, inſtructa ornatu eodem.*

✠ RICHVLF ON NOR-DF. *Eadem crux.*

4. ✠ CNVT REX AN. *Regis vultus, more fermè eodem exornatus, niſi qvod presſiùs capilli ejus ſub caſſide ſimplici ad cervicem religati ſunt in nodum rotundum.*

✠ HILDOLF. MO. E O. ER. *Crux.*

5. ✠ CNVT REX ANGL. *Regis icon cum caſſide eadem, cervicem uberiùs tegente.*

✠ VI-DRIN M-O E. RY. *Crux ſolita.*

Numi primores tres in antica parte ejusdem ferè ſunt typi, alius verò poſteriores duo, conveniunt tamen in eo, qvòd eorum icones omnes ſint galeatæ & denarii ex puto argento, qvorum 240. pondo unum ſterlingorum æqvare, ſolidum autem Anglicum, qvi libræ viceſima pars eſt, duodecim continere, *Gvilhelmus Lambardus* ἀριθμουμενα computat. Commentatores ad vitam Ælfredi *Johannis Spelmanni* TAB. II. numorum Anglo-Saxonicorum hos denarios vocant communes, à majoribus ipſorum **Penegas**/jam **Pennias** appellatos, & ponunt calculos haud accuratiores: *Eorum unus tribus noſtris ferè æqvatur. Eorum qvinqve ſolidum unum, ſive ſcilling valebant, 48. verò ſolidi ſive ſcillingi* h. e. 240 **Pennegas**/ *libram unam conficiebant, noſtrorum (Anglicorum) denariorum 720, h. e. ſcillings 60 præter propter. Qvare, cum qvadringentas libras Ælfredus noſter dotem filiæ ſuæ ſtatuiſſe dicitur, è noſtris 1200. dedit.* Tandem addit: *Danici verò, qvos habemus (Cnuti ſc., Harde-Cnuti & Haroldi) ſunt ejusdem cum Saxonicis formæ & magnitudinis.* At ſciant Cnuti Magni tempore libram ſterlingorum, ſecundùm qvam ſuos hîc ſubducunt calculos, non viguiſſe, ſed libram argenti 12. unicarum, unde hi denarii ad tales libras examinari debent, non ad libram Sterlingorum aut ad ipſius ſolidos: Singuli enim horum numorum duos aſſes Lubecenſes in argento puro continent & 24. unciam reddunt, ſex verò ſolidum Anglicanum, prout hodie conſideratur, qva ratione 120. tales denarii libram ſterlingorum reddiderunt, non 240. Hoc pondus eſt horum numorum ideoq; non ad libram ſterlingorum, ſed ad libram argenti ſunt ponderandi, ſiqvidem libra ſterlingorum & ſolidi Anglici nondum ſeculo XI. ad eam conditionem & monetam in Anglia redacti fuerunt, ad qvam poſtea delapſi ſunt, Eaſterlingis artificium monſtrantibus & denarios ferè usq; ad dimidium imminuentibus, ſtante nomine libræ ſed diſtinctæ per libras Eaſterlingorum à libris argenti puri. Solidi enim ſive ſcillingi, qvi ex Anglia ad Danos & cæteras nationes eo nomine exiêre, Anglis originem nominis ex latino *Sicilico* contractè *Scillingum*, ſicut ex pecunia *Penny*

& *pens*, olim *pennigas* & *pennias*, ducentibus, ea ætate haud cusi fuerunt, qvem-admodum denarii, sed erant tantùm nomen & pondus ad monetam denariorum spectans, ut marca, & pondus sterlingorum. Et hi sunt denarii, qvod sciamus, primi, qvi circa annum 1029. sub Cnuto Magno, uti in Anglia ita & in Dania, usuales fuerunt. Numi majoris moduli per aliqvot ejusdem temporis secula, promiscuè non sunt usi, qvia inde ab imperio Valentiniani (ni fallimur I.) prout *M. le Blanc des Monnoyes de France pag. 40.* memorat, qvicqvid auri vel argenti percussi à populo censuale fuit exactum, depuratum & non recusum in thesauris imperantium asservabatur, qvomodo subditi argentum & aurum suum deinde custodiebant, *vide Cod. Theodos. libr. 3. de ponderat.* Et ita in Galliis usqve ad tempora *Philippi Pulcri*, nempe annum 1285. observatum nobis qvoq; *M. le Blanc* l. c. tradit, cui sic assentire videtur Gregorius Turonensis: *Nec Aurum neq; argentum* (scilicet Regis Clodovéi & sobolis ipsius tempore) *sicut nunc est, in thesauris habebatur.* Qvos verò *J. Spelmannus* l. c. numos aliqvantulum majoris moduli ex cimeliis protrahit, rarissimi sunt, in usum populi promiscuè non percussi. Hinc nostri minutuli numi, Græcis τὰ λεπτὰ ἀργύρια i. e. minuti argentei vocati, iisdem seculis procusi sunt, civibus in minutis & qvotidianis rebus commercandis & distrahendis sufficientes, qvi nostratibus exinde pulcerrimo vocabulo Skillie-Mynt/ id est, *moneta*, ut ita dicam, *separatoria* vocabantur, qvòd facilè per eas & postea viliores ad minutias usq; cives separarentur. Res itaq;, qvæ magni erat pretii, libris aut selibris, auri vel argenti, & qvod excurrebat, minutulis rependebatur, ut summa pretii justè suppleretur: Germanis etiam numi hi minutuli Scheid-Münt̃ dicuntur. Emicant in nostris, secundùm epigraphen, CNVT REX AN. ANG. & ANGL. & ANGLORVM Cnuti Grandævi, Magni Daniæ Regis, hic autem simul Angliæ, icones pro eo tempore rarissimæ, qvippe in aliis regnorum monetis regnantium imagines non ubivis tum obviæ. Et res certè in Galliis admodum singularis fuit in numis circa tempora eadem imperantium vultus procusos videre, qvemadmodum laudatus *M. le Blanc* de numo *Philippi I.* anno 1060. regnantis pag. 150. profitetur: *Chose*, inqvit, *tres rare en ce temps la, qvè de voir des testes sur les Monnoyes.* Signum enim Imperatorium qvondam erat ora vultusq; Principum in numis conspicere, & Imp. Justiniani tempore Regibus Francorum primùm concessas fuisse icones suas in numismatis aureis percussas, prædictus *M. le Blanc* Procopium nobis autorem pag. 44. affert. Historica Ecclesiastica *Adami Bremensis* Regem nostrum ubiq; *Chnut*, *Encomiastes* verò Emmæ Cnutonem vocat: In historia patria idem est secundus ejusdem nominis, qvi nomen hoc gentilitatis sortitus est à *Cnutone Primo* & expositio, nostratibus etiamnum fundne Knud cognominato, hic enim, prout *Sturlesonii Chron. Norvag. Danicè edita pag. m. 112.* referunt, curâ *Gormonis* Regis Daniæ, paganorum more baptizatus est nomine Knud/ ex nodo cum infante illo reperto, in qvo crepundia sive γνωρίσματα, qvæ tres erant annuli aurei, connodata erant, qvemadmodum nodus etiamnum Danis Knude vocatur. Respectu verò filii cognominis, qvi tantùm duos annos novemq; dies ad Angliæ gubernacula, ad Daniæ verò septem seu novem sedisse computatur, habuit tenis seu Grandævi agnomen, unde & Gammel Knud *in historiâ gentis Dan.* ab *Erico Pomerano* Rege Daniæ, ut creditur, concinnatâ, denominatur, qvemadmodum & Dives. Nec vix alia de re, qvàm de vultu

hæc

hæc & ſeqventia *Cnuti Grandævi* numismata agnoſcuntur, qvia & Monetariorum ſive Monetalium Comitum ætates, qvorum nomina in poſtico exſtare videntur, indagare non contingit, nec aliis inſcribtionibus in antico numi hi diſcriminantur ab ejusdem Regis filii cognominis numismatibus, qvæ, niſi in paucis numis, eundem præ ſe ferunt titulum. Grandævi itaq; Principis *Cnuti Magni* vultum & corporis formam M. S. hiſtoria Island. **Knytlinga Saga** dicta, ſic. cap. 20. delineat: Hann var manna meſt vexti og ſterkr, „ at affli manna friduzter, nema nef hans var þunt oc eigilagt oc nackvad „ biugt. hann var lioslitadr, fagrhar oc mickherdr. huerium mannivar hann „ betr eygdr, bedi fagreygdr oc ſnareygdr. i. e. *Magnâ corporis ſtaturâ fuit „ roboréq; fortis, omnium formoſiſſimus, præter qvòd naſum haberet tenuem, eminentem & aqvilinum, facie vivida, capillo decoro & prolixo, oculos elegantiſſimos habuit, claros nempe & acres.* Eodem modo qvoq; in numis proximè ſeqventibus qvaſi ad vivum conſpicitur ſculptus & procuſus, præſertim No. 6. 7 & 15. qvi ſuum ideo magis commendant artificem. Præterea ob rerum geſtarum magnitudinem adeptus eſt Magni nomen, & *Magnus* certè *Grandævus* ille *Cnutus* fuit Rex, qvi in hiſtoriis patriis ſex florentiſſimorum Regnorum Daniæ, Norvagiæ, Sveciæ, Angliæ, Slavorum & Semborum glorioſus poſſeſſor dicitur, eximio ſui fulgore etiam Romanum illuſtravit imperium: Generum qvippe *Henricum Nigrum* ejus nominis Imperatorem III. Italica conſternatione perculſum, priſtinæ fortunæ, preſſa rebellium conſpiratione anno 1036. reſtituit, Româ qvinqvennium antea reverſus & ab ejusdem *Henrici* Patre, Imperatore *Conrado Saliqvo*, multis muneribus honoratus rebusq; ſingulari artificio elaboratis, ut **palliis & veſtibus maximi pretii** donatus, id qvod patet ex epiſtola ad Ælnothum Metropolitanum & Alphricum Eboracenſem Epiſcopum ab ipſo Rege ſcripta & *Pontani Rer. Dan. hiſtoriæ lib. V. pag.* 158. inſertâ. Palliatum itaq; inceſſiſſe Regem *Cnutum* exinde qvoq; colligimus, cujus teſtis etiam eſt laudatus *Encomiaſtes Emmæ*, ejusdem Regis Reginæ: *Tandem*, inqvit, *à ſuis ei imminenti ſua porrigebatur oblatio non mediocris, nec qvæ aliqvo clauderetur in marſupio, ſed ingens allata eſt palleoli extento in gremio, qvam ipſe Rex ſuis manibus altari impoſuit, largitor hilaris.* Et more Imperatorum ſui temporis palliolatim ſe amictum præſumimus amaſſe, qvemadmodum *Eginardus* pag. 102. deſcribit *Carolum Magnum* ſeculo 8. imperantem *in feſtivitatibus veſte auro texta & fibulâ aureâ ſagum aſtringente*, & ſeculo nono *Annales Fuldenſes* anno 876. memorant, Carolum Calvum *de Italia in Galliam redeuntem novos & inſolitos habitus aſſumpſiſſe, omnem enim conſvetudinem Regum Francorum contemnens, Græcas Glorias optimas arbitrabatur.* Noſtratibus ſeculò decimò & undecimò tale corporis tegumentum *Pellz skickia* vocatum eſt, qvod interpres hiſtoriæ M. S. *Hallfrodi Vandrædaſcaldi* nobis explicuit trabeam ſeu pallium è panno pretioſo, vide *Antiq. Dan. Th. Bartholin.* lib. 2. cap. 10. qvod cymeliis, ibidem *Grippir* dictis, annumeratur. Pallium ergò, ut videtur in numis bene purpureum, ſegmentis rectis ei adtextis & aureis clavis, ſive σημείοις, in limbo acu pictis, ex utroq; humero eleganter fibulatum Cnutus geſtavit, tunicam indutus plicatam & paragaudiam h. e. loris aureis in circuitum prætextam & ad guttur usq; ornatam: Rectas qvippe purpureas antiqvi dixêre veſtes, qvæ ſegmenta purpurea recta haberent, uti ex pallio hoc regio in numis noſtris patet. *Feſtus* rectas vult, qvod in altitudinem & à ſtantibus texuntur, vetus enim fuit texturæ ratio ſurſum versùm texere, præter

Ægyp-

Ægyptios, qvi ex diametro oppoſitam texturæ formam ſequebantur ſedentes, à qvibus hodie nobis texendi modus per Græcos & Romanos &c. manet. Seculi igitur luxu creſcente, prorſus nulli dubitamus, qvin Rex hic, qvi relatu *Svenonis Agonis hiſt. compend. Reg. Dan. pag. 86. & 140. ab ultima Thyle usq; ad Græcorum fermè imperium, virtute multiplici, circumjacentia regna ſuo aggregavit imperio*, amictu partim imitatus fuerit ævi ſui Imperatores, qvem & Pontanus noſter, vendicato ſibi tanto Dominio, Imperatorem exſtitiſſe memorat. Patrios tamen mores juxta non adeo oblitus eſt, qvin ſuos ſibi qvoq; reſervaverit *Faldones* i. e. veſtes plicatas, qvas promiſcuè laneas *Helmoldus Chron. Slavor. pag. 2.* circa annum 1140. abolitas conqveritur. Caſſide itidem acuminata, ſingulari artificio, præprimis in primoribus numis elaborata & gemmis diſtinctâ Rex ille conſpicitur munitus. Qvemadmodum *Luitprandus* lib. 2. c. 7. diadema Imperatoris Conradi *gemmis pretioſiſſimis non ſolùm ornatum ſed etiam gravatum* deſcribit. Idem qvoq; tegmen capitis in numis videtur pyramidale, Orientalium Principum pileis haud diſſimile. *Andronicum* qvippe Orientis Imperatorem obſervat *Nicet. Choniates* p. 276. anno 1182. geſtaſſe pileum ad inſtar pyramidis deſinentem. Et qvid mirum, Orientis Imperatores ſic imitatos eſſe Præpotentem & Magnum illum Regem *Cnutum*, qvi regna Græcis ferè contermina poſſedit, totq; ab hiſtoriographis Anglicanis memoratur forti manu conqviſiviſſe regna, qvot in ſeptimana numerantur dies? Cùm & magnificum & pyramidale hoc capitis tegmen præfatus *Nicetas Choniates in Alex. Max.* confiteatur, Græcos à Barbaris ſive exteris mutuum habuiſſe, denominando id πῖλον βαρβαρικὸν, qvod ab *Acropolite* c. 11. eminenter vocatur πυραμὶς, nec ante Comnenorum ſobolem, qvæ anno 1059. in Oriente imperare cœpit, ejusmodi tegumenti capitis mentionem *Nicetas* injicit, in uſu ibi fuiſſe. Regium ergò rectiùs in numis hiſce cenſetur Anglo-Saxonum capitis tegumentum, qvod illis antiqvitus dictum eſt **Kynehelme** i. e. *Caſſis Regia*, qvippe vix alia Reges ſeptentrionales ante & aliqvandiu poſt acceptam Chriſtianam Religionem uſurpaſſe in capite Majeſtatis inſignia, ex hiſtoriis patriis ſatis diſpalleſcit, ubi eximia illa capitis tegmina ſæpius occurrunt, **Gylta Hialm** & **Hialm alfrydan**/ i. e. *caſſis aurata & valdè venuſta*, qvam & Reges Norvagiæ Haggæum Athelſtanum & S. Olaum Cnuti hujus σύγχρονον portaſſe *Sturleſonius Chron. Norvag. p. m. 84. & 301.* ennarrat, qvi pag. 487. nec ante annum 1049. in Dania & annum 1164. in Norvagia coronatos Reges memorat. In Anglia itaq; poſt Reges etiam coronatos ex appellatione Anglo-Saxonica coronam ſeu diadema Regium nomen etiam antiqvum **Cynehelme** obtinuiſſe nobis eſt perſvaſiſſimum: Nam etiamſi Regem *Guilhielmum Conqvæſtorem* anno 1067. aliosq; ante eum Angliæ Reges coronatos legimus, attamen de *Guilhielmo hoc in Chron. MSS. Anglo-Saxon.* qvæ in Bibliotheca Bodlejana Oxoniæ exſtant, narratur: *Thriva he bær his Cynhelme alc geare ſva oft he ves on Englalond, on Eaſtron he hine bær on Winceaſtre, on Pentecoſten on Weſtmunſtre, on Midvintre on Glauceaſtre.* „ h. e. Ter qvolibet anno, qvoties in Anglia erat, geſtavit ſuam **caſſidem** „ **Regiam**, in feſto Paſcatos portavit eam Winceſtriæ, in feſto Penteco- „ ſtes Weſtmonaſterii, adulta verò hyeme Gleauceſtriæ. Coronatum ita qvoq; fuiſſe *Cnutum Magnum* 1017. ex hiſtoriis Anglicis conſtat; At cùm ex annalibus iisdem illuceſcat, potentiſſimum hunc Regem, poſt expertam in litore Suthamptoniæ maris inobedientiam, nunqvam poſtea ſuſtinuiſſe aure-

am

am geſtare coronam, ſed eam capiti imaginis Chriſti crucifixi in fronte ſummi altaris in eccleſia cathedrali Wintoniæ impoſuiſſe, id qvod Chronographi anno 1028. ſeu 1029. factum eſſe ſupputant, haud incredibile eſt, eum, prout in numis apparet, poſtea voluiſſe obtinere antiqvum capitis tegumentum regium, *Kynhelme* vel Hialm allfrydan/ ut antea diximus, qvod pro temporis luxu vario ex ſe genuit varia capitis tegmina illuſtria, qvemadmodum in numis ſeqventibus videre eſt. Nimis itaq; ſerò *Radolphus de Diceto*, ſub finem ſeculi XII. & initium ſeculi XIII. vivens, Regibus Angliæ coronas & *Johannes Brompton* anno 1189. primos coronationis ritus attribuerunt, cùm tamen hic in numis Cnutinis Reges coronâ exornatos etiam conſpiciamus, qvam *Matth. Pariſienſis* ad annum 1247. p. 738. *coronulam auream, vulgariter* Garlandam, dictam vult, circulus aureus qvæ liliatus fuit, non magni ponderis, qvemadmodum numi prædicti hic ſatis produnt. Et qvàm elegantem & auguſtioris formæ coronam, operis qvæ fuit Archaici in flores diducta & ocellaturâ gemmarum illuſtris, nobis in *Vita Ælfredi Magni l. 3. c. 158. Joh. Spelmannus* exhibet, qva coronabantur Reges Ælfredus & Edvardus anteceſſores Cnutorum potentiſſimi. Nec minus vero conſentaneum, *Cnutum Grandævum*, gentilitatis nomen *Cnut* perpetuò retinentem, qvi aliàs *Lambricht baptizatus* erat, (qvemadmodum Scholiaſtes antiqvus *hiſtoriæ Eccleſ. Ad. Bremenſis, edit. Andr. Vellejo, lib. 2. cap. 36.* obſervat) mores patrios adamaſſe, nec ſibi comam vel barbam tonderi, potentiorem jam factum, permiſiſſe mediis regni annis, cùm & *Svenonem* ſingulariter barbatum habuerit patrem exinde, Tiufve-Skæg h. e. admorſæ, ſeu furcatæ, barbæ denominatum. Præterea capitis & comæ inprimis cultui ſeptentrionales Principes & Primores maximè intentos fuiſſe hiſtoriæ & poëmata patria ubiq; dilaudant. Tritum eſt illud in ſeptentrione noſtro de *Haraldo* Rege Norvagiæ cognomine Haarfager/ qvod à capillis pulcerrimis ipſi adhæſit, narrantq; hiſtoriam *Chron. Norvag.* in ejus vita, qvomodo cognomine illo donatus ſit, nimirum eum capillos diu nexos ac implicatos ſub tegmine capitis tenuiſſe, dum hoſtibus debellandis intentus fuerat, illis tandem victis, crines ſolviſſe, lavari curaſſe & explicaſſe, tuncq; pulcerrimos & nitidos omnibus apparuiſſe: Heroes enim noſtrates ad prælium qvondam capillis ſuis comtiſſimis exeuntes varia generis tegmina capitis induebant, ne pulvere vel pluviis circa humeros fluitantes corrumperentur nec impedimento eſſent. Ita Rex *Cnutus*, Heros bellicoſiſſimus, in numis hiſce capillos ſub galea Regia qvoq; in nodum rotundum ſummâ curâ ad cervicem religatos voluit, ut ab injuria aëris tutos & tectos ſervaret in theca, & more patrio feſtis deinde diebus elegantiores exporrigerentur, qvemadmodum ex more hodierno crines noſtros adſcititiosq; thecis inſerimus, ut ad cervices dependeant, & faſtum aliqvem præbeant ſingularem. Neq; enim diffuſos capillos per ſcapulas Germani principiò ſinebant, ſed plerumq; vinctos & renodes habebant, qvòd itidem hæc coma in bellis aptior hoſtibus terrorem aliqvem incuteret, ſeq; ipſos ſine impedimento meliùs conſtitutos viderent. Unde *Seneca Ep. ult. Qvid capillum ingenti diligentiâ colis? cùm illum vel effuderis more Parthorum, vel Germanorum more vinxeris.* Svevos, Germanorum ſoboles, *Tacit. in Germ. cap. 38.* ſæpe in ipſo ſolo vertice religare capillum & nodo conſtringere, Principes & ornatiorem habere, meminit. Nodus igitur primus in vertice erat, qvamdiu veteres nudo capite in prælia deſcendebant. *Svidas*, vel is, qvem compilavit, vocat πλεξίδιον i. e. capil-

lum in nodum coactum, vel implexum comæ. Postqvam verò galeis uti didicerunt, aliisq; tegminibus, nodus capillorum ad cervices erat. Eodem qvoq; modo fortissimus Rex *Cnutus*, qvi bellicis titulis tam latè inclaruit & in *Knytlingorum historia* M. S. cap. 20. describitur, nutrivisse capillos decoros & prolixos, comâ ad cervicem renodi incedere amavit. Multis igitur nodis, multis vinculis, capilli, ne fluitarent, colligebantur: Nam & in collo, & cervicibus & vertice capitis unâ solâ fasciâ colligabantur. Sic in more positum fuisse Danis antiqvissimis ex carmine Starcatheri apud *Saxonem Grammaticum lib.*. VI. *p.* 119. indubitanter colligimus, qvamvis ibidem *renodare capillum* aliter intellexerit, qvàm Scribtores Romani, qvi *renodem capillum* dixerunt eum, qvem nodis illigabant, Starcatherus verò, seu potius Saxo, *renodare* dixit nodis eximere comam:

Non ut nunc qvidam, qvibus insatiata cupido,
Ingluvie cæca visum rationis inumbrat.
Horum aliqvis vestis operosæ tegmine cultus
Molliter alipedem flectit sparsamq; renodat
Cæsariem & laxos patitur fluitare capillos.

Stephanius hìc in Saxonem nihil commentatus est, cùm tamen vox *renodat* peculiaris sit sensûs & significationis *Saxoni*: Nam *renodis* capillus aliàs Scribtoribus est in nodum retrò collectus, unde *renodare capillum* esset in nodum retrò colligere, sed *Saxo*, qvantum rectè percipere possumus, *renodare* dixit, nodis eximere capillum, ut fluat; Qvod verò Svevis aliisq; Germanis *Tacitus* in capillis revinciendis tribuit, hoc qvoq; Danis virile fuit & fortis animi index. De more comam ad cervices religandi egregium qvid habet *Simeon Dunelmensis* p. 80. dum ait: *Uchtredum Northumbriæ Comitem post fugatum & deletum exercitum Scoticum Malcolmi Regis, interfectorum capita elegantiora, crinibus, sicut tunc temporis mos erat, perplexis, feciſſe Dunelmum transportari, eaq; à qvatuor mulieribus perlota, per circuitum murorum in stipitibus præfigi.* Ex qvibus facilè colligi potest mulieres plexûs illos solvisse, qvos cæsariei suæ dederant, prius in bellum euntes, eosq; explicatos laviſſe, rutilasse, per colla sparsisse & fudisse, & ideò palis suffixa capita, ut ex eo nitore de præstantia interfectorum & nobilitate maxima vulgus judicaret victoremq; extolleret. Imberbis verò Rex hic in numis ubiq; conspicitur procusus, non qvòd adeò juvenis toto dominatûs tempore exstiterit, cùm per 20 annos (vel ut *historia Knytlingorum* M. S. supputat, 24. annos) in Anglia rerum summâ potitus fuerit, nec qvòd imbarbescentem, penitus raso mento & absq; barbitio, eum incedere voluisse, credamus, cùm Commentatores ad vitam Ælfredi *J. Spelmanni* qvoq; l. c. Tab. V. & senem & juvenem *Cnutum* plenè barbatos in numis producant, sed ex genio sculptorum & Monetariorum hoc factum putemus, qvos imberbes esse optarunt. Qvemadmodum in numis Romanis, præsertim *Hadriani* observabis, qvi primus inter Imperatores barbam alere cœpit, nec Tribunos aut comites alios, nisi barbatos, voluit, vix tamen in numismatis ejus eum barbatum conspicies, qvòd Monetarii & sculptores illud indecorum & contra morem Augustéi ævi esse judicaverint: Et idem mos aliqvot post secula adeo invaluisse videtur, ut pictores & sculptores credere exinde juberent Imperatores & Reges, esse rusticum, horridum & barbarum minusq; Majestatis in vultu ipsorum apparere, si cum barba pingeren-

rentur aut ſculperentur, artifices enim hi nil in arte ſua decorum judicaverunt, nec etiamnum de ſe prædicabunt, niſi qvòd ex priſco Romano effictum. Qvo etiam factum eſſe creditur, qvòd Rex noſtras non tantùm imberbis, ſed etiam tandem aliqvando raſo capillitio in publicum prodierit, prout in numis ſeqventibus perſpicuè ſatis videbis, more forſan ut circa eadem tempora fuit Normannorum, prout *Henricus de Knyghton l. 2. c. 1.* ex antiqvis monumentis attulit, qvòd Gvilhielmi Conqvæſtoris milites anno 1066. in Angliam ex Normania venientes Presbyteris ſimiliores eſſent, qvam militibus, *pro eo*, inqvit, *qvòd totam faciem cum utroq; labio haberent raſam.* Tandem in numis his ad Regii vultus dextrum ſeſe exerit ſplendidum illud geſtamen, ſceptrum liligerum. Qva verò ex materia ſceptra *Cnuti* conſtabant, dictu difficile videtur. Sceptrum illud, qvo *Carolus Magnus* ſeculo 8. uſus eſſe fertur, conflatum ex argento leviter inaurato aſſerit *Wagenſeilius de off. cap.* 10. v. 3., at *Marq. Freherus* Φιλοπονημ. *de ſtatura Carol. Magn. p. 631.* enarrat, *Carolum* hunc feſtis diebus ſolenniter geſtaſſe ſceptrum aureum. Nihil itaq; obſtare videtur, qvo minus qvoq; ſtatuamus, Trionum Monarcham *Cnutum Magnum*, tot poſt ſecula, luxu mundi inprimis increſcente, geſtamen de rutilante metallo manu ſua verſaſſe, an verò idem ſeculi prædicti σκηπτέχων Regum ſceptra, qvæ relatu *Freheri* prælonga & ſtaturæ geſtantium ferè paria plerumq; erant, longitudine ſua æqvaverit, dijudicatu difficilius. Sceptra enim illa longa cum Aqvila apud Romanos, cum lilio apud Conſtantinopolitanos & Francos aliosq; rariſſimè viſuntur. Et conſtat ex numis ſeqventium ſeculorum Regia hæc geſtamina deveniſſe breviora, & rara qvoq; cenſeri numismata Francorum Regum, *Caroli Pulcri* & *Philippi Valeſii*, Gallis *Royals* vocata, in qvibus ſub initio ſeculi 14. liligero & prælongo ſceptro, ſtaturæ ipſorum haud impari, Reges hi procuſi conſpiciuntur, qvemadmodum *M. le Blanc des Monnoyes de France pag. 205. & 206.* numos eosdem aureos affert. Deniq; ad ſignificandas res varias, animis imperantium, dum ante oculos perpetuò verſabantur hæc illuſtria geſtamina, eò validius imprimendas, variè exornata fuêre ſceptra: Primum, qvod in numis his apparet, eſt liligerum, eodem modo, qvo *Stephanus Baluzius* in *Tab. & nota. ad capit. Reg. Franc. tom. II.* annotat Reges Francorum hoc illuſtre virtutis pignus in lilii formam deſinens manu verſaſſe. Româ, creditur, artificem hoc ornamenti genus in Galliam adduxiſſe, qvippe lilium ſeu flos fermè à primordiis imperii Romani in numismatis ſingulare ſpei reperitur eſſe hieroglyphicum. Spei typus illic manu lilium tenebat, illic & flos aut lilium ſuper qvadrigas *Titi* triumfantis collocabatur, ad denotandam Reip. ſpem in armis *Titi Veſpaſiani* victricibus poſitam fuiſſe, & exinde qvoq; manus Francorum Regis, ad inſtar typi publicæ ſpei, liliis repletas in numis ſeculi 12. & 13. æri inciſis *M. le Blanc. pag. 150. 168. 180.* nobis offert. Angli itaq; ex eodem more Regum ſceptra voluerunt adornata, nec illi ſoli, ſed & Germani tandem Imperatorum ſceptris in apice lilii appoſuerunt figuram; nam qvamvis Dnus. *Wagenſeilius* l. c. *Caroli Magni* ſceptrum, prout dicit, *paupertinum*, *incomptumq;* & *cui ſolum argentum leviter inauratum eſt*, *cujus ſummitas glandem qverneam foliis cinctam repræſentat*, graphicè admodum deſcribat, ſponte tamen confitetur ex libro rariſſimo *Hiſtoriæ Conſtantienſis*, Auguſtum illud imperii decus tandem liliatum exſtitiſſe, imò & lilii voce καὶ ἐξοχὴν tempore Imperatoris Sigismundi nuncupatum. Alterum qvod in numismatibus Re-

gis *Cnuti Grandævi* eminet geſtamen & globulis tribus præmunitum conſpicitur, diverſum certè eſt à priori, qvamvis eadem videatur verſari manu, qvâ prius & *Bromptonus* æqve ac *Walſinghamus* tradant, antiqvos Anglorum Reges lævâ tantùm geſtaſſe virgam juſtitiæ, in coronatione *Richardi I.* ab illis primùm obſervatam.

Pictoribus enim qvemadmodum & Sculptoribus qvidlibet audendi æqvam hic fuiſſe poteſtatem, credimus, qvo factum eſt, qvòd Regis dextra modò ſceptro, modò baculo hoc, exornata conſpiciatur, ideoq; nec dubitandum, qvin priſco more, qvo magni illi Principes mundi ſunt Reges creati, Rex noſtras fuerit conſecratus. Laudatus *Baluzius Tom. II. pag. 1267.* Carolum Calvum ſeculo nono imperantem in ſede Regis exhibet, lævâ ſimplicem tenentem baculum, qvi ſuperius in globulum, inferius verò in acumen terminatur, & Lotharius in ſolio ibidem viſitur, ſed dextrâ baculo longo innixâ, ejusdem penè formæ cum illo *Caroli Calvi.* Hinc & ſplendidum illud Regum inſigne utraq; manu portatum eſſe obſervamus, in qvem verò finem, ſatis ſolidè nobis detexit *Menardus in ordine ad coronandum Regem* edito, ubi ad baculum Regi Francorum dandum hæc inaugurationis adhibita ſunt verba: *Accipe baculum ſacri Regiminis ſignum;* & in codice M. S. Senonenſis eccleſiæ, referente *du Fresne*, ſic jacent verba: *Sub hoc baculo commendamus tibi gubernandum Regnum Francorum, ut populum juſtè regas & eccleſias ſanctorum bene diſponas.* Eodem more in numis hiſce illo *Cnuti Magni* baculo, ter in apice conglobatò, trini regiminis ſacri, præcipuè in Dania, Anglia & Norvagia, curam ſibi commendatam donotari bona cum venia antiqvariorum cenſemus, qvi è Nervæ numis triplicem globum Africam, Aſiam & Europam ſignificare commemorant. v. *Gretſer de S. cruce. tom. I. 2. cap. 44.* & Becmann. *de notit. dig. pag. 105.* Huic accedit, qvòd ſæpe laudati Commentatores ad Ælfredum *J. Spelmanni* & numos Saxonum baculum hunc Regium eſſe formaturæ pedi Archiepiſcopalis, denotareq; geſtamen ſupremi Eccleſiæ Gubernatoris, utpote qvi non ab hominibus ſed à Chriſto crucifixo ſolùm autoritatem ſuam acceperat, ſentiant. Fuit enim *Cnutus* ille grandævus Rex magnus, & fortitudine & ſanctitate inſtructiſſimus, cui curæ & cordi fuit non minus religionem qvàm regna proferre. Templa, cœnobia is in Dania, Anglia & alibi terrarum partim ipſe exſtrui curavit, partim ſumtibus verè Regiis locupletavit, cujus rei teſtis etiam in Gallia fuit Epiſcopus Carnotenſis, nomine Fulbertus, qvi in Ep. 97. fol. 92. ad hunc eccleſiæ Dei inſtauratorem ſic anno 1032. inter alia ſcribit: *Qvando munus tuum nobis oblatum vidimus, ſagacitatem tuam ac religionem paritur admirati ſumus. Religionem verò, qvum te, qvem Paganorum Principem audiamus, non modò Chriſtianum, verùm etiam erga eccleſiæ Dei ſervos benigniſſimum largitorem agnoſcimus.* Et *Autor flor. hiſtoriar. Angl.* ſub anno 1025. *Cnutum Grandævum* his laudibus extollit: *Iſte Cnuto Rex vetus monaſterium Wintonienſis civitatis tanta munificentiâ decoravit, ut aurum & argentum ſplendorq; gemmarum animos intuentium terreret advenarum.* Qvibus addunt *annales Wintonienſes Angliæ Sacræ inſerti: & dedit Eccleſiæ Wintonienſi candelabrum argenteum cum VI. brachiis, & II. ſigna.* Romam anno 1030. ſeu 1031. per Flandriam & Gallias iter pedibus faciens omnes in via malas exactiones, qvæ telonia transverſa vocantur, datâ pecuniâ ſuâ diminui fecit, & hoſpitium ibidem inſtituit, qvo omnes Danicâ lingvâ loqventes noctu exciperentur, *vid. Hiſt. Island. M. S. de ſobole Cnutina* Knytlinga-Saga *dictam cap. 17.*

Ex

Ex inſcribtionibus CNVT REX AN. ANG. vel ANGLORVM, qvi in numis his exſtant, evidenter apparet, qvod omnes in Angliâ ſint cuſi, cùm tantùm CNVT REX ANGLORVM præferant, qvamvis & Daniæ & Norvagiæ aliorumq; populorum ille Rex fuerit. Qvæ nos admonere, imò perſvadere volunt, nondum eo tempore nec in Dania, nec in Norvagia, cæterisq; ſub imperio ejusdem Regis regionibus rem monetariam adeò viguiſſe, ut monetæ indigenæ, qvæ certò perpaucæ fuerunt, commerciis noſtris ſufficere poſſent, cùm etiam ex rerum geſtarum monumentis patriis ſatis clarè conſtet, qvòd longo tempore in Dania numis Anglicis ſubditi ſint uſi, ut etiam poſtqvam proprios numos procudere cœperunt, Anglicani unà valuerint. Qvæ cauſa etiam fuit, cur Reges Daniæ Norvagiæq; præcipuis regnorum civitatibus, at diu pòſt, jus cudendi monetas conceſſerint, nimirum ut numi peregrini tandem ceſſarent & rejicerentur, poſtqvam indigenarum ſeges ubiq; ſuccrevit. *Statuta* enim *convivii corporis Chriſti in nomarchia auſtrali Laalandiæ*, qvæ ſub anno 1388. in membrana conſcripta adhuc in archivis ibi aſſervantur, etiam tradunt, groſſos (Angli vocant *Groats*, teſte *Hardingo*, *Edvardi IV.* tempore primum cuſos) pro emendis ſolutos fuiſſe, item ſolidos Sterlingorum. Et præter hos etiam in Dania alii peregrinæ monetæ & nominis valuerunt, ut, Tornacenſes Gallici, qvos Strand-Friſii Ducibus Slesvigenſibus, pro tributo annuo circa medium ſeculi XIII. ſolvebant, qvemadmodum *Hvitfeldius* noſtras *Chron. Dan.* pag. 233. ex antiqvitatibus refert qvemvis Tornacenſem novum, *Hvitfeldio* eſt en nye Tornow/valuiſſe denarios Danicos qvinq;. Hanc ob cauſam etiam tales æqvè ac Anglicanos in regno Daniæ ingenti copia effoſſos vidimus. Rarò tamen in tanta numorum congerie numi Cnutini apparent ex moneta indigena, dari autem qvosdam, qvi ſub *Cnuto Magno*, aut ejusdem filio, Danicæ incudis & ſub Olao Sancto, Norvagiæ Rege, qvi Norvagicæ ſunt & ante annum 1029. cuſi, nulli dubitamus, prout ex inſcribtionibus eorundem hìc in proœmio adductis illuceſcit, & hoc ita ſe habere, antiqvarii ſeptentrionis noſtri facile adſtipulabuntur. Præterea deprompſit haud ita pridem *Elias Brennerus*, Aſſeſſor Collegii Antiqvitatum Stockholmiæ, ex penu ſuo numos tales, laudatq; eosdem in priſtinum monetæ noſtratis nitorem, epiſtolâ d. 7. Aug. anno 1705. datâ ad D. O. Sperlingium. Primi hi, qvod ſciamus, fuerunt in Dania denarii uſuales unumq;, ut antea calculum Anglicorum ſubduximus, pretio aliqvantum excediſſe duos aſſes argenteos aut ſchillingos hodiernos Lubecenſes argenti examinati. Ἰσότιμοι denarii noſtrates cum Anglicanis certè tunc erant, ut juſta inter Danos Anglosq; exercerentur commercia, qvæ mutua & maxima iis tunc temporis interceſſêre. Credere tamen perſvademur in Anglia ſedem principalem monetæ, Rege hoc imperante, fuiſſe, temporeq; ipſius Regis ab eo Monetarios in Dania proprios conſtitutos, qvi monetam Danicam percuſſerint, ex Anglia illuc delatos & Roeskildiæ non minus atq; Lundis Scanorum primos, de qvorum officinis & numismatis *Saxo Gram. hiſt. Dan. libr. 12. pag. 216.* ferè ſub anno 1080. tempore *Cnuti Sancti* ſeu *IIII. & libr. 14. pag. 281.* circa annum 1157. regnante *Waldemaro I.* haud obſcura produxit teſtimonia: Et privilegium M. S. monaſterio *B. Mariæ* Virginis de Eſrom, ordinis Ciſtertienſis, à *Waldemaro* eodem de villa Steinholt datum, luculentur admodum mentionem injicit *Stubæ* (i. e. hypocauſti) *Gerhardi Monetarii*, in qvo Roeskildiæ id conceſſum fuit.

Sed manum jam de tabula hac, vertimus hos numos & in averſa parte omnium deprehendimus crucem, veræ religionis Chriſtianæ ſignum, Angli averſum horum numorum latus adhuc vocant *the Krosſide* i. e. crucis latus. Sed qvia crux hæc numos in qvatuor partes æqvales dividit, non minus rectè ii cenſere videntur, qvi ſtatuunt crucem hanc ſimul eſſe ſignum juſtæ diviſionis numi. Iisdem ſic aſſentitur *Hovedenus*: *Ante ſua tempora* (putat Henrici I.) *cum obolum vel qvadrantem vellent, denarium in binas vel qvatuor partes diruperunt.* Nam Henricus ejus nominis in Anglia primus Rex, primus qvoq; imperavit obolos & qvadrantes fieri rotundos. Et *Edmundus Gibſon* numos ejusmodi fractos, ad *Cambdenum* p. 137. refert in hunc usq; diem dici *brokenmoney*.

Averſas horum numorum facies ſi penitius inſpexerimus,

In primi numi averſâ exſtare legimus:

† ASLA. MO. LINCOLN. h. e. ASLA*cus*, qvem ita appellatum fuiſſe, alius numus TAB. hic XXV. ſub No. 41. illuſtrat, MO*netarius* LINCOLN*ienſis*.

Lincolne qvippe provincia & in ea urbs una eſt ex 28. nobiliſſimis, qvibus regio Britannica, prout *Girardus Cornubienſis de geſtis Britonum* refert *lib. 1. c. 8.* qvondam fuit inſignita, qvæ priſco ſermone vocata *Caer Ludecote* i. e. urbs Lincolnia, qvemadmodum in numi ſeqventis averſa urbs Lunde, qvæ *Tacito lib. XIV. Annal. c. 33. Londinum* eſt *copiâ negotiatorum maximè celebre*, vetuſtâ Britonum gentilium lingvâ *Caer Leud*, h. e. urbs Londinum, eidem *Girardo* in *hiſtoria majori Winton. Th. Rudborne* lib. I. c. 2. dictum eſt. Apud hiſtoricos verò Anglicanos ſeculis ſeqventibus *Lundonia* urbs hæc appellata eſt. Nulli dubitamus, qvin merè Danicum & Celticum ſit nomen: Danis enim Lund ſignificat *nemus*, & Angli noſtrates nemora præprimis antiqvitùs eligebant, in qvibus domicilia figerent, qvod etiam ante Anglorum adventum veteres Britones obſervarunt, ut in locis nemoroſis & ſilveſtribus ſe munirent contra hoſtium inſultùs, ſicut ex *J. Cæſare*, qvi primus Romanorum Britanniam ingreſſus eſt, *lib. V. pag. m. 163.* conſtat. Qvibus ſic aſſentitur *Strabo*: *Urbium loco ipſis ſunt nemora. Arboribus enim dejectis, ubi amplum circulum ſepierunt, ipſi caſas ibidem ſibi ponunt.* Qvomodo Anglis nomen urbis *a Towne* in hunc usq; diem manſit, qvod Belgis proprie eſt ſepes, *een Tuyn*, improprie verò hortus. Hinc Londinum, qvod nunc appellatur, autoribus, numisq; his teſtibus, nil niſi nemus qvoddam initiò fuiſſe patet, ſepe præmunitum, & LVND propterea dictum, & ON LVNDE, in nemore circumſepito, καὶ ἐξοχὴν ſignificare manifeſtum eſſe putamus, adeò ut rectiùs LVNDEN ſcribi deberet, qvàm LONDON aut *Londinum*, ad qvam pronunciationem tempora, qvæ *Cnutum Magnum* præceſſerunt & diu ſecuta ſunt, indigenas deduxerunt. Dani enim qvoq; & Germani non aliter hodienum pronunciant, qvàm Lunden & Lund / qvomodo & Lund i Skaane (i. e. LundæScanorum,) ſuum adeptum eſſe nomen credimus.

In Secundi adverſa videmus:

† LEOFVIG ON LVNDE. i. e. LEOFVI*cus Lundoniæ ſeu Londini, ut* Tacito *dicitur*.

In tertii parte poſtica:

† RICHULF ON NORDF. h. e. RICHULF*us in provincia* NORD-*Folck*.

In

In qvarti numi poſtico:

† HILDOLF. MO. E. O. ER. h. e. HILDOLF*us Monetarius*, E*orl* O*n* ER*efort. Comes de Herefort erit*, additâ aſpiratione literæ H.

In qvinti latere averſo lege:

† VITHRIN. M. E. OF. RY. i. e. WITHRIN*us Monetarius*, E*orl*, fortè OF RY*chvin. Erit Comes Rychvinenſis.*

Reges enim Septentrionis noſtri, qvemadmodum & Angliæ, Comites, qvos ut fiduciarios ſub honoris titulo Jarler ſibi conſtituerunt, qvorum præclara mentio fit in hiſtoriis patriis, præſertim Norvagicis, titulum eundem poſtea Eorl/ jam *Earl*, hinc Anglos ſibi à Danis reſervaſſe, *Henricus Spelmannus* confitetur in Gloſſario ſuo pag. 242. Hos Comites aut Duces provinciarum conſtitutos etiam curam monetæ ſub nomine Regis geſſiſſe ex horum numorum averſa parte ſatis perſpicimus. Comitis titulus autem vix ante Regis Ethelredi tempora in chartis Regum ſubſcribtus reperitur, ubi poſt Abbates comites tres ſubſcribſiſſe legimus, ut: Ego *Elfric* † *Comes*. Ego *Elfhelm* † *Comes*. Ego *Leofwine* † *Comes*, Titulo Eorli nondum recepto Anglicè, niſi rarò; & qvidem Athelſtani tempore unus tantùm Angliæ præfectus legitur, cujus nomen & titulum: ODO. MON. ER L. I. A. in S. Edmundi numo commentatores ad Ælfredum *Joh. Spelmanni* TAB. III. fig. 27. produxerunt, ex qvibus tutò colligere licet Eorlum hunc cæterosq; ſeqventes ſimul Monetam rexiſſe, perperam enim hoc numisma à Commentatoribus iſtis eſt annotatum. Poſtea verò freqventiores ſunt facti & Godwinus Earl Wulfnoti filius facile inter primos ab anno 1008. commemorabitur, *Chronico Anglo-Saxonico* eum primùm nominante, poſt qvem ſub Rege *Cnuto Magno* multi prodiêrunt Earli in eodem Chronico, qvemadmodum ex ipſius hic percipimus numis, ita ut *Cnutus Magnus* eos Angliæ freqventiores dederit, qvam ante hac & ex Borea noſtro Earlorum titulus in Angliam migraverit, ſive Athelſtanum ſive *Cnutum M.* autorem ſtatuamus. Ante qvæ tempora qvi Latinis Comes non niſi Ealderman Anglis audivit. His igitur in numis Anglicanis in averſa exemplis manifeſtum redditur Eorlis rem monetariam commendatam fuiſſe, ideo ſua eos nomina ſic expreſſiſſe, prout ſuperius interpretati ſumus, facilemq; viam monſtraſſe ſperamus ad numos Dano-Anglicos plerosq; in ſua luce conſtituendos. Eodem modo & Comites ſub imperio Romano publici negotii causâ exorti ſunt: Primi ordinis Comites dicti fuerunt *Sacrarum Largitionum*, qvi, referente ex Caſſiodoro *Henrico Spelmanno pag. 175. theſauros, vectigalia imperii & cudendam monetam curabant.* Rem luculenter admodum illuſtrat antiqviſſimum Imperatoris *Ludovici Bom* ſtatutum, qvod Attigni anno 823. ſancitum *M. le Blanc des Monnoyes de France pag.* 105. laudat, ubi verba ſic jacent: *Sicut in capitulis, qvæ de hac re illis Comitibus dedimus, in qvorum miniſteriis Moneta percutitur, conſtitutum eſt.* Itaq; Monetarii titulus, qvi Comitibus in numis noſtris apponitur, non monetæ cuſoris officium denotat, ſed Dominum monetæ, Galli dixerunt *Maiſtre de la Monnoye*, qvemadmodum relatu Lucæ Dachæri ſæpe laudatus *le Blanc* pag. 79. *Gofninum* fratrem Præfecti arcis Tornacenſis Monetarium vocat, qvia erat Dominus Monetæ Tornacenſis. Nomina qvippe Comitum, qvi cenſores & curatores monetarii erant, adjiciebantur, ut caverent populo de bonitate, pondere & valore numi, jure verò numos cudendi Domino cujuscunq; loci reſervato.

to. *Regibus noſtris*, inqviunt Commentatores ad Ælfredum *J. Spelmanni & ad Tab. II. de numis Saxonum plures erant ædes monetariæ ſicut & nonnullis Magnatum, præcipuè Epiſcoporum in urbibus illuſtrioribus flandi & ferundi numos privilegium indultum erat.* Sunt, qvi exinde in ea perſiſtunt ſententia, per nomen viri in averſa numorum parte & ſeqventes literas M. O. E. cum nomine loci denotari Monetarium cujusdam Epiſcopi, cui jus eo in loco indultum erat numos cudendi, & literâ E. omiſſâ, Regis vel Magnatis monetam ſeu Monetarium indigitari, qvi monetæ jus habebat. Sed qvia ex præcedentibus ſatis ſuperq; illuceſcit, qvibus monetæ cura demandata & concredita erat, & per qvos Dominium hoc Imperatores & Reges voluerunt exerceri, nulli dubitamus, qvin eodem modo in Anglia hoc regale fuerit exercitum, cùm vi antiqvi juris Regii Angliæ Reges cudendæ monetæ materiam, formam, modum & pretium pro arbitrio variare *Bath. in Elench. mot. Angl. lib. 1. pag. 4.* narret. & *Brompton*us inter alias hanc legem celeberrimi Regis Athelſtani, qvi in Anglia ab anno 922. ad gubernacula ſedit, afferat p. 843. *Placuit nobis, ut una moneta ſit in toto Regni imperio, ut nullus monetet extra portum.* Nec monetæ cuſoris eſt cavere de bonitate numismatis, qvod viris monetalibus incumbit, in qvem finem numos eorum nominibus inſignitos eſſe nobis perſvaſiſſimum eſt: Et ſi Epiſcopi numismata ſua de his literis agnoſci voluerint, qvidni & Reges, qvi jus monetæ eminentiori poſſidebant modo, qvod tamen nullibi, qvod ſciamus, invenitur. Tales monetæ cuſtodes Reges Daniæ poſtea habuiſſe in Dania, *Matth. Pariſienſis p. 59.* nobis aperuit, ibi occurrit *Anketillus* Anglus Aurifaber, qvi, prout diximus, vocatus ex Anglia ad Danorum Regem contendit, *ubi per ſeptennium moram continuans Regiis præerat operibus aurifabrilibus, Monetæ cuſtos & ſummus Trapezita.* Qvantum ex annalibus illis colligi poteſt, Nicolai Regis Daniæ temporibus & ab anno 1123. circiter Anketillus in Dania monetam Regiam curavit, qvando *Gaufridus Abbas* monaſterii *S. Albani* fuit. Is præfuit monaſterio dicto ab anno 1119. ad annum usq; 1146., *Anketillus* autem ex Dania reverſus in hoc monaſterio monachus feretrum *Albani* arte ſua mirificè illic exornavit, qvod ibidem legi poteſt. Tacemus hic antiqvioris monetæ Danicæ Curatores, ſeu Cuſtodes, *Godvinum* ſcilicet & *Ketilum* & *Thorbvernum*, horum primum in regno Daniæ virum monetalem fuiſſe ex numo Regis Svenonis, filii Eſtrithæ, TAB. hic XXV. No. 45. diſcimus, ſecundum & tertium ex numismatis Svenonis Graatehede TAB. eadem No. 47. &c. Et ne qvid hìc dicamus de monetis Regis Daniæ Olai, qvem annales noſtri **Hunger** i. e. Famelicum, ab inedia ejusdem temporis, qvo per dicennium rexit, appellant, anno M. C. percuſſis, qvas deſcribtas hic vide ad numum Valdemari II. TAB. XXVIII. No. 43., ex qvibus certò certiùs conſtabit Reges Daniæ etiam inde à Cnuto Magno & ante dilaudatum Nicolaum, Regem Daniæ, ſuas habuiſſe conſtitutas monetas numismatisq; Regii cuſtodes, id qvod numus *Cnuti Magni*, vel *Cnuti III.*, in cujus numi antica, hic in proœmio adductâ, REX DÆNORUM inſcribitur, regiò titulò *Anglorum*, ut in Anglicis numis *Danorum*, ob ſpatii anguſtiam fortean hic omiſſò, maximè evincit.

TAB. XXVI.

No. 6. †. CNVT REX. *Regis vultus, caput mitrâ indutum, qvam ambit diadema, tæniis ad cervices hinc inde dependentibus, pallio qvoq; amictus Rex ſceptrum, dextrâ tenet.*

†. LANDFER. MONET. *crux ſolita.* *No. 7.*

TAB. XXVI.

No. 7.†. CNVT RECX. *Idem Regis vultus.*
†. BLACANAN ON S. N. *Eadem crux.*

No. 8. †. CN——EX. *Rex itidem ſceptrigerus, mitratus & palliatus.*
†. LIFV--ON OXFRD. *crux ſimplicior.*

No. 9. †. CNVT RECX A. *Regis idem vultus.*
†. ELFVARD ON HEST. *crux eadem.*

Priores duo planè ejusdem ex antica parte videntur eſſe typi, in qvibus vultus mitram indutus eſt regiam, cui circumdatum eſt diadema pretioſum auró & unionibus, ut apparet, venuſtè diſtinctum. *Paſchalius coronarum lib. 9. pag. 622.* hunc ornatum capitis regium inde vocitat diadema galeatum ſive galeam diadematam, utpote diademate qvodam redimitum. Majoribus noſtris ſeculò eodem aliqvod capitis ſeu frontis ornamentum ſeu ligamen vocatum eſt *Gullhlad*, paſſimq; circa tempora eadem in hiſtoriis Islandicis hæc locutio obvia: *Hann hæfdi Gullhlad um enni.* i. e. Aureâ faſciâ frontali evinctus erat. „ Ex auro qvippe redimiculum fuit acupictum, qvo Septentrionis „ Magnates capita olim cingebant, prout nobiliſſimus Antiqvarius noſtras *A. Magnæus* id interpretatur. Tortilis fuit illa faſcia, qva & Perſarum Reges tiaram ſeu pileum cingebant, eodem modo, qvo & Alexander cauſiæ i. e. pileo Macedonico cidarim ſeu faſciam, in eorum mores deflectens, circumponebat. Ejusdem formæ in numis noſtris eſt mitra ſeu galea, qvâ Orientis Imperatores caput ſuum exornari gaviſi ſunt, appellata σκιάδιον, i. e. umbella, qvia umbraculo erat præmunita, ut faciem ab injuria aëris ſoliſq; calore tutam ſervaret. Meminimus ex *Annalibus Fuldenſ.* anno 876. *Carolum Calvum* Francorum Imperatorem, *omnem conſvetudinem Regni Francorum contemnentem optimas arbitratum eſſe Græcas glorias*, qvas *Cnutum Magnum* ſeculò ſuò etiam adamaſſe ex numulis noſtris ſatis diſpaleſcit, cùm & *Adamus Bremenſ. lib. 3. cap. 33.* in apricum proferat Imperatorem Occidentis, *Henricum Nigrum*, *Cnuti Magni* σύγγεονον & carum confœderatum *Græcos & habitu & moribus imitatum eſſe ſimiliaq; Regi Franciæ & aliis mandaſſe*, more Imperatoris, ut videtur, Lotharii, cujus capiti *Sugerus* in Lud. VI. memorat, *Frigium, ornamentum Imperiale, inſtar galeæ circulo aureo concinnatum, impoſitum fuiſſe.* Ex utraq; parte diadematis mitræq; ad cervices dependent tæniæ ſuperbæ, qvemadmodum Occidentis Imperator *Mich. Palæologus* Conſtantinopoli, aliiq; Orientis magni Principes in numis diademati cum tæniis margaritiferis conſpiciuntur. Capitis regium videtur hoc ornamentum ad Gothorum qvodammodo accedere, *qvorum Reges aurium ligulas crinium ſubjacentibus flagellis operiebant*, prout *Sidonius* ſeculi 5ti Scriptor de Theodorico Gothorum Rege Ep. 2. lib. I. meminit, additq; *morem Gothicæ gentis implexa crinium flagella in aures ac terga dimittere. Iſidorus* eadem flagella appellat *Granos* non à ſparſione, ſed à forma, qvâ in annulos & qvaſi granorum rotundorum faciem in fine flectebantur. Sic grandes uniones Græci vocarunt κόκκους, qvo nomine unionum cepas etiam Latini appellarunt. Itaq; inſtar Gothorum *Cnutus* ſua ex mitra geſtavit πλεξίδια & tænias, in terga refugas, qvæ *Gothi* ex crinibus ita in nodos coactis conficiebant. De Athelſtano Rege ſcribit *Malmesburienſis*, illum fuiſſe ſtaturâ juſtâ, corpore deducto, capillo flavo filis aureis pulcrè intorto. Qvare & illud videmus ad curam ſingularem veterum ſpectaſe,

ſe, ut capillos flagellis involutos haberent, Euſtathius κόλυκας explicans, qvod reperitur inter dona apud *Homerum Iliad.* Σ. etiam σύριγγας interpretatur, nam fiſtulis ac canalibus his cincinnos indebant, ne circumvolitarent, ſed terga molliter flagellarent, prout *Martialis* ait:

——— *mollesq; flagellant*
Terga comæ ———

qvales κόλυκας ſeu σύριγγας obſervare qvoq; licet in numis *Gothorum* Sectione hic III. ſub numero 14. a. b. c. d. e. f. adductis. In humeris Regis pallium paulo elegantius atq; in primoribus acqvieſcit, clavis purpureis, ſeu potius aureis, utrinq; inoculatum. More itidem Græcanico, qvòd in humeris nexum ſedebat pallium & utrumq; humerum advelabat in rugas formatum. Strictam qvoq; tunicam indutus conſpicitur, qvæ Græcis dicitur ἡ ϛολιδωτὴ, à rugis, qvas Græci ϛολίδας vocant, ſic denominata: & dextrorſus ad icones regias in numis hiſce qvoq; effulgentia, illa regia geſtamina liliis in apice exornata apparent.

Verſis deniq; his numis illico ſe offerunt nomina virorum, ut nobis perſvaſiſſimum eſt, monetalium. In ſexti ergo averſâ legimus: LANDFER MONET. i. e. *MONETarius*, provinciâ ſeu urbe planè omiſsâ, cui in publico hoc negotio tanqvam Dominus monetæ loco Regis præfuit. In ſeptimi latere poſtico: BLACHAN. ON. SN. *fortè monetalis Vir ejus nominis erit in Sidney:* In averſa parte octavi exſtabit: LIFYINE ON OXFRD i. e. *LIFVINus in OXFoRD ſeu Oxonia.* Ejusdem ferè nominis, Regis *Cnuti II.* tempore, in Anglia fuit Abbas Elienſis, Leofvinus qvi vocabatur, conſecratus ab *Alwyno* Elmanenſi Epiſcopo, tam Rege *Cnutone*, qvàm toto conventu, id petente. *Thom. Elienſis in hiſtoria Elienſi.* Tandem in noni poſtico leges: ELFYARD ON NEST., ſeu potius HEST. Diſcernere enim in tantum non licuit, qvam provinciam numus indicet. Putamus tamen, *Haſtinga-ceſtre* vel caſtrum indicari, ut *Brumtonus* nos edocet, cujus locus de monetis in Anglia, valdè ſingularis, ideoq; huc pertinet. Nam ex Athelſtani legibus, qvi in Anglia ab anno 922. celeberrimus fuit & Rex potentiſſimus, earumq;, artic. 19. p. 843. hoc adducit: *Placuit nobis, ut una moneta ſit in toto regni imperio, & nullus monetet extra portum* &c. *In Cantuaria ſint octo Monetarii: Regis qvatuor: Epiſcopi tres: Abbatis unus: in Roceſtria tres: Regis duo: Epiſcopi unus: In Lewes duo: In HASTINGESTRA unus. In Sheaftsbyri duo. In Exonia duo: & in aliis burgis.* Huc apprimè etiam facit locus commentatorum *Joh. Spelmanni* in *Ælfredi* Regis hiſtoria ad Tab. 2. *de num. Saxon. Regibus noſtris*, ſcribunt, *plures erant ædes monetariæ, ſicut & nonnullis Magnatum, præcipuè Epiſcoporum, in urbibus illuſtrioribus flandi, feriundi numos privilegium indultum erat.* Æthelſtanus Rex (qvi ſeculo X. vixit) *dicitur habuiſſe Londini ejusmodi domos octo: Wintoniæ ſex, Leviſiæ, HASTINGIS, Hamtoniæ, ſingulis duas: Ciceſtriæ, unam: Rhoffæ tres, binas Rex, unam Epiſcopus: Cantuariæ ſeptem, Rex qvatuor, Epiſcopus duas, Abbas unam.*

TAB. XXVI.

No. 10. †. CNUT RECX. *Ejusdem Regis ſceptrigeri vultus cum tegmine capitis & pallio elegantiori.*

In averſa numi:

† LEODMER ON RIIC. *Crux ſolita.*

Nu-

Numus hic notam meretur ſingularem ob habitus Regii in antico numismatis latere ornatum elegantiorem. Rex enim hic incedere videtur tiarâ ſeu potius pileô περιτραχήλῳ, in anteriorem faciem incurvo & faſciis tortilibus ſeu loris circumcincto: Ligamen hoc Heſychius vocat στρόφιον, atq; ita interpretatus eſt vocem κίδαρις. Ad aurium ligulas ex tegmine hoc dependent ſegmina qvædam, genas regias exornantia, qvemadmodum ad cervicem crines apparent renodati & ſerico involuti: Ferè eodem qvoq; capitis ornamento *Carolum Calvum* in publicum prodiiſſe, *Annales Fuldenſes* circa annum 876. ſic memorant: *Capite involuto ſerico ac diademate deſuper impoſito Dominicis & feſtis diebus ad eccleſiam procedere ſolitus fuit:* Haud enim ſemper galeâ tecti Reges incedebant, ſed capillos, qvorum cura ipſis magna erat, ſub pileis etiam colligebant, & tegumenta hæc noſtratibus adhuc Hetter aut Lufve & Hue dicuntur, imò ad galeas qvoq; tegendas his utebantur, cujus ſingulare exemplum habemus apud *Snorronem Sturleſonium Chron. Norvag.* p. 85. ubi galea aurata Haqvini Regis tali mitra obtegitur, ſed hæ mitræ aut pilei differebant à mitra, qvæ hîc eſt regalis, pretioſa, & in qvibusdam numis gemmata & unionibus picta ac ornata. Acqvieſcit deinde per fibulæ elegantioris morſum in humeris Regis pallium abundantius clavis aureis ex utraq; parte inoculatum: Nam veſtium oræ non ſolùm apud veteres fimbriatæ erant, ſed etiam mediæ ab utraq; ſcilicet parte, ubi veſtes aperiuntur & fibulis ſtringuntur, hinc & *Trebellius* mediam dixit *fimbriam.* Variis itaq; figuris ſive ſignis, qvà rotundis, qvà qvadratis veterum luxuria luſit in veſtibus & fimbriis hiſce auro purpurave illuſtrandis. Qvæ rotundæ erant, ut in pallio regio hîc videre eſt & in circulum flexæ, plumas vocitarunt Latini, & plumarios, qvi eas in modum plumarum rotundas in veſtibus acu pingebant. Interdum etiam clavos appellarunt, clavorum enim capita rotunda, unde ὀσπιδίσκας Græci vocant: Dixerunt & oculos, & inoculatum exinde noſtrum in numo dicitur pallium, & clavi hi tam aurei, qvam purpurei, veſtibus inſerebantur. Qvemadmodum de his *Salmaſius* plura in apricum profert in *comment.* ad *Hiſt. Auguſt.* Pallia hæc & ſaga virilia in humeris, ut mulierum in pectore antiqvitùs retinebantur fibulis, qvas Græci exinde accuratiùs diſtingvere ſciverunt, ut περόναι ſint humerales & virorum, πόρπη autem mulierum & veſtem ad pectus ſtringat. Ut plurimùm ex gemma mulierum fibulæ conficiebantur, teſte *Claudiano*,

—— *& fulva nodatur jaſpide pectus.*

Nec minus qvoq; virorum fibulæ gemmeæ aut gemmis ſtellatæ fuêre, qvemadmodum & *Vopiſcus* narrat de Carino Imperatore, eum fibulâ uſum non eſſe niſi gemmâ, nam gemma plerumq; unica fibulæ vicem præſtabat, qvomodo numus in tabula hac ordine qvartus ſatis clarè indigitat, etiam Regem *Cnutum Magnum* in publicum prodiiſſe & in numo 25. 26. & 27. TAB. XXVII. hujus ſectionis non minus hîc apparebit: qvemadmodum & in numismate, qvod hic conſiderandum venit, fibula humeralis, qvæ pallium regium ad humerum nectit & conſtringit, inſtar floris efficta videtur, qvæ in medio gemmâ eſt ſtellata.

In poſtico tandem obſervandum:

† LEODMER ON RIIC. *Qvod erit nomen viri monetalis* LEODMERi *in* RIICHwin, ſeu RIIC*hwinenſis.*

TAB. XXVI.

No. 11. † CNVT REX ANG. *Regis icon itidem ſceptrigera, caſſide ovata & pallio ſingulari.*

In poſtico:

† LVEFYINE ON DOF. *Cum cruce ſolita.*

In numis antea allatis vidimus, qvantum ab illo ſubinde mutatus fuerit regius ille *Cnuti II.* habitus, in qvo decor non minus ſervatur, qvi ex more venit, ut mos ex opinione eſt, qvæ pro gentium & perſonarum diverſitate mutat, ac varios habitus inducit, qvemadmodum & Rex hic in numismate hocce aliter amictus in antico atq; in primoribus numis. Caſſide apparet Rex ὠοειδῆ i. e. ovata planè, qvalis eſt ovi per medium ſecti minus rotunda pars, qvæ forma fertur olim fuiſſe pilei Caſtoris & Pollucis, qvos Romani *pileatos fratres* vocitarunt. Laconibus iidem pilei ovati in prælliis qvoq; in uſu fuêre, qvi Apulejo *ovatæ caſſides* dicuntur. Sub galea hac capilli aliqvantum paſſi nullisq; vinculis intexti inter ſegmenta qvædam ad cervices prominent. Numus itaq; rarò obvius, ſeptentrionalibus qvippe noſtris modus religandi capillos ab antiqvo fuit conſtantiſſimus, utpote ne illis, qvi bellis ſemper intenti erant, capilli, qvos ſtudio ſummo nutriebant, impedimento eſſent, qvòdq; hæc coma connodata aptior hoſtibus terrorem aliqvem incuteret. Rarò ergo ſolvere & circa humeros fluere ſinebant, niſi cum feſta ſolemnia & ſplendida adeſſent. Tunc enim nodos & vincula capillorum elegantium ſolvi curabant, eosq; bene lotos & nitidos effectos, absq; nodis, flagellis aliisq; vinculis, qvibus illos religaverant, per humeros elegantiſſimâ pompâ liberè fluere ſinebant, ut illis & illorum adſpectu nil jucundius eſſet, aut elegantius. Hinc & *Haraldus* ille Rex Norvagiæ, ut antea meminimus, *Pulcricomi* cognomen ſortitus legitur in Chronicis Norvagicis. Idem numisma habent Commentatores ad Ælfredi Hiſtoriam *Joh. Spelmanni* de *numis Saxonum Tab. VI. No. 31.* at capillitio Regio elegantiùs, atq; in numo noſtro procuſum eſt, efficto. Pallium hic portat Rex paulò laxius, qvàm in numis cæteris, circa cervices admodum ſtudioſè in rugas diſpoſitum, fibulâq; in humeris congregatum & ſtrictum.

Averſa numi pars cruce ſolita inſignita eſt, qvam ambit nomen viri monetalis LVEFVINE ON DOFR*res.* i. e. LVEFVIN*us Dubrienſis* vel *DOFRinenſis.*

TAB. XXVI.

No. 12. † CNVT REX ANGLO. *Regis ejusdem coronati vultus, capillis ſub coronâ ad cervicem usq; ſerico velamine involutis.*

† LVOFRIC ON LVNDE. i. e. *LVOFRICus Londini nempe vir monetalis. Inſcriptio hæc ambit crucem elegantiorem.*

De facie Regis tenui atq; juniori, æqve ac in antecedentibus de vultu deductiori, ſenium numi agnoſci ſubſentimus. Regiminis ſui ab initio fulgido iſto Majeſtatis inſigni, qvo hic conſpicitur eum redimitum fuiſſe, nulli dubitamus, qvem maximâ pompâ adeò juvenem coronatum atq; conſecratum anno 1017. legimus, cùm & illa Regiæ conſecrationis inſignia Regibus Angliæ ſtatim poſt acceptam Chriſtianam religionem in uſu fuerint. *Joh. Spelman-*

mannus in vita *Ælfredi Magni l. 3. c. 158.* coronam hanc ſic depingit: *Coronam dico non ejusdem formæ fortaſſis, quæ hodie diſcrimins gratia dicitur Imperialis, formæ tamen auguſtioris atq; Imperio dignioris, quam quæ hactenus uſpiam in his regnis uſurpata fuiſſet. Etenim in arcuata cella ad peristylium Weſtmonaſterienſis cœnobii, ubi vetera decora & inſignia hujus Regni aſſervantur, in operculo pyxidis* (qvæ antiqviſſimæ coronæ capſa eſt) *habetur inſcribtum ad hunc modum:* **Hæc eſt principalior corona, cum qva coronabantur Reges: Ælfredus, Edwardus** &c. *Ipſa verò corona* (qvod hunc in finem obſervatu dignum) *operis fuit Archaici, diducta in flores, ocellatura gemmarum, pro ſeculi captu, non adeò curioſa.* Ovum ovo nullum ſimilius eſſe poteſt, atq; corona hæc anademati venuſto Regis noſtratis in numi anticâ hic procuſi: Priſcum qvippe ibi pellucet opus Archaicum in flores ſtudioſe diductum, qvod Scribtores *Byſantini* πεταλία vocitarunt (*Aſſer Gall. p. 252. & 253.*) utpote liliis τεταλίνοις exornatum. Ex qvibus patet in Anglia coronas Regum fuiſſe liligeras ante Normandorum ex Francia in Angliam deſcenſum etiam Ælfredi tempore, ut *Spelmannus* numusq; hic teſtantur, qvamvis lilia hæc Franciæ ſuas origines debere plurimi ſtatuant; at qvia hic cæteriq; inſèqventes numi veri hujus rei ſunt teſtes, facilè eorum ſententia his redarguitur; ejus tamen ponderis aut ſoliditatis, cujus fuêre Romanæ aureæ, coronæ hæ non videntur, ſed leves omninò & operis acu picti, ſi qvid rectè videmus. Fuerunt, ni fallimur, illæ, qvas Franci poſtea vocarunt *Girlants* aut *Garlands*, circuli enim erant aurei, ut in numis apparet, liliati, non magni ponderis, Matthæo Pariſienſi ad annum 1247. p. 738. vulgariter *Garlandæ* hinc etiam dicti & *coronulæ aureæ.* Cynico ferè more qvoq; potentiſſimus Rex hic palliô involutus videtur, partem ipſius, fibulâ in humero dextro tantùm ſtricti, ſiniſtrorſum rejiciens.

Poſticum numi LUOFRICI Monetarii Londinenſis nomen illuſtrat.

TAB. XXVI.

No. 13. †. CNVT REX ANGLORV. *Regis itidem juvenis & coronati icuncula palliata.*

†. COLGRIM. M. O. E. O. i. e. COLGRIM*us* MO*netarius* E*or*l *ſive comes* Oxo*nienſis, prout ſiglæ denotare videntur, qvæ ambiunt crucem.*

No. 14. †. CNVT REX ANGLORV. *Ejusdem Regis vultus juvenis, eodem modo redimitus & amictus.*

†. ARNCETEL. O. E. O. *Erit* ARNKETEL*h* MO*netarii nomen,* E*arli ſeu comitis itidem* Oxo*nienſis, circa crucem ſolitam.*

Matthæus Pariſienſis ejusdem ferè nominis *pag. 59.* habet Monetarium & monetæ cuſtodem, qvem *Anketillum* vocat, ad Danorum Regem ex Anglia circa annum 1123. evocatum. Sunt, qvi hos & proximè iis præcedentem inſeqventesq; numos, ex qvorum antico latere gratioſus Regis vultus juvenis admodùm prominet, junioris ſeu *Harde-Cnuti*, vel potius, uti hiſtoriæ Islandicæ eum nominant, *Haudra-Cnuti*, à provincia, in qva educatus erat, de qvo fuſiùs hic diximus ad numum *Harde-Cnuti* TAB. XXV. No. 43. monetis æqvè poſſe annumerari cenſuerunt, ſimpliciter enim junioris æqve ac ſenioris *Cnuti* numismata absq; agnomine maxima ex parte procuſa eſſe autumant, ideoq; hic patris filiiq; numos eò difficilius diſcriminari poſſe, præſertim

tim in numismatis, qvæ juvenem qvidem vultum utriusq; repræſentant Regis, cùm cognomines & admodum juvenilis ætatis ad gubernacula in Anglia ſederint, Cnutusq; junior Rex Angliæ admodum juvenis in fata conceſſerit, biennio, & qvot excedunt dies, regni Anglicani tantùm completo: calculis namq; exactioribus ſecundùm Annales Norvagicos poſitis, *Harde-Cnutum*, qvem juniorem qvoq;, reſpectu patris, hiſtoriæ noſtrates denominant, patre haud multum provectioris ætatis imperii Anglicani clavum arripuiſſe, deprehendimus. Anno qvippe 1009. annales hi computant, patrem *Cnuti* ſenioris *Svenonem furcatæ* ſeu *fiſſæ barbæ* mortuum eſſe, cui aſſentiur hiſtoria *Knytlin-* „ *gorum M. S. c. VIII.* hoc addens: *Knutr. Konungr var þa a barns alldri:* „ h. e. Tunc temporis Rex Cnutus erat puerilis ætatis, ſeu decennis, & pau- „ lo poſt: *Konungr. ſat III. vetri Dannmorku ſitan hann tok Konugdom*, Rex idem, „ poſtqvam gubernacula regni in Dania aſſumpſerat, triennium ibi remanſit „ à patris morte, priusqvam in Angliam trajecit; tredecim ergo annos natus imperium ex parte in Anglia auſpicatus eſt, qvem verò anno 1017. prius non totius regni Regem inauguratum eſſe annales Anglicani tradunt. Unde ſponte colligitur, deleto Edmundo, octodecim annorum juvenem coronatum in numis hiſce procuſum fuiſſe, *Æthelredi* Regis uxore *Emmâ* in matrimonium poſtea ductâ, ex qva ſuſcepit *Cnutum* juniorem ſeu *Harde-Cnutum*, cui Regnum Anglicanum, mortuo Haraldo, vix viginti annos nato, anno ſcilicet ſalutis humanæ 1040. contigiſſe, annales noſtri ſubindicant. De *Cnuto* enim *juniore* Regno Daniæ & *Magno Bono* Norvagiæ jam admotis ex *Snorronis Sturlæi* Hiſt. Norvag. conſtat, Reges eosdem anno 1036. pueritiam „ vix exceſſiſſe. *Konungarnir*, inqvit Snorro, *voro badir bernskir oc ungir.* „ i. e. uterq; Regum puerilis ſeu rerum parum expertus & juvenis erat. Qvoniam itaq; ex præcedentibus ſatis liqvidò ſeqvitur, Reges hoſce & cognomines & juvenili ætate ferè æqvales regno Anglicano præfectos in numis procuſos, eos vix cernere licet, niſi ſecundùm aliqvalem Cnuti ſenioris faciei diſpoſitionem & ideam, qvam *Knytlingorum* hiſtoria nobis antea cap. 20. exactè qvidem dedit, ſculptores verò typorum partim hic inciderunt rudi Minervâ. Qvibus accedit, qvòd dicant hujus ſententiæ patroni, *Saxoni Grammatico*, cui autoritas neqvaqvam eſt abroganda, Reges hos cognomines absq; qvoqvam agnomine ac cognomine fuiſſe ubiq; in hiſtoria Danica appellatos, adeò ut in numis eorum nomina ſic promiſcuè percuſſa eſſe tutò cenſendum arbitrentur. At cùm nos rerum harum teſtimoniis non adeò ſuffulti numos junioris *Cnuti* dari deprehendamus, in qvibus agnomine eſt inſignitus & *Harde Cnut* nominatus, non penitus difficile nobis numorum hîc videtur diſcrimen, præſertim cùm nobis vero ſimilius fiat, numos Cnutonis junioris nullibi absq; agnomine ipſius additò procuſos fuiſſe: Hoc enim nomine & agnomine, *Harde-Cnvt*, baptiſatus eſt, & hoc nominis epithetò egregiò luci expoſuit, qvid ſibi cordi fuerit, *nomen patris*, ut aſſeverat Emmæ matris ipſius Encomiaſtes & illorum temporum ſynchronus, *referens cum additamento* hoc *Harde*. *Harde*, uti pergit, *qvidem velox vel fortis, qvod utrumq; multoq; majus his in eo cognoſci potuit.* Videre ergo non potuimus, monetarios cauſam habuiſſe agnomen & vocabulum hoc, qvod magnæ virtutis indicium eſt, Angliæ Rege hoc juvene, omittere, qvi in *Hiſtoria gentis Danorum*, Regis Erici Pomerani qvæ inſcribitur, *Harde-Knud* qvoq; appellatus *ſuo tempore ſuper omnes Reges mundi terribilis & laudabilis exſtitit.* Ut potiùs numi hi, qvi juve-

venilem præ ſe ferunt Regis Cnutonis faciem, numismatis Cnutonis ſeu *Cnuti Magni* annumerandi cenſeantur. Proinde togæ imperatoriæ involutus in numorum antico juvenis Rex coronatus hic apparet, & qvaſi pugnam moliturus, ſiniſtrorſum conjicit ricinium, per humeros collum versùs perfuſum. Sed, qvî fit, qvòd raſo capillitio diadematus hic procuditur Rex, cùm hiſtoria *Knytlingorum M. S. cap.* 20. maximè ſic commendet ipſius cæſariem: *Hann uar fagr har oc mik hærdr.* i. e. capillo decoro & prolixo erat. Bona ergo cum „ venia præſumimus dicere, aut ſculptores voluiſſe eum more Romano raſum habere caput, qvemadmodum & in omnibus, qvos contigit ejusdem Regis videre, numis cum, etiam adultioris ætatis, imberbem effinxerunt, aut Regem ſacris Chriſtianis ab initio Regni ſui initiatum & adſcriptum in mores fratrum ſeu clericorum, qvi tonſô capillitiò incedere tenebantur, aliqvandiu deflectere adamaſſe. Qvibus *Scholiaſtes* hiſt. eccleſ. *Adami Bremenſis lib.* 2. *cap.* 36. aſſentire videtur, dum utrumq; Regem & patrem & filium orationibus fratrum Bremenſium commendatum libroq; fraternitatis Bremenſis inſcriptum narrat. Præterea extra omnis dubitationis aleam poſitum eſſe credimus, qvemadmodum in ipſius numis antiqvioribus videre eſt, eum comam poſtea aluiſſe longam, ut patrio more ſubſtringeret & flagellis ad cervices coërceret eam, qvod diu in more Angli exinde poſitum habuêre, usq; ad *Wilhelmi* 2. Regis Angliæ tempora, cujus rei teſtis & *Wilhelmus Malmesburienſis*: *Sub ipſo*, inqvit, *fluxus crinium*, h. e. coma fuſa, *inolevit* primum in Anglia, cùm antea comâ renodi & flagillis coërcitâ plerumqve uti ſolerent.

TAB. XXVI.

No. 15. †. CNVT REX ANGLOR. *Regis ejusdem coronata icuncula.*

†. YVLEMER. E. O.O. D. *Erit forte* VaLDEMaR*us*, *qvod nobis adhuc contracte eſt* **Volmer**. *Sigla ſeqventes non adeò liqvidè, atq; hîc inſculptæ ſunt, apparent in archetypo circa crucem.*

No. 16. †. CNVT REX ANGLOR. *Regis vultus eodem ferè modo coronatus.*

†. DVREERD. M. NOR. h. e. DUREERD*us*, *forſan nomen* Monetarii NOR*folcenſis ſeu* NOR*vicenſis*, *crucem ambiens.*

Prioris numuli ſculptor, qvemadmodum ſexti, ſeptimi, noni & duodecimi, ob artem ſuam eò magis hîc commendatur, qvòd faciem Regis *Cnuti Magni* adeò exqviſitè expreſſerit naſumq; qvaſi ad vivum formaverit eminentem, qvomodo & *Knytlingorum Saga M. S.* i. e. Cnutiadum hiſtoria, Regiam hanc faciem cap. 20. ſuo depingit penicillo: *Nef hanns uar þvnt.* i. e. naſum habebat tenuem, eminentem ſeu aqvilinum, prout in numis No. 6. 7. 12. & 15. partimq; No. 8. 9. 17. & 18. aſpicitur. Præterea notam meretur diverſa in numis diadematis Regii ſeu coronæ liliaceæ forma, cæteris paulò elegantior, corona enim ſerico ſegmento ſeu capitis operimento impoſita videtur, qvod redimiculô ſub mentum in numo poſteriori ad inſtar mitræ Phrygiæ religatur.

No. 17. †. CNVT REX ANGLORVM. *Regis icon ſingulariter coronata.*

†. ELFR — MO. D. E. O. *Numus eſt fragilis, in qvo ſigla ſunt valdè obſcuræ. Erit* ELFRICI MO*netarii nomen*, *Eorl ſeu comitis* Oxonien*ſis*, *circa crucem.*

TAB. XXVI.

Tab. XXVI.

No. 18. CNVT REX ANGLORV. *Regis coronati vultus.*

†. LODVIG ON LVNDE, *LVDoVICI Monetarii Lundenſis nomen, qvod crucem ambit.*

TAB. XXVII.

No. 19. †. CNVT REX ANGLORV. *Regis coronati vultus.*

†. ELRIC ON SEFTESBR. *Crux ſolita, qvæ* ELRICi SEFTESB*u*R*ienſis* (jam Sceafsburienſis) *Monetarii nomen circum ſe habet.*

No. 20. †. CNVT REX ANGLORVM. *Juvenis admodum hic apparet Regis coronati facies, ephebis qvaſi vix exceſſiſſet.*

†. YVLERIC ON LVNDE ††† WULFRIC*us Londini, circa crucem.*

Notam meretur triplex illa poſt nomen monetarii crux in numi poſtico, in fauſtum omen addita, qvòd fortaſſe ſit primus numus Regis juvenis primò coronati.

No. 21. †. CNVT REX ANGLORVM. *Regis coronati vultus.*

†. SELVIN ON DEOTFO. SELVINI THEOTFO*rtenſis, cenſetur viri monetalis nomen, circa crucem, cui aſſentiuntur commentatores Joh. Spelmanni in Ælfredi Magni vita ad numos Saxon.*

No. 22. Idem Regis vultus titulusq; in antico numi latere.

In poſtico verò

†. OVDGRIM MO E. O. F. i. e. OUTHGRIM*us* MO*netarius* E*orl ſeu comes* Ox*Fortenſis.*

Alium ex ſiglis non nobis datur extricare ſenſum, cùm ab oræ præfixa cruce lectio in numo ſit inſtituenda, qvamvis politioris doctrinæ vir non hanc, ſed aliam, atq; à cruce inceptam, amaverit lectionem:

D. G. R. IMMO. E. OF. XOV. *qvam ſic explicare voluit* D*ei* GR*atia* IMMO E*arl* OF XON.

No. 23. †. CNVT REX ANGLORVM. *Juvenis vultus Regis ejusdem.*

†. ZVNEGOD. MO. LIN. h. e. SUNEGOD*us* MO*netarius* LIN*colnienſis.*

Vir hic, qvi monetalis Lincolniæ fuit, binominis eſſe videtur. Nomen prius adhuc in Freſia minori, Angliæ noſtræ conterminâ, viget, Freſonibus iſtis Sunecf appellatum, qvod noſtratibus planè dicitur Sune. Paſſim qvippe occurrunt apud *Saxonem Gram. lib. 14.* Viri magnæ virtutis atq; proſapiæ *Suno Ebbonis, Petrus Sunonis* & *Andreas Sunonis* &c., agnomine verò GOD bonum denotante virum. Huic nominis compoſitioni aſſentitur alibi hiſtoria patria, potentiſſimum Daniæ Regem *Frothonem III.* cognominans FREDEGOD, prout numus hic habet nomen ZVNEGOD. Et *Chronica Norv. pag. 202. Torgod Skarde & p. 248. Snoregod* Regis *Olai Sancti* ſeu *Craſſi* Purpuratum. Germani verò, converſis nominibus, adhuc ſuis Godefredi imponunt nomen.

TAB. XXVII.

No. 24. †. CNVT REX ANG. *Juvenis etiam Regis eſt vultus.*
†. BRVNTA.——LIN. Erit BRVNTA*n Monetarius* LIN*colnienſis.*

Numi fragilitas vetat, qvò minus exactè aſſeqvi potuerimus averſæ inſcribtionem, nomen tamen fermè idem monetarii cujusdam legitur in averſo latere numi, regnante *Haraldo Notho*, Regis *Cnuti Magni* filio, procuſi. Commentatores ad *Joh. Spelmannum* eundem habent numum in vita *Ælfredi Magni Tab. VI.* de numis Saxonum No. 9., ubi Monetarius in averſa BRUNSTAN vocatur. Satis celebre in Patria habuimus ſtemma nobile ULFSTANORUM, qvorum primus nomine ULFSTAN inſignitus fuit, qvem & Dano-Anglicanæ fuiſſe originis inde ſuſpicamur, qvòd in Anglia circa annum 866. eidem Veſt-Saxonum Regi *Ælfredo* ejusdem nominis fuerit de tractu ſeptentrionis fidus relator, qvi ULFSTAN *of Hætheby*, (jam Slesvigâ) vocatur. *Vide Joh. Spelman. Append. VI. ad vit. Ælfredi Magni.* Nam qvemadmodum nobiles noſtrates, antiqvæ proſapiæ exſtincto maſculi generis ultimo, emortuæ ejusdem ſtirpis nomen gentilitium locò nominis proprii in gratam agnatæ familiæ memoriam ſuæ interdum impoſuerunt proli maſculæ, ità etiam à familiæ anteſignani nomine proprio, proſapiæ gentile nomen ſubinde cœpiſſe, ſubſentimus. Græcanico qvidem more nobiles noſtrates nomini ſuo patris nomen proprium diu poſtpoſuerunt, usq; dum uno eodemq; anteſignani nomine aut agnomine poſteri longa ſerie conſtanter ſalutari amaverint ob ingentia Primatis ſui merita. Plura de Nobilium Danorum nominibus & cognominibus ſagaciùs ſuppeditat celeberrimus *Wormius lib. 3. Monum. Dan. fol. 165.* &c. Sicut & eventus varius ULFSTANO noſtrati majoribusq; noſtris ſtemmatis illuſtria indidit nomina, cognomina aut agnomina. Cujus rei teſtis pro eo tempore nobis erit *Saxo Gram. hiſt. Dan. libr. 7. fol. 73.* ubi Veſetus fortiſſimus ille Athleta & Dominus Scaniæ narratur *absq; vulneris inflictione fuſte qvaſſaviſſe buccam Regis Haraldi III, ut binis eam dentibus vacuefaceret. Qvorum jacturam poſtmodum inſperata molarium eruptione ſarciebat. Hic eventus* HYLDETAN *ei cognomen impoſuit, qvod eum qvidam ob eminentem dentium ordinem aſſecutum affirmant.* Qvomodo & Rex Daniæ *Haraldus* ejusdem nominis VI. BLATAN*i*, i. e. nigridentis nomen eſt ſortitus: Qvæ enim nigra ſunt, veteribus noſtris **Blaat** dicebantur, ut **Blaamænd**/Nigritæ, Mauri; *Black* Anglis adhuc niger eſt ex noſtro ſermone & *Tan* ſeu *Tand* nobis eſt dens.

No. 25. †. CNVT REX ANG. *Rex ſceptriger & palliatus cum caſide ovata.*
†. FARÐEIN. MT. O. EOF. *Erit* FARTHEIN*us Monetarius* O*n* i. e. in EO*x*F*ort.*

No. 26. †. CNVT REX ANG. *Idem Regis vultus.*
†. CRINAN M–OE. OFR. h. e. CRINAN*us* MO*n*E*tarius* O*x*FoR*tenſis.*

No. 27. †. CNVT REX ANG. *Eadem Regis icon.*
†. ZVNOLF M–OE. OF. SUNOLF*us*, *eſt* MO*n*E*tarius* O*x*F*ortenſis.*

Deductioris qvidem faciei in numis hiſce apparet Rex, at macilento ore, naſo mentoq; acutiori, qvàm in numo tabulæ proximè præcedentis num. II. ubi caſſide eodem modo ovata & qvodammodo fusâ comâ, hic autem ca-

pite mentoq; raſo incedit. Itaq; ex faciei habitu diſpoſitioneq; tutò divinare licet, Regem adultioris ætatis & fermè decrepiti corporis fuiſſe in numis hiſce procuſum. Nam ultimis etiam Regni annis Româ redux vitæ morumq; talem inivit rationem, qvæ verè pœnitentem approbaret. Qvemadmodum & in epiſtola ipſius ad Ælnothum Metropolitanum anno 1030. perſcripta & Pontani *rerum Danic. hiſtoriæ libro V.* inſerta, ſupplex confitetur, *ſe Deo devoviſſe vitam ſuam à modo in omnibus reformare.* Qvippe & eum reliqvam ætatis partem morbo, aurugini haud abſimili, afflictum triviſſe, enarrat *Knytlingorum M. S.* hiſtoria, ideoq; mores ſuos in melius relaturus, piè & religiosè capiteq; hic raſo ſubditis præeſſe voluit, cujus Reginæq; ipſius Encomiaſtes eum his qvoq; extollit laudibus: *Amicus verò & familiaris factus eſt viris Eccleſiaſticis, adeò ut Epiſcopis videretur Coëpiſcopus pro exhibitione totius religionis, Monachis qvoq; non ſecularis, ſed cœnobialis pro continentia humillimæ devotionis.* Tonſus ergò adulta ætate amicè in eorum mores qvoqve deflexus, baculum ſeu geſtamen regium ſacri regiminis in numis hiſce manu tenuit, qvi Rex tantæ magnitudinis fuit, ut ante eum (inqvit *Radulfus de Diceto*) nemo vixerit in Anglia talis. Mortuus eſt anno 1036. d. 12. Novembris, ætatis ſuæ 37, regni verò Daniæ, ut ſupputant annales noſtri, 27. Angliæ 24. & Norvagiæ ſeptimo, qvinq; regnorum Rex, qvem verſiculi haud inelegantes ita deprædicant.

Facta mihi Magni pepererunt inclyta nomen,
Qvinq; ſub imperio regna fuêre meo.
Juſtitiâ præclarus eram, Regesq; potentes
Subjectos docui legibus eſſe ſuis.

Sextum addit *Saxo* regnum & præterqvam Danis, Anglis, Svecis, Norvagis, etiam Slavis & Sembis imperitaſſe meminit.

TAB. XXVII.


No. 28. †. CNVT. *In numi qvaſi raſa tabula nomen hoc Regium procuſum.*
†. YVLNOƉ M:. OE. OF. RY. *Erit* VULNOTH*us* MO*n*Et*arius in* OxFoRD, ſive ut alii legunt MO*netarius* Ear*l*OF Rich*Y in.*

Numus interregni hic cenſetur, qvem *Vulnothus Oxonienſis* ſeu *Richwinenſis* monetæ cuſtos in gratiam Regis *Cnuti* procudi curavit, cujus verò *Cnuti*, ſenioris ne ſit, an junioris, haud facile eſt dijudicatu, in bivio ergo numus hic cum cæteris ponendus eſt. Qvod verò interregni fuerit numus, inde conjicimus, qvòd Vir, qvi monetalis hic fuit, non auſus ſit in numo addere titulum *Cnuti* Regium, qvem tunc temporis Regem Angliæ unanimo populi conſenſu vix declaratum fuiſſe ſuſpicamur.

TAB. XXV.

No. 41. †. CNVT REX ANGLORVM. *Regis icon coronata & palliata.*
†. ASLAG. MOLINCO. *Crux averſæ aream ſecans. Erit* ASLAC*us* MOLINCO*lnenſis.*

Ejusdem typi numus hic cum eo propemodum videtur eſſe, qvem præcedenti TAB. XXVI. ſub numero 1. depromſimus, hic verò adductus eſt, ut explicitiùs nomen Monetarii in poſtica conſtaret, & ſic numus numo expli-


N°19.
N°20.
N°21.
N°22.
N°23.
N°24.
N°25.
N°26.
N°27.
N°28.
CNVT
N°29.
N°30.
N°31.
N°32.
N°33.
N°34.
N°35.
N°36.
N°37.
N°38.
N°39.
N°40.
N°41.

explicaretur: In illo tantùm ASLA. MO. LINCOLN, in hoc verò clariùs nomen exprimitur, ASLAG, qvod Norvagicæ videtur esse originationis, qvàm plurimos enim Norvagia hujus monetarii habet etiamnum cognomines viros, de qvibus in Anglia jam erit altum silentium. Horum item cognominem ante seculum habuit patrem in Academia Havniensi Theologus primarius D. Cunradus, Aslaci qvi vocatur filius.

TAB. XXV.

No. 42. †. CNVT REX ANG. *Rex eodem modo mitratus, qvo hîc TAB. XXVI. No. 6. &c. exprimitur & describitur, lævâ sceptrum gestans & cataphractus, prout ex brachio exerto constabit.*

†. LODRIC CO. NORNVTV. *Monetæ sculptor hîc fortè incisum voluit viri monetalis nomen*: LODRIC*us* CO*mes* NORNVTV*nensis*, *seu* NO*R*dhamptunen*sis*, *Antonæ scilicet Septentrionalis*; *crucem inscribtio eadem ambit.*

No. 43. †. HARDE CNVT REX. *Regis icon fermè modô eôdem, qvô prior amicta & cataphracta, sceptrum liligerum lævâ tenens.*

†. LEOFRIC. ON. LINCOL. *crux eadem.*

Tandem sese nobis hic sistunt numismata hæc rariora, qvæ pressiùs illustrant, qvanam manu splendidum illud gestamen ac sceptrum Regium ab Angliæ Regibus tunc sit prensum & gestum. Id qvod ex prioribus numis clarè satis non patuit, nullo exerto in iis brachio, sed saltem ex sceptris dextrorsùs eminentibus pro certo erat affirmandum, cùm, sive sinistrâ sive dextrâ gestatum sit sceptrum, dextrorsum qvocunq; etiam modò prominere potuerit, in numismatis illis. Id qvod nos certiores facit sinistrâ tantùm hôc seculô gestatum fuisse regium hoc decus, qvod lævâ qvoq; antiqvitus occupatum sic refert *Silius Italicus de Syphace Aphricano cap. 16.*

——— regnique insigne vetusti
Gestat læva decus. ———

nisi maluerimus id incuriâ sculptorum esse factum, adeò ut qvicqvid dextrorsus monetæ typis insculpserint, id sinistrorsum conspiciatur procusum & vice versa: Et inprimis ultimum, qvod hîc depromtum exstat, charagmatis Anglici numisma censetur rarissimum, utpote nomine Regis *Harde-Cnuti* insignitum, multa enim seges ejusdem commatis in Anglia venire non potuit, cùm idem Rex vix ultra novem dies & biennium ibi ad regni gubernacula sederit, ejusdem typi seu formaturæ rarò itaq; contigit nobis videre. Ut deniq; etiam constet de *Cnuti* III. seu junioris prænomine, prout apud Historicos & in numo hoc, qvi hîc numerô est qvadragesimus tertius, ponitur, credibile est, meliori significatu, eo vivente, adhibitum fuisse, atq; Scribtores id postea interpretati sunt. Suum itaq; *Cnutum* hunc fortitum esse qvidam censent prænomen à provincia qvadam, in qva vel natus erat, *qvem*, inqvit *Sveno Aggonis* Compend. hist. Reg. Dan. *cognomine Durum vulgò nominabant, non qvòd austerus vel crudelis exstiterit, verùm inde, qvòd tale provinciæ nomen exstiterit, ex qva natalem duxit originem*, vel potius ab ea provincia, in qva enutritus, legitur enim in historia Norvag. *Sturlæi pag.* 272. Comiti *Ulfoni*, nomine Regis *Cnuti* senioris tunc Daniæ Protectori, anno 1026. educationis ergo in regno eodem traditus. Islandicum illud monumentum *M. S. Flateyabok*, i. e. Annales Flateyenses, Regis *Sigurdi Angvioculi* filium vocarunt *Haurda-Cnutum*, qvi rerum Norvagicarum Historiographo *Thormodo Torffæo* in histo-

ria rerum Orcadenſium & Serie Regum Daniæ eſt Harboe-Knut/ à Jutiæ provincia Hardſyſſel ſic nominatus, ità vel in eadem provincia *Cnutus* III. bellicoſiſſimi *Ulfonis* vel alius Comitis curâ creditur educatus & enutritus, indeq; prænomen provinciale adeptus poſt *Cnutum Siguardi Angvioculi* filium regeſſit: meminit enim *Pontanus rerum Dan. hiſtor. lib. V.* ibi locorum ex Lymico ſinu ſuiſſe breviſſimum in Angliam tranſitum, eidem qvippe ſinui, etiam *Cnutus* IV. claſſem ſuam, Angliam recuperaturus, invehi curavit, hodie arenarum mole difficiliori & navigiis ideò minus pervio. Sed hæc notatio minus rectè ſe habere videtur: Namq; neq; *Horda* eſt *Harboe*, neq; Regum alibi ullum in hiſtoria patria legimus *Harde-Cnuti* nomen geſſiſſe ante *Cnutum* hunc, haud tamen inficias imus Cnutum hunc natum vel enutritum eſſe in Daniæ provincia qvadam, Angliæ proximâ. Rectiùs ergo *Verelius in not. ad Hervarar Sagam p. 185.* hoc prænominis *Cnutorum* addit ἔτυμον in familia Danorum Regia ſoboli maſculæ, qvæ non erat nata in arce Regia, ſed extra eam in regni aliqva *Haurda, Horda, Harda* vel *Herredà* i. e. provincia ſeu nomarchiâ, prænomen hoc appoſitum fuiſſe: Cui accedit, qvòd Cnutus M. poſtqvam anno 1017. duxerat Emmam Aethelredi Regis Angliæ relictam, anno 1019, Chronicis Anglo-Saxonicis ſic annotantibus, in Daniam perrexerit, Emmamq;, nî fallimur, ſecum adduxerit prægnantem, cujus filio illic nato *Harde-Cnuti* nomen impoſitum, qvòd in prædictis Hardis ſeu parvis illis provinciis lucem vidiſſet. Qvibus laudatus *Sveno Aggonis* adſtipulari videtur: Indicavit enim à ditionum illarum aliqva, qvæ noſtratibus olim *Horda*, jam *Herreda*, Slesvicenſibus verò adhuc *Harde* vocantur, ubi natus erat, nomen eum retinuiſſe, & cum eidem Svenoni *Hordam* aut *Hardam* latinè ut aliter redderet, non occureret, reddidit *provinciam*, nec opus duxit nomen Hardæ iſtius addere, qvòd nomen proprium hoc ad *Harde-Cnuti* nomen nil faceret. Præterea *Harde Kaare* vir fuit in Norvagia celebris, qvi ab Hardelandia prænomen illud obtinuit. Et qvicqvid demum hoc ſit, meliùs tamen nemo de nomine Regis ejusdem cenſere potuit, qvam qvi *Harde-Cnuti* fuit σύγχρονος & rerum Anglicarum tunc hiſtoriographus. Audiamus Reginæ *Emmæ Encomiaſten* apud *Pontanum* lib. V. pag. 168. de baptismo *Harde-Cnuti* ſic verba facientem: *Itaq; dilectiſſimum pignus ſacro abluunt fonte baptismatis, imponuntq; ei vocabulum qvodammodo obtinens indicium futuræ virtutis. Vocatur ſiqvidem HARDE-CNVTO, nomen patris referens cum additamento. Cujus ſi etymologia Teutonicè perqviratur: profectò qvis qvantusve fuerit dignoſcitur. HARDE qvidem Velox vel fortis, qvod utrumq; multo majus his in eo cognoſci potuit, qvippe qvi omnes ſui temporis viros omnium virtutum præſtantia anteivit.* Eodem modo putamus apud *Adamum Bremenſem* c. 46. & 47. Gormonis Anglici patrem appellatum fuiſſe *Harde Vich* & *Albertum Stadenſem Harde Vitum.* Et freqvens illud virtutis vocabulum adhuc inter nos verſatur Hartvig/ Hartberd/ qvemadmodum eodem ferè tempore *Harde-Cnuti* vixit Haraldus Haard-raade/ cognominatus ſic ab audacibus geſtis & conſiliis audacisſimè exſecutioni mandatis. Nec diffiteri licet Haard Danicum ad robuſtum corpus & animum pertinere. Sic apud *Saxonem Grammaticum* Harthbenus Helſingius legitur fortiſſimus & furioſiſſimus miles ac gigantei corporis ad novem cubitos proceritate pertingens. Hoc ſanè nomen HARD veteribus itaq; fuit ἐμφατικὸν, ut ex

alla-

allatis videmus, adeò ut etiam Franci ſuum *hardy* inde freqventarint. Ita etiam inter Reges ſuos *Charles Hardy*, qvi Latinis eſt *Carolus Audax*, retinuerunt.

REGIS SVENONIS ESTRITHÆ Filii.

TAB. XXV.

No. 45. †. ZAEN REX AD DENE.R. *Regis ſceptrigeri iconem inſcribtio hæc ambit.*

†. GODVINE M-. AN DNE.R. *Crux circulo incluſa, in cujus qvatuor angulis literæ hæ: CRVX.*

Svenonis Eſtrithii *Cnuti Magni* ex ſorore Eſtrithâ nepotis numum eſſe Antiqvarii noſtrates rectiùs arbitrari videntur, qvem Nobiliſſimus *Kederus* qvoq; haud ita pridem æri inſculpi curavit, & perperam Daniæ Regi Svenoni biſidæ barbæ tribuiſſe cenſetur. Qvippe figura Regis in numi antica, ne qvidem ullum Regem barbatum repræſentat, nedum barbâ furcatâ, verùm imberbem, cum ſceptro ante faciem & capite, ut apparet, nudo. Nec Svenonis admorſæ barbæ numos ullos in Dania aut Svecia cuſos reperiri perſvaſum nobis plane eſt, ſed *Cnutum M.* ejus filium primùm Monetarios Anglicos in Daniam miſiſſe eſt probabile. Anglicè enim loqvitur hic numus magis qvàm Danicè, imperitum typi ſculptor in literis ſe oſtendit & imperitum lingvæ Danicæ, qvemadmodum & Monetarius *Godvinus*, ambo nempe Angli, ad qvorum dialectum hic numus accedit, adeò ut nil ſit verius qvàm ex Anglia Danicos, Svecicos ac Norvagicos numos habuiſſe primos monetarios & monetæ ſculptores. Nec rei monetariæ ejusq; in regno fructûs Rex Sveno Eſtrithæ filius ignarus eſſe potuit, cui, Regibus *Cnuto M.* & *Harde-Cnuto*, & iis abſentibus vel mortuis, qvemadmodum *Saxo Grammaticus* & ex eo *Polydor. Vergilius* Angl. hiſtor. lib. VIII. p. 179. memorant, concredita fuit cura regni Angliæ &, qvod conſeqvens erit, etiam monetæ Anglicanæ, ut, ſi nulla in Dania antea exſtiterit moneta, qvod tamen non concedimus, monetarios ex Anglia in Daniam rediens, repetitum avitum regnum, ſecum majori numero vel inde traxerit, vel rerum ſummâ in Dania potitus accerſi juſſerit, & ſic in Dania Rex civitates & epiſcopatûs tam bene conſtitutos, qvam in Anglia regni antea Vicarius, haberet. Mens itaq; hujus numi facile intelligitur, &, ni fallimur, erit hæc: SVEN REX DANORVM, & in averſa: GODVINVS MONETARIUS DANORVM. Nam verba illa AD DENER & AN DNER neq; ſatis Danica neq; ſatis Anglica ſunt illorum temporum. Qvare ſi Latina debet eſſe inſcribtio, ut ſunt Anglorum numi ejus ferè temporis, nos hanc inſcribtionem ſic conciperemus: SVEN REX AD DENE. *Regnum*, ſic interponendo punctum inter DENE & literam R. Præterea varia fuit ſcribtio & inſcribtio ſculptorum, multumq; in literis, uti hic in literis nominis ZAEN, errarunt. Ita qvoq; in averſa AN. DNE. R. ſcalptor immiſcuit lingvam lingvæ, ut à vero nos adeò aberraſſe non arbitremur, ſi cenſuerimus hic exſtare AN DEANER *Ryki* i. e. *in Danorum regno.* Sic enim concipi etiam ſolent Anglici numi, ſemper nomen Monetarii & deinde provinciæ, hìc verò

torius regni, cujus monetam rexit : Particula namq; IN Anglicè per AN· AD. AT. ON. ſæpiùs in numis exprimitur. Ex qvibus tutò colligimus tempore ejusdem Regis more fermè Anglicano in Danorum regno viguiſſe monetam, cuſtodemq; ejusdem conſtitutum fuiſſe, ut *Saxo Grammaticus* nobis teſtis qvoq; erit, *Hiſt. Dan. lib. XII. p. 216.* ſecundum Svenonis Eſtrithæ filium, Cnutum S. initiò regni ſui Lundis Scanorum numisma tum inſtitutum habuiſſe, cujus qvartam partem Archiepiſcopo ejusdem loci, ut diximus, clementer indulſit. Fuit præterea Rex Sveno Eſtrithius Cleri amator magnus, qvo ſuperſtite, duo in Scania Epiſcopatus ab eo conſtituti, qvorum alterius ſedes Lundis, alterius Dalbyæ habebatur, qvemadmodum in Jutica Cherſoneſo bini, Borglumenſis & Viburgenſis. Regnum Daniæ adiit ſecundùm calculum *Cornelii Hamsfort in ſer. Epiſcop. Fionenſium M. S.* anno 1046. qvem & *Ælnothus in Hiſtoria S. Cnuti* vocat *Svenonem Magnum, novô enim exemplô fœcunditatis & fortunæ omnes per Daniam Reges familiâ, omnes per orbem Principes familiæ duratione ſuperavit, numeravit in liberis 14. mares & deterioris ſexûs duas*, qvemadmodum ibidem pergit. Mortuus eſt anno 1074. qvarto calendarum Maji in Suddatorp Jutiæ pago, cùm regnaſſet 28. annos. Vir fuit aliàs, prout *Cnutiadum hiſtoria Islandica*, Knytlinga Saga dicta, eundem dilaudat, *omnium fortiſſimus, magnâ ſtaturâ*, uti hic in numo qvodammodo repræſentatur, *robuſtus, humilis, placidus in loqvendo, omnium largiſſimus, ſeverus, juſtus, patiens, arduus & audax in bellando.* Exeqvias ſuas Roeskildiæ in Sialandia celebrari juſſit, ubi hodie in æde Cathedrali ex tabula marmorea hoc qvoq; ejus legitur elogium :

Regum Sveno decus, magno qvo Dania Rege
Floruit & ſceptris imperioſa fuit,
Non virtute minor Sveno, qvàm nomine magnus,
Nam dici poterat Magnus utroq; modo &c.

REGIS CNUTI IV. ſeu SANCTI, Martyris Othinienſis.

TAB. XXVII.

No. 29. †. CNVT REX· *Vultus ejusdem Regis mitrati ſeu coronati, colobium induti & dextrâ gladium ſtrictum tenentis.*

†. VLKIL IN ODC vel OÐG. ULKIL*us erit in* OX. i. e. OX*onia, vel* OTHE h. e. OTH*enſea, circa crucem in area numi parvam.*

Numus eſt itidem argenteus, at planè diverſus à cæteris, qvos licuit videre, numis, *Cnutonis* nomine inſcribtis, & cùm antecedentibus minoris ſit formaturæ & ponderis, ita qvoq; vilior eſt. Obolus fortean erit ad modum Anglicanum in Dania cuſus, ad eum enim proximè accedit, pondus dimidii denarii habens, cujus Hiſtoriographi Anglici *Wilhelmus Thorne* & *Henricus Knyghton* & rationes Monaſterii S. Auguſtini Cantuarienſis ſæpius mentionem injiciunt, & qvadrantem præcedentis, ut inde dijudicatu facile ſit hoc denotari Anglicis Scribtoribus denarium dimidium, illis *halfe pens* dictum, ſicut qvadrans eſt *Ferthing*, ſeu qvarta denarii pars, qvemadmodum & ſagaciſſimus *Sperlingius* noſtras optimè ratiocinatur in diſſertatione de numis non cuſis pag. 207. Diximus qvoq; ſuprà Denarium Anglicum *Cnuti Magni* tempore ſe fermè habuiſſe

ut

ut duos aſſes Lubecenſes hodierni argenti puri, ut inde calculus tutò ſubducendus ſit, obolum fuiſſe unius aſſis Lubecenſis pondus & qvadrantem ſeu *Ferthing* ſex denariorum Lubecenſium ſive aſſis dimidii. Initio qvippe noſtrates eandem monetæ bonitatem, idem pondus, eundem valorem eundemq; fermè characterem habuiſſe non eſt qvòd dubitemus, cùm Anglis Monetariis monetæ noſtratis incunabula debeamus. Et ſicut ætas pondus denariorum valdè poſtea imminuit, ita obolorum magis, maximè verò qvadrantum, qvi hodie in Anglia aut ex ſtanno aut ære formantur, unde etiam tantam æreolorum noſtrorum congeriem profluxiſſe indubitanter colligimus. Ao. 1698. numus hic ſubmiſsè oblatus eſt Glorioſæ memoriæ Regi *Chriſtiano V.* à Purpurato ipſius *Trollio*, & mihi, editionem hanc ſecundam paranti, & comitum Regis tunc extremo, qvàm gratiosè in arce Roſenburgo Havniæ traditus, ut à me explicatus in Gazophylacio Regio deinde aſſervaretur. Primo itaq; intuitu in numi facie deprehendi CNVT REX Regisq; iconem, qvam juxta cæteros *Cnuti Magni* filiiq; numos ponens certè aliam vultûs habitusq; Regii diſpoſitionem obſervavi. Itaq; nullius niſi *Cnutonis IV.* martyris Othinienſis numulus hic eſſe poterit, cùm *Ælnothus* monachus in vita ipſius ſubindicet, Regem hunc *Cnut* ſeu *Cnutonem* in conſecratione ipſius faſtisq; Sanctorum *Canutum*, ex illorum temporum more, fuiſſe tandem qvodammodo transnominatum, qvo nomine reliqvi ejusdem nominis Daniæ Reges tam in numis qvàm rerum geſtarum monumentis conſtanter poſthac inſigniti leguntur. Cui accedit, qvod hactenus in coronis *Cnuti Magni* & Filii cognominis ex lamina tantùm conſurrexerint lilia coronam apertam indicantia, jam verò Rex diademate clauſo, inſtar coronæ, mitrâ intus obductâ, videtur, qvam ſupernè in medio, tum in utraq; coronæ extremitate uniones occupant, qvarum ſeries occipiti etiam hæret & mitram qvaſi ſuſtentat. Opulentus & operoſus eſt ille Auguſtorum ornatus, ſolis Principibus abſoluti dominii ſepoſitus, qvi ad Anglorum noſtratesq; Reges à Conſtantinopolitanis Imperatoribus haud dubiè derivatus eſt, indeq; vocatus imperialis, qvod freqventer à Græcis Imperatoribus hoc anadema fuerit uſurpatum. Ad inſtar tanti diadematis *Saxo Grammaticus lib. II. fol. 115.* enarrat, *Cnutonem* redimitum fuiſſe *coronâ, arte impenſaq; operoſiſſimè elaboratâ*, qvam in Fabricæ ſacrarii Roëskildenſis ornamentum dicavit. Eodem modo ſeqventes in numis cavis Daniæ Reges ſplendidè diademati conſpiciuntur, qvi tanqvam ſummi Imperatores in regnis ſuis ſunt habiti. Statuimus ergo in numulo hoc eminere Glorioſiſſimum Regem, Martyrem Othinienſem, *Cnuthonem IV.* ſive Sanctum, Principem, qvem breviarium Slesvicenſe commendat, fuiſſe *acutum ingenio, ſpecie decorum, armis & animâ ſtrenuum, mentisq; induſtria & oris facundia redolentem*. Ad exemplum Eccleſiaſticorum Patrum duram exercens vitam, tonſus qvoq; in numo hoc aſpicitur. Porrò amictum ſe colobio qvodam voluit eſſe, tunicâ nempe manicis deſtitutâ, ut bellicæ virtuti addictiſſimus eò melius aliqvando ſeſe in bello conſtitutum videret, gladiumq; ingentem, qvem hîc dextrâ tenet ſtrictum, expeditiùs vibraret. More itidem Romano, Principibus enim Romæ erat dedecori, in publicum prodiiſſe cum tunicis manicatis, prout *Lampridius in Commodo & Heliogabalo* nobis hunc detexit ritum. Veteres amictum hunc appellarunt ſaccum & ſaccineam tunicam, qvia ſacco haud abſimilis erat. Deinde in numi latere poſtico crucem parvam hæc ambit inſcribtio: VLKIL IN OƆC aut OÐG i.e. *Oxonia* ſeu *OTHenſea*. Ð enim

deno-

denotat apud Anglo-Saxones TH. Literæ ſunt, qvæ ærugine partim exeſæ oculos qvidem fugiunt, & adeo exactam non ſuppeditare poſſunt lectionem, perſvaſiſſimum tamen nobis eſt, numulum hunc potius eſſe typi Danici, qvàm Anglicani, cùm *Saxo Grammaticus* nobis *lib. II. f. 115.* qvoq; prodat, ſub hujus Regis imperio Lundis Scanorum monetariam fuiſſe inſtitutam officinam, conſtetq; ex ſerie *I. Epiſc. Othin. M. S. Cornelii Hamsfort*, *Cnutonem Magnum A.* 1020. in Daniam miſiſſe Reinerum, ut Fionos doceret religionem Chriſtianam. Negare ideo timemus, Regem hunc potentiſſimum in Dania una cum religione Othiniæ ſeu Othenſeæ, qvæ *Adamo Bremenſi* ſuo tempore fuit *Odanſe*, *civitas magna*, qvoq; monetarios & monetæ cuſtodes, æqve ac in urbibus Angliæ fuerunt, conſtituiſſe, & monetariæ rei apprimè expertos viros ex Anglia huc delatos eſſe. Qvamvis in hiſtoriis patriis de ea re altum ſit ſilentium, nec hujus monetæ indicium exſtare ſciamus, niſi qvòd Anglo-Saxonicum nomen proprium Monetarii ULKIL averſa numi pars nobis hoc præbeat, & *Arnoldus Hvitfeld. Chron. Epiſc. Dan. p. 99.* Arhuſienſis Diœceſeos II. Epiſcopum ULKILD numeret anno 1102. ſedentem, qvorum utrumq; nominis ſui originem ex Anglia traxiſſe nulli dubitamus: animadvertimus enim nomen hoc in Anglia claruiſſe, *Cnutone Magno* Londinum ſibi ſubjugante, dum ope comitis *Erici* juxta Londinum debellavit Magnatem ULFKIELD *Smilling*, à qvo totus ille tractus in campo Ringmarchithe ſuum ſortitus erat nomen, *Ulfkieldsland*, prout nobis retulit *Snorro Sturlæus Chron. Norvag. p. 186. & 187.* Anglicanum hunc eſſe numum & Oxoniæ procuſum exinde qvidam qvoq; ſentiunt, qvòd in averſa numuli parte legere geſtiant ULKIL IN ODC. Denegare illis hoc qvidem non aveo, modo nobis concedant, fuiſſe cognomines viros in utroq; regno, qvemadmodum & illos produximus, aliqvosq; eorum, *Cnutone* hoc regnante, hic & illic exſtitiſſe, qvi curam flandi feriundiq; numos habuerunt, de qvibus haud dubia attulimus teſtimonia, adeò ut ab iisdem non minus in Dania, qvam in Anglia procuſi fuerint numi in gratiam Regis, Angliam jam jam recuperaturi. Cui tandem accedit, qvòd *Joh. Iſaacius Pontanus rer. Dan. hiſt. libr. V. p. 197.* etiam referat, tantam in Dania anno 1085., Rege hoc imperante, fuiſſe freqventiam Anglorum, *qvi in Daniam tædio Normannicæ dominationis profugi, ut qvotidianis qvaſi in comitiis ad arma adversùs Gulielmum, Regni Angliæ violentum inſeſſorem, capeſſenda Cnutonem hunc ſolicitaverint* atq; adeò numis etiam opem Regis eblanditi fuerint.

Deniq; ex latiori & ſtricto gladio χρυσενδέτῳ, *Snorroni Sturlæo Chron. Norvag. p. 300.* **Guldhialtin** dicta, qvia capulo aureo clauſa ſive vincta erat, qvam Rex erectam hic præfert, ſuſpicamur, eum pugnam contra *Gulielmum*, injuſtum illum Angliæ poſſeſſorem, moliturum ſic ſe procudi voluiſſe, Monetariosq; ſeu ſculptores illos eum ſic typo inſculpere amaſſe: Nam non dolebat ſolùm Patris indultu Angliam amiſſam, ſed & votis repoſcebat aſſiduis, donec claſſe inſtructa jacturam tanti imperii vi reparare ex ſinu Lymico, fide fraterna tamen fruſtratus, tentaret. Ex qvo, pietatis zelo magis accenſus, ob decimas frugum plebi in uſum ſacrorum indictas, in Fioniam usq; à malevolis ſubditis fugatus, & Othenſeæ in templo S. Albani precibus inſiſtens die 10 Julii anno 1086. obtruncatur, Daniæ ſeptennis Rex, cujus vitam ſanctam & ſeveram gloriæ & celebritatis fructu opulentiſſimam ſplendidum in faſtis obtinniſſe locum *Saxo Grammaticus* ſatis deprædicat.

TAB. XXV.

No. 44. †. CNVT REX. *Icon Regis ejusdem, eodem modo, qvo in priori numo, amicta & armata, nisi qvòd hîc galeam rotundam videatur induta.*

†. AILNOÐ. I. RO. *Erit fortean* AELNOTH*us in* RO*eskildia seu* RO*chester. Crux brevis & lata in area hujus aversæ.*

Ejusdem formaturæ cum antecedenti numus est, idem enim habet χάραγμα atq; prior, qvi Regis Cnuti Sancti esse censetur, ejusq; eadem est magnitudo, eadem probitas metalli, eadem distantia literarum, ut disjungere non possimus eum ab illo ævo. Et nulli dubitamus, qvin hic Roeskildensis incudis potius sit, qvàm Roffensis, cùm clarè satis ex historia patria pateat, Regem hunc Lundis Scanorum suo ævo habuisse officinam monetariam ante se erectam, cujus fructus ad partem qvartam Archiepiscopo ejusdem loci gratiosè admodum erant concessi, adeo ut antiqvitatum nostrarum secretarii, qvi cursum rerum eventorumq; consequentiam notarunt, nobiscum haud inficias iverint, Roeskildiæ, qvæ sedes tunc temporis diu fuit Episcopalis, qvoq; exstitisse monetam, qvam Regis *Valdemari I.* tempore illic postea viguisse *Saxo Grammaticus*, Regis ejusdem synchronus nobis suprà retulit. Nec credimus, Cnuti S. patrem, Regem Svenonem Estrithæ filium, adeò sui juris monetæ cudendæ tenacem fuisse, ut Wilhelmo, Episcopo Roeskildensi, qvi inter cæteros narratur ipsi carissimus, haud minus atq; filius ejus Lundensi Archiepiscopo, potestatem cudendi monetam, nomine Regis, Roeskildiæ partemq; aliqvam in fructibus monetæ denegare voluerit, &, qvod consequens est, sic numisma Regium Roeskildiæ qvoq;, Cnuto Sancto imperante, crevisse indubitanter colligimus.

REGIS SVENONIS GRAATE-HEDE, sive III.

TAB. XXV.

No. 46. †. SVEIN. *Regis barbati icon mitrâ Regiâ induta & sceptrum crucigerum tenens.*

†. LIIYIE DEI. *Crux numi aream pertransiens, cujus extremitates qvatuor qvasi coronis qvatuor apertis sunt ornatæ & in angulis ejus interioribus qvatuor lilia.*

No. 47. †. KTILϘ. *Regis Svenonis ejusdem icuncula priori planè similis, nisi qvòd Rex hîc anonymus non adeò barbatus sceptrum liligerum gerat.*

†. VVIBERGV. *Erit* VV*iberga*, A *enim antiqvis absq; transversa linea erat scribtum & hîc incuriâ sculptoris deorsum, qvod sursum debuerat ponere, insculptum, qvemadmodum rudis illa ætas sæpenumero literas suas perversè in numis expressit, nisi qvis maluerit hîc exstare* VVibergv, *qvod in aliis ejusdem commatis numis expressius* VVibergvm, *hîc verò ob oræ angustiam abbreviatum. Crux præterea eâdem formâ, qvâ ad numum priorem est describta.*

Numi sunt notatu dignissimi, in primi facie prima conspicitur vultus Regis barbati & qvidem acuminatâ barbâ, cum mitra, qvæ flagella depen-

dentia habet, qvibus cæſaries prolixa involvebatur, ne pulvere aut madore nimio corrumperetur, habetq; ante faciem ſceptrum, cum inſcribtione ſupra verticem Regis adſcribtâ : SVEIN. Regis cujusdam Daniæ eſſe ejusdem commatis numi, qvos vidimus, explicant, in qvibus diſerte legitur SVEIN REX, qvemadmodum & hîc ex ejusdem formaturæ numo, Wibergæ cuſo, tutò colligimus. Ad Svenonem *Tiufveskæg* hi numi tamen, ut qvidam putant, non poſſunt referri, debebat enim barba eſſe fiſſa ſecundùm cognomen ejus, qvod inde impoſuerunt, at talis hîc non reperitur, ut potius fermè imberbis hic in numo, qvi ſeqvitur, antica parte reperiatur. Et præterea vehementer dubitari poteſt, an Svenonis *Tiufveskægs* i. e. fiſſæ barbæ tempore Danis adhuc moneta propria fuerit, nec verò ſuperſtite hoc Rege, Wibergæ epiſcopatus in monumentis patriis memoratur inſtitutus, nec antea ibi florere cœpiſſe monetam conſeqvens eſt. Et qvamvis Sveno Eſtrithæ filius ejusdem epiſcopatûs fuerit conſtitutor magnus, numos hos tamen ad eundem referre valdè timemus, qvod nondum illo tempore monetæ Danicæ ita conſtitutæ eſſe potuerint, ut ad civitates, prout numus hîc proximè ſeqvens nos docet de Wiberga, ſe porrexerint. Nam Svenonis Graatehede tempore primùm civitatum numismata gliſcere cœperunt, cujus rei teſtes inſeqventes numi, nomine urbium inſigniti; nobis aſſiſtent. Nec alio nomine, qvàm SVEIN *Helmoldo* in Chronico Slavorum, uti hîc in numo, Rex idem venit. Nihil igitur ſupereſt, qvam ut ad Svenonem hunc, cui agnomen fuit inditum à campo *Graatehede*, ſive *Grotemoſe*, prout Erici Regis, qvod habetur, Chronicon memorat, inter pontem Weirumenſem & Wibergam ſito, in qvo cæſus eſt anno 1157., hunc ſeqventemq; numum pertinere dicamus ejusq; vultum in utroq; expreſſum aſſeveremus. Idem enim in utriusq; numi prima facie fermè eſt habitus regiæ effigiei, eadem corporis forma & poſitura, eadem literarum diſpoſitio & formatura, eademq; crux in utriusq; poſtica parte reperitur, ut ejusdem incudis absq; dubio cenſeri poſſint Wibergæ cuſi, eadem in urbe, qvæ in Cherſoneſo Jutica locata, noſtratibus jam Wiborg/ & *Helmoldo in Chron. Slavorum lib.* 1. *p.* 197. Wibergis dicitur. His ita poſitis, qværitur de averſa inſcribtione numi primi, LIIYIL DEI, erit fortean CIVIS DEI : Multum enim monetæ ſculptores in literis inſcribtionum errarunt, & pro S hîc inciſor in fine vocis CIVIS poſuit C, ejusdem qvod propemodum ſoni, cujus ab initio vocabuli eſt, putavit eſſe. Verum qvidem eſt, Regem Svein non adeò bonum exſtitiſſe Dei civem, qvi vulpinam induere calluit, cùm Marte aperto hoſtes ſuos adoriri non potuerit, de ſumma rerum in Dania cùm Principibus conſobrinis, *Canuto Magni* & *Waldemaro*, Divi Canuti filio, certans. *Regnavit Svein*, inqvit, *Helmoldus lib.* 1. *Chron. Slav. p.* 164., *cum maxima tyrannide, maximis ſemper victoriis fortunatus. Slavorum furiis minus obſtitit, præliis irretitus domeſticis.* At qvantâ clementiâ erga innocuos fuerit Svein, *Helmoldus* nobis ibidem pag. 196. teſtis invitus erit, qvi effatum Svenonis, jam in regni limitibus fortiſſimi Ducis Henrici Leonis ope conſiſtentis, ſic adfert : *Dixit ad Ducem* : *Caſſus eſt labor noſter, melius eſt, ut redeamus. Qvid enim prodeſt, ſi vaſtaverimus terram & ſpoliaverimus innocentes? Volentibus nobis cum hoſtibus confligere, locus non eſt, eò qvòd profugiant à nobis & tranſeant ad interiora maris.* Nec adeò erga Clerum immitis Rex Svein, qvi Eskillum, Lundenſium Præſulem, apud ſe proditionis publicæ accerſitum, convictum & in vincula conjectum non ſolùm è carcere emitti juſſit, ſed & præ-

diis

diis opimis liberaliter donavit, ut ex inimico amicum atq; obſtrictum ſibi redderet, ſimul metuens anathematis Pontificii fulmen. Planè itaq; haud immeritò hic in numi poſtica CIVIS DEI inſculpitur, aut talis ulteriùs optatur. Prætera ex numo, qvi hic ſub numero 37. Tabulæ XXVII. ſeqvitur, indubitanter elicitur Regem hunc ſub nomine Petri ſocietati cuidam ſacræ ſe ut membrum præcipuum ac civem Dei addixiſſe. Jam de antica numi, qvi hic ſeqvitur, inſcribtione KTIL9. Ejusdem nominis qvidem exſtitit Wibergæ Epiſcopus, qvi ſedem tenuit ſub Regibus Daniæ, Erico Emundo, Erico Agno, Cnuto V. & Svenone Graatehede, & qvem *Joh. Adolph. Cypræus* tantùm Sacerdotem, Confeſſorem & Martyrem ex Breviario Slesvicenſi nominat in *hiſt. Eccleſ. Slesv. pag. 182. 183. Legenda* verò *M.S. Sanct. Regn. Daciæ* Præpoſitum vocant; natum apud Jutos in confinio Randroſiæ & villâ Wynghe è proſapia nobilium, qvi Kander, i. e. Canthari, poſtea nuncupabantur. At qvantum judicare poſſumus, non de Ketillo Epiſcopo numus hic intelligendus: neq; enim Epiſcoporum nomina poſt terga Regis ponebantur, ſed illorum nomina in averſâ numorum plerumq; cum illorum vultu, qvemadmodum ex numismatis hîc allatis patet, ſeorſim leguntur, qvoniam ambitioſiores olim erant Epiſcopi noſtrates, qvàm ut Regibus à tergo ſua nomina accommodari paſſi ſint, unde procliviores ſumus in eam ſententiam, Monetarii tunc Wibergenſis nomen hic expreſſum, prout adhuc moris eſt, in numismatibus Regiis qvandoq; Monetarii, qvandoq; inciſoris nomen addere, & ideo hic nihil aliud indicari nomine illo KTIL9, ita collocato & abſolutè poſito, qvam Ketillum Monetarium Wibergenſem, cujus denominationem poſtica numi inſcribtio WIBERGA nobis adfert, eundemq; numum in Svenonis Graatehede gratiam procuſum fuiſſe, ut favorem ſuum, qvo Svenonem proſeqvebatur, oſtenderet, crucem verò in poſtico expreſſit, qvod Epiſcopalis civitas eſſet & jure monetæ donata, fortean à Svenone hoc, qvi illius civitatis ope & beneficio victoriam præcipuè contra Cnutum, regni competitorem, obtinuerat. Alius non poterit eſſe KTIL9 ſeu Ketillus, præſertim qvia ejusdem χαράγματος & formæ in Nobiliſſimi *Nicolai Foſſii* penu numismatum vernaculorum perbene inſtructo qvoqve datur numus Wibergæ, qvemadmodum noſtri, ex puro argento cuſus, fermè eandem Regis, etiam anonymi, effigiem præ ſe ferens, cujus verticem terga versùs nomen †ÐORBVERN ambit, ita poſt crucem parvam diſpoſitis ab invicem literis ÐORBVE-R-N., ut R. legatur poſt flagella mitræ, & N. infrà ante ſceptrum & pectus Regis, ex qvibus clarè ſatis elicitur nomen Thorbvernus. Adeò ut nullius viri, niſi monetalis, hoc poterit eſſe nomen, cùm in hiſtoriis patriis ejusdem nominis Archiepiſcopus aut Epiſcopus ſub qvoqvam Regum Daniæ ſedens ne qvidem memoretur, nec qvisqvam Regum Septentrionis noſtri nomine aut Ketilli aut Thorbuerni, ad iconem Regis hic expreſſo, veniat. Cuſtodes itaq; numismatis Regii Ketillus & Thorbuernus Wibergæ omninò fuerunt, qvorum ultimus, ſi non ipſiſſimus fuerit, cognominem habuit virum eximiæ nobilitatis, Rege Svenone Graatehede, haud procul urbe Roeskildiâ prædium ſuum habentem, qvi adeò Regi huic carus fuit, ut filiolam ſuam ibidem educari voluerit, Thorberni uxore rerum moderatrice, uti ex hiſtoria *Saxonis Grammatici lib. XIV. pag.* 275. ſatis pateſcit. Temporibus hujus Svenonis qvoq; memorat *Joh. Iſaac. Pontanus* l. 5. p. 229. illuſtri famâ & inter Danos præcipuâ nobilitate, præter cæteros celebratum Thorbiornum fuiſſe.

Et qvamvis de moneta civitatis Wibergenſis illis temporibus nihil nos doceant hiſtoriæ, attamen ex numis hiſce rerumq; conſeqventia proclive eſt firmiter concludere monetam Wibergæ, Rege hoc gubernante, viguiſſe, ſperamusq; ideo nos habuiſſe prægnantem cauſam numos hos ſeqventesq; ita explicare.

Tab. XXVII.

No. 30. SVENO REX. *Caput Regis fermè imberbis, coronâ ſeu mitrâ Regiâ inſignitum, pectore, ut apparet, chlamydato.*

Amiſsâ Angliâ, non uno qvaſi impetu immutatam credimus Danicæ Monetæ faciem, nam ſi qvos inde Daniæ Reges habuerint monetales viros, uti vero conſentaneum eſt, Romanæ artis reſiduum nitorem, ex Anglia ſecum delatum, non adeò perditum iri eos permiſiſſe, ut bracteatos cuderent numos, perſvademur. Itaq; numos percuti voluerunt ſolidos & ab utraq; parte ſignatos, faciem qvidem Regis dimidiam oſtendentes, ut in Anglicâ fieri aſſolebat monetâ, tenues autem & ferè bracteales, prout Commentatores ad *Joh. Spelmannum* Tab. 2. *de num. Sax. in Ælfredi Mag. vita* Anglo-Saxonicos deſcribunt. Danicos deinde numos more Anglicano fuiſſe cuſos facilè concedimus, ut numos penitus bracteatos & concavos non diu poſt amiſſum anno 1042. Angliæ regnum in Dania percuſſos fuiſſe timeamus ſtatuere. Tales tamen numos vix ultra dimidium ſeculi noni perſtitiſſe credimus, qvin etiam nec ante ſeculum nonum eos ſuperfuiſſe unqvam obſervari potuit, nec ante Henricum Angliæ Regem, qvi ſeculo XII. & ab anno 1108. primus tales produxit numos. Ab Anglis qvoq; Reges noſtrates, qvemadmodum ex numismatum horum ſenio hic percipimus, circa annum 1148. & poſtea Henricus Leo circa annum 1180. primum in ſuas terras has formas numorum cudendorum attulerunt, poſt eas alias urbes ac Principes iis uti cœpiſſe per Germaniam totam conſtat, magna enim ſeges ubiq; exſtat, raròq; in Germania aliorum, & in ſeculum usq; XV. hos numos cudi perrexiſſe per Germaniam ipſi numi hac formâ ſignati teſtantur, de qvibus fuſiùs Polyhiſtor noſtras *D. Ottho Sperlingius in Ep. de num. cavis.* Prohibet igitur numorum jam prolata ætas, ut ad ſuperioris ſeculi in Dania Reges *Svenones* aut *admorſæ barbæ* aut *Eſtrithæ* filium numos hoſce concavos & bracteatos trahamus. Proinde erit numus *Svenonum* ultimi, qvi in Daniæ regno ad imperii clavum ab anno 1148. usq; ad 1156. una cum *Cnuto* filio *Magni* & *Valdemaro I.*, ad qvem deinde regnum ſolum rediit, ſedit, cujus juvenem vultum, numus hic puriſſimi metalli argenteus & concavus in medio continet, capite mitrâ regiâ, cujus meditullium & extrema unionibus inſigni magnitudine ſunt conſpicua, evincto, mitram qvoq; & lamina lata & continua margaritis ſeu gemmis artificiosè diſtincta ambit: diadema opertum eſt, æqve ac *Cnuti Sancti*, formæ tamen, præſertim in lamina, aliqvantò elegantioris. Haud dubiè à civitate qvadam, huic *Svenoni* addictiſſima, ſignatus eſſe hic numus cenſetur, qvemadmodum inſeqventes civitatum numi ſuum qvodq; profeſſi ſunt monetæ nomen, addito vultu Regis anonymi, qvem eadem civitas ſuo fortè proſeqvebatur amore: Qvippe de ſumma rerum *Svenoni* huic cum *Cnuto* filio *Magni* & *Valdemaro* primo ſumma erat contentio & hinc dubia Danis opinio, qvem ex his præficerent imperio. De vultu igitur in numis his, qvi præ ſe ferunt Regias icones & anonymas, agnoſcere Reges ob officinarum & hinc inde facierum varietatem penitus deſperaremus, niſi qvi-

qvilibet numus aliqvo modo ſuum commendaret artificem, & *Saxo Grammat. lib. 14. fol. 139.* nos de Regis *Svenonis* vario habitu corporisq; cultu certiores faceret. *Spreto*, inqvit de eo Saxo, *Danico ritu, Germanicum æmulatus eſt. Nam & cultum Saxonicum ſumpſit militumq; ſtudia ad ſimilis veſtis uſum adduxit.* Pectore proinde chlamydato & militarem habitum referente hîc incedere voluit Rex. Ut ergo Jutiæ urbes ſuum in Regem, cujus imperio ſtare deſiderabant, oſtenderent amorem, ejusdem vultu, nomine verò ſuo numos hoſce inſigniri curarunt. Primum ſeſe hîc offert

TAB. XXVII.

No. 31. RANDROSIA. Oppidum eſt egregium territorii Arhuſienſis, ad Gudium flumen in Cherſoneſo noſtra ſitum, **Randers** appellatum.

Numisma hoc concavum præterea habet Regem diadematum *ἀδροπώγωνα*, qvi plena barba mentum operit, capillo reflexo. Deinde

No. 32. HERINGA. Vetus illa Diœceſeos in Cimbria Aalburgenſis, olim Borglumenſis, civitas eſt, comitiis Vendelicis qvondam præclara ſedes, nunc **Hiøring** dicta. Numô hôc eadem civitas ſuam qvoq; exſerere voluit fidem erga Regem eundem, qvi mitrâ Regiâ ſeu coronâ opertâ pellitus apparet. *Pelliceos* enim & egregiè veſtitos eô ſeculô, qvô Rex *Sveno* vixit, majores noſtros habuiſſe Reges, Principes & Magnates, nobis *Helmoldus*, qvi ſeculo eodem circa annum 1140. vixit & ſcribſit, *Chron. Slavor. lib. I. cap. I.* autor eſt, de Pruzis ſic loqvens: *Pellibus abundant peregrinis, qvarum odor lethiferum noſtro orbi ſuperbiæ venenum propinavit, qvi ad marturinam veſtem anhelamus, qvaſi ad ſummam beatitudinem.* Itaq; partim priſco more amictum ſe hic voluit Rex, cujus majores, qvemadmodum adhuc Lappones, exteriùs pellium pilos geſſerunt, glabra parte interius obverſa, qvomodo frigus longè meliùs arcebant majores, naturam pellium in his ſecuti & ſua commoda, qvi, Chriſtiani jam facti, arte pellionum tantùm in patagiis & fimbriis exterius pellium hirſutam partem obverſam geſtabant, interiùs verò pelles in totum inverſo ordine, veſtimento, uti nunc fit, ſubductas voluerunt, qvomodo Regem hunc veſtitum fuiſſe credimus.

Poſtea in Regem eundem ſuum qvoq; conteſtata eſt amorem numismate hoc:

No. 33. ALABURGA, qvæ urbs in Cimbria ad Lymicum ſinum eſt celeberrima, Diœceſeos ejusdem caput conſpicuum, Aalburgum nunc vocatum, ex cujus monaſterii agro prope urbem eandem numi hi omnes bracteati & concavi ante aliqvot annos ſunt eruti & partim à me perqvam ſubmiſsè huc allati. Diœceſis hæc olim Borglumenſis usq; ad annum 1536. fuit denominata à ſede Epiſcopi, qvæ cœnobium erat Borglum: Anno qvippe eodem Stygotus Pontificiæ Religionis Præſul ultimus Epiſcopatui renunciare coactus fuit, cui ad vitam monaſterium hoc fuit conceſſum, unde, qvi eum ſecuti ſunt, repurgatæ religionis Epiſcopi Aalburgum inhabitare cœperunt, qvod Diœceſi huic deinde ſuum indidit nomen. Regiè mitratus eſt Rex idem in numo hoc immiſſâ barbâ & capillis itidem flexis, annulos & nodos qvodammodo exprimentibus. Patrio more deinde amictus exſtat pallio plicato, veſtimenti genere, qvod majoribus noſtris dicebatur *Faldones*, à plicis, nobis **Folder** & Germanis **Falten**, ſic denominato, qvemadmodum & hujus Regis *σύγχρονος* ſcriptor

Helmoldus Chron. Slavor. lib. 1. cap. 1. circa annum 1140. enarrat: *Pro laneis indumentis, qvæ nos appellamus Faldones, illi* (Pruzi) *offerunt tam pretioſos martures.*

TAB. XXVII.

No. 34. SVENO. Nomen eſt Regium, qvod crux in numo hoc concavo angulatim habet & niſi nos omnia fallunt, etiam numus hic ad *Svenonem Graatehede* referri interq; numos civitatum annumerari debet, utpote inſeqventibus numis in civitatibus procuſis ſimillimus.

No. 35. RAND. In crucis angulis numus habet literas, qvas interpretari nobis aliter non contingit, qvàm RANDruſium: oppidum in Cherſoneſo noſtra territorii Arhuſienſis amœnum, qvod ad Gudium flumen Arhuſiâ qvatuor milliaribus versùs ſeptentrionem diſtat & ad peninſulæ hujus orientale littus vergens Balthicum mare vicinum habet. Fuit qvondam urbs propugnaculis firmiſſimis cincta, narrat enim *Joh. Iſacius Pontanus* rerum Danic. hiſt. lib. VII. pag. 488. *Jutis rebellionem anno 1359. moventibus Valdemarum IV. aliqvot ſuorum in Jutiam miſiſſe, qvi Randruſium arietibus, balliſtis, aliisq; belli machinis oppugnationi deſtinatis circumqvaq; incingerent, ſed obſeſſi, priusqvam reliqva manus accederet, eruptione tentata profligarunt obſidentes.* Nec usq; adeò hujus urbis vires fuerunt deinde attenuatæ, qvin juſſu regis navem bellicam, qvæ tunc temporis inter maximas cenſebatur, 80. viris armisq; bene inſtructam ope urbis Arhuſiæ anno 1531. in aciem emittere potuerit.

No. 36. ARAS. Sunt literæ, qvæ crucem in numo hoc ambientes conficiunt, nomen urbis in Jutia Epiſcopatu nobilitatæ, qvæ chorographis noſtris Arhuſium ſive Arhuſia appellatur, & à tractu ſuperiori Lysbergico circa annum 1102. ad litus proximum translata, qvemadmodum *Hvitfeld. Chron. Epiſc. Dan. pag. 99.* memorat, plane maritima eſt facta, ortivam Cherſoneſi noſtræ partem in ora ipſa Balthici maris tenens. *Knytlingorum* hiſtoria M. S. urbem eandem nomine priſco etiam ARAS cap. 20. inſignivit, ad littora ejusdem urbis maritimum conflictum inter Reges Magnum Bonum & Svenonem Eſtrithium ponens.

No. 37. PETRVS. *haſce ſex literas crux ſexangularis in numo angulatim habet.*

Ab altera parte:

†. REX *in angulis qvadratæ crucis exſtat.*

Numulus hic ſolidus rubigine abſumptus videtur, qvod literæ in prima ipſius facie exeſæ ideoq; à ſculptore punctatæ indicant, ferreus eſt indeq; vilis, nobis verò rariſſimus. *Julius Cæſar de bell. Gall. lib. V.* qvidem memorat, *Britannos* ſuo tempore *uſos fuiſſe ferreis taleis ad certum pondus examinatis pro numo*, numulis verò nullis ejusdem farinæ, qvos Græciæ urbes primùm produxerunt. Et qvamvis puros putos ferreos Româ nobis *Savot* afferat, alios tamen non ſuſpicamur, qvàm denarios Romanos bracteâ qvadam argentea qvondam obductos, Galli vocant eosdem *Medailles fourrées* & mediæ ætatis Latini eos dixerunt *numos forratos*, qvi nobis ſunt **foerede Penge**/ voce illis natâ ex Danica & Germanica lingvis, cùm & Germani hos vocitent **gefütterte Pfennige**. Numi ſcilicet hi ferrum tegebant, ſub argento, qvod terræ, in qva tot delituêre annos, acrimoniâ & rubigine ferri adeo abroſum eſt, ut planè

nè devenerint ferrei. Pace ergo antiqvariorum recenſemus, laminâ tenui, qvæ argentea fuiſſe creditur, exeſâ, qvia *Svenonis Graatehede* tempore ars cudendi numos concavos non ſolùm in Dania & Germania, æqve ac olim Romæ ferrum argentò obtectum cudebatur, viguit, ſed etiam ex artis monetariæ præceptis ferrum bracteâ qvadam argentea obductum ſignare ejusdem temporis monetarii facilè ſciverunt. Proinde perqvam rarus hic nobis eſt numus, qvemadmodum & de Romanis *La ſcience des Medailles* Amſtelrodami 1693. impreſſa cenſet: *Lorsqve les Medailles fourrées ont une teſte & un revers curieux, elles ſont ordinairement rares & d'un plus grand prix que celles, qui ſont de bon alloy.* Noſtratem diximus & ad Regem Danicum pertinere nulli dubitamus, ſed cùm Regem nullum inter Danos hoc nomine habeamus, qvid de illo tandem ſtatuendum proferamus? Eccleſiaſtici, qvos numum hunc procudiſſe nobis perſvaſiſſimum eſt, SVEIN & SVENONis nomen adeò barbarum exiſtimarunt, ut licet in numis aliqvando reperiatur, illud tamen in numis, qvos cudi fecerunt, ferre neqviverint. Exemplum nobis erit *Cnuto* ille *Magnus* Daniæ, Angliæ &c. Rex, cujus nomen uti in baptismo ità & in faſtis ſacris mutarunt in *Lambricht*, qvemadmodum *Scholiaſtes Adam. Bremenſis, edit. Vellejo lib. 2. c. 36.* in margine indicat, ſentiebant enim Eccleſiaſtici nomen CNVT eſſe ethnicum & barbarum, prout Norvagi gentiles contrà deteſtati ſunt Chriſtianum nomen *Jacobi* Regis *Olai Digre*, i. e. craſſi, filii, qvi eum Regem conſtituentes nomine ethnico *Aumund* inſigniverunt. *Chron. Norvag. Snorr. Sturlæi pag. 232.* Regem igitur *Svenonem Graatehede* Eccleſiaſtici PETRI nomine ex ea cauſa donarunt, ne etiam barbarum & gentile ejus nomen SVEN ſive SVEIN inter illorum ſacra pronunciaretur. Teſtes hic nobis erunt *Ottho Friſingenſis* & *Abbas Trithemius*, ex qvibus *Joh. Iſacius Pontanus* in *chorograph. Dan. p. 766.* hoc attulit & roboravit, unde Eccleſiaſtici, qvi jus numos cudendi habebant, illos etiam ſub nomine PETRI ex cœnobio qvodam prodire amarunt. Alii aliam addunt mutati nominis rationem, haud vero abſonum eſſe dicentes, Regem hunc in Saxonia per biennium, & qvod excedit, exulem & ordinum omnium auxilia ibi flagitantem fraternitati cuidam ſe ſub PETRI nomine aſſociaſſe, de qvo ſcribtores externi eum agnoverunt, ſed res fermè eodem recidit. Cujusnam verò Abbatis aut cœnobii numulus hic noſter ſit, omnimodo nos fugit, & niſi ſcribtores laudati hoc Regis nomen obſervaſſent, planè qvid PETRVS ille Rex in Danica hiſtoria ſignificaret, nos in æternum lateret.

REGIS CANUTI V. ſeu MAGNI FILII.

TAB. XXVII.

No. 38. CANVT. REX. *Ejusdem Regis vultus gratioſus, coronato vertice.*

No. 39. ARHUSIA. *Regis ejusdem icon coronata.*

Bracteatos illos & concavos numos nullius eſſe autumamus, qvàm *Canuti Magni filii*, qvem hiſtoriæ numerant qvintum ejus nominis Regem, nepotem *Nicolai* Regis è filio *Magno*, percuſſore *Canuti* Regis Obotritorum. Illius enim, præ *Canuto VI.*, *Valdemari I.* filio, numos hos eſſe perſentimus, tum qvòd

qvòd Anti-Regis *Svenonis Graate* ſeu *Graatehede* ſimillimi ſint, & numorum formaturâ & vultûs poſiturâ. Nec ad priores *Cnutos* eos referre audemus, qvoniam Reges illi cognomines & in numis & hiſtoriis patriis ſemper vocitati ſunt *Cnuti* & *Cnuthones*, & *Ælnothus* antea laudatus etiam narrat *Canutum IV.* qvem S. & Martyrem Othinienſem vocamus, ante apotheoſin tantùm vocatum fuiſſe *Cnuthonem*, qvi poſtea in Sanctorum faſtis, precibus Eccleſiaſticorum, ſub nomine CANUTI commendatus, ſplendidum primò obtinuit locum. Erit itaq; ille numus, ut meminimus, *Canuti Magni filii*, Regiæ juventutis in Dania Principis, qvi vario Marte cum *Svenone Graatehede* de dominatione, qvamvis etiam conſobrini *Valdemari I.*, S. *Canuti Obotriti filii*, ſocietate corroboratus, certaverit, eum tamen adeò fortiter urſit, ut *Sveno* in exilium actus demum poſt biennium rediens *Canuto* huic & *Valdemaro I.* aliqvas regni lacinias, ut reliqvas in pace poſſideret, cedere coactus fuerit. Ob talem imperii ſui diminutionem in convivio qvodam Roëskildiæ cædem, utriq; intentatam, in *Canutum* ſolum peragere ipſi contigit, qvi eum anno 1156. vigiliis Sancti Laurentii ibidem trucidari curavit, fugam *Valdemaro I.* feliciter capeſſente. Juniorem item *Svenone Graatehede* hunc fuiſſe *Canutum* ex ſede honoratiori, qvam *Joh. Iſac. Pontanus* memorat *Svenonem* ob ætatem occupaſſe in eodem convivio, conſtat; qvomodo etiam vultu majeſtatis pleno, capillis reflexis & coronâ elegantiùs opertâ redimitis, palliò in humero dextro duplicatò & fibulâ ſtrictò, admodum juvenis in numis hiſce aſpicitur. Utrosq; Aroſiæ, cujus in Jutia poſitum ad numum ſub Num. 36. hujus tabulæ deſcripſimus, procuſos eſſe, ex poſterioris numi facie certò conjicimus. Deniq; & illud in hoc numo obſervari meretur, qvòd urbs hæc, qvæ in numo laudato *Aras* eſt vocitata, hìc *Arhuſia*, uti & C. *Lyſchandro in Synopſi Hiſt. Dan.*, poſtea compoſitionem, qvaſi *domus remorum*, exhibenti, & ex eo Chorographis corruptè dicatur, qvam vetuſtiores membranæ numiq; *Aras* vel *Aros* rectiùs ubiq; nominant: denotat enim nobis *A*, ſeu *Aa*, adhuc amnem, & *Os* ſeu *Aaos* antiqvis profundum amnis oſtium fuit, unde *Aros* ſeu *Aaraos*, contractiùs *Aroſia*, ſecundùm oppidi ſitum concinniùs reſultat, qvemadmodum & compluribus oppidis ex eadem cauſa impoſitum fuit idem nomen, ut *Nidaroſiæ* nobili Trondenſium urbi, ad oſtium amnis *Nid* fundatæ, id qvod poſtea fuſiùs demonſtrabimus. *Ar* enim eſt gignendi caſus antiqvus nominis *A* ſeu *Aa*, qvod nobis flumen ſeu amnem eſſe diximus.

REGIS VALDEMARI I.

TAB. XXVII.

No. 40. †. HORS. Cavus hic Regis *Valdemari I.* numus cenſetur, qvi caput Regis præ ſe fert imberbe, hinc & alia vultûs diſpoſitione, qvam ſolent eſſe *Svenonis Graatehede*, aut *Canuti Magni filii*, numi, qvi aut macilentam aut tenuem exhibent faciem, ita ut tutò alius Regis numum dicere hunc liceat. Et qvoniam eorundem Regum tempore inter Daniæ ſubditos erat contentio magna, qvem ex tribus ſua fide proſeqverentur Regem, hinc q; in cujuslibet Regis amorem, etiam omiſſo nomine ejus, ſuos cudere numos amarunt. Non eſt ergo, qvòd dubitemus, etiam in Regis *Valdemari I.* de imperio concertantis gratiam aliqvos ab urbium Præſidibus fuiſſe cuſos ejusdem formaturæ

turæ numos, qvemadmodum hic urbs HORSneſium, Cherſoneſi noſtræ oppidum, qvod ab Aroſia, capite Dicæceſcos ejusdem conſpicuo, ſecundum & auſtrum versùs *Pontano in Chorograph. Dan.* ponitur, ad Cherſoneſi ejusdem litus ortivum vergens, ſuo nomine Regis ejusdem faciem gravem & amplam, pulcrè exporrecto & regiè adunco naſo in numo hoc forſitan exprimi voluit. Mirari hic ſatis licet, tam paucos tanti Regis ſupereſſe numos, qvi anno 1157. *Svenonem Graatehede* aperto opprimens Marte lacerum Daniæ Regnum ſub unos colligavit faſces, multa (per 25. annos imperii) reſtituit & reſtituta ampliavit, qvomodo etiam teſte *Saxon. Grammat. hiſt. Dan. lib. XIV. fol. 148.* ſtatim ab initio imperii numismatis Regii adminiſtrationem Roëskildiæ habuit. Huic aſſentitur, ut ſuprà meminimus, privilegium ejusdem Regis M. S. Monaſterio Beatæ Mariæ Virginis de Eſrom, de villa Steinholt datum, ubi mentio fit *Stubæ* (i. e. hypocauſti) *Gerhardi Monetarii*, in qva Roëskildiæ id conceſſum fuit, traditum verò in caſtro per manum Domini *Abſolonis*, ſanctæ, ut dicitur, Roëskildenſis Eccleſiæ Epiſcopi, & Svenonis cognati ipſius. At paucitatis horum & ex parte inſeqventium numorum veram nobis reddit rationem ſagaciſſimus *Sperlingius* noſtras, in notis perqvam doctis, qvibus Lundenſis Archiepiſcopi Abſolonis teſtamentum M. S. ex meo antiqvitatum penu, qvamvis paupere, ipſi communicatum illuſtravit, & Havniæ anno 1696. edidit. *Novimus*, inqvit pag. 57. *veteres denarios, qvi priſtinæ bonitatis erant, qvoties novi cuderentur, ſedulò conqviſitos fuiſſe, & monetam edictis ſeveris propoſitis, redire debuiſſe. Sic ut mirum non videatur tam paucos numulos veteris monetæ ſupereſſe & qvi ſuperſunt eſſe ex vilioribus, qvòd præſtantiores argentariorum avaritia jam dudum uncis manibus traxerit.* Cauſam itaq; non habemus negare, Rege hoc Magno ad gubernacula regni per tot annos ſedente, monetam Danicam qvidem ulteriora ſumſiſſe incrementa; at non adeò antiqvæ bonitatis, cujus teſtes ſunt Regis ejusdem numi, qvos exiliores & aliqvantum ære ſuffarcinatos, hìc TAB. XXV. No. 30. & 31. deſcribtos adduximus, & laudatum teſtamentum Abſolonis, qvod Rege hoc, ſancitum pag. 8. & 9. mentionem injicit marcarum denariorum Scanienſium veteris monetæ, ut novam monetam tunc temporis fuiſſe conſtitutam dubitare non poſſimus, qvæ antiqvâ vilior ſecundùm jus monetale provinciarum, ut judicamus, per varia inſeqventium Regum tempora bonitate fuit variâ & indies imminuta, ſtante nomine marcæ denariorum, & denarii, in qvalibet provinciâ. Marcarum itaq; & denariorum veteris monetæ calculos dilaudatus *Sperlingius* videtur nobis ponere in notis prædicti Teſtamenti pag. 55. & 56., dum ſtatuit, *qvatuor marcas denariorum Scanienſium*, noſtratibus **Skaanſke Mark i Penninge**/ *octo verò marcas denariorum Siælandenſium reqviri ad unam marcam argenti conficiendam, ita ut uncialis thalerus apud Siælandenſes id temporis fuerit marca denariorum, Scanienſes denarii & marcæ Regum Valdemari I. & Canuti VI. temporibus præpolluerint Siælandicis alterò tantò, & diu poſt etiam*, eâ, qva poſtea fuerunt, bonitate; *Duo verò*, pergit, *unciales apud Scanienſes marcam denariorum Scanienſium reddebant: Et qvia ſedecim denarii faciunt marcam denariorum, videmus qvemlibet denarium Scanienſem argenteum valuiſſe hodiernæ monetæ ſex aſſes Lubecenſes, atq; ſic qvondam æqvales fuiſſe denariis Romanis; denarios verò Siælandicos dimidiò minores.* Et ſi qva antea hic ex civitatum officinis monetariis prodierit ſeges numorum cavorum ſub urbium nomine, uti ex numis cavis hic adductis conſtat, notandum eſt, eos tamen non ut â civita-

vitatibus cuſos, ſed à Præſulibus ejusdem Diœceſeos, poteſtate numos cudendi à Regibus donatis, cenſeri debere, utpote qvorum facies aut imaginem regiam aut Regis nomen præ ſe fert, à qvo hanc poteſtatem conſecuti ſint, aut, ſub cujus tutelâ monetam exercuerint. Præterea nusqvam hoc in patriarum hiſtoriarum monumentis legere licuit, niſi paulò ante Ericum Glippingium, qvi regnum tenuit ab anno 1259. ad 1286., circa qvæ tempora civitatibus Daniæ illud jus natum exiſtimamus, Regibus donantibus, qvemadmodum ex immunitatibus, Riparum civibus in Cherſoneſo noſtra primum à Chriſtophoro I. anno 1252. conceſſis & ab Erico Glippingio clementer anno 1269. adauctis & corroboratis ſatis clarè colligere licet, de qvibus ſuprà fuſiùs ad monetam Ripenſem auream hic TAB. I. No. 2. & 3. Regis *Friderici I.*


REGIS VALDEMARI II.

TAB. XXVII.

No. 41. VALDEMARVS REX. *in area numi* D^{A}N.

†. NICHOLA9 EPE. *In intermedio* ℟.

Ex numis præcedentibus ſatis perſpicuè patet, etiam regnantibus in Dania *Svenone Graatehede*, *Canuto V.* & *Valdemaro I.* manum Romano-Gallicam in numis præcelluiſſe, itaq; conjectura haud dubia hic datur de numi hujus antiqvitate, & cujusnam *Valdemari* ſit ille ſolidus & ab utroq; latere literis, ut dicunt, rotundis ſeu monaſticis partim ſignatus numus: qvippe à tempore Regis *Valdemari II.* paulatim in numis deſvetudine viluiſſe characteres illos Romano-Gallicos, per Doctores Gallicanos, relatu *Ingulfi*, *fol. 518.* in Angliam, *Ælfredo Magno* ad gubernacula ſedente, & hinc in oras noſtras cum omnium literarum doctrinâ traductos, in numis antecedentibus vidimus, æqvè ac in Galliis ex numis Regis *Philippi Auguſti*, *Valdemari II.* συνχρόνι, literas easdem partim in monaſticas qvoq; mutatas primùm perſpicimus, cujus rei etiam autorem habemus *M. le Blanc in tractatu ſuo hiſtorico de monetis Franciæ* gallicè conſcribto, ubi ejusdem monetæ typos pag. 159. depromit, literis in numis *Valdemari II.* ſimillimis ſignatos. Colligimus igitur exinde characteres eosdem in terras noſtras circa eadem tempora invectos, cùm magnum noſtratibus ſub Rege hoc fuerit literarum commercium cum Gallicanis Doctoribus. Ex adverſa numi parte inſcribtum legitur: NICHOLA9 EPE. & in medio character hic ℟, qvibus NICOLAUS *Stygotus*, Abbati Sorenſi *Martino Petræo in catalogo Epiſcop. Roëskild.* cognomine *Lung* dictus, EPIſcopus Roeskildenſis denotatur. Eadem inſcribtio & nos qvoqve certiores facit, nullius niſi *Valdemari* II. hunc eſſe numum, qvod Epiſcopus nullus ejusdem nominis ſub qvoqvam Rege *Valdemaro* Roeskildiæ ſederit, niſi ſub *Valdemaro* II. eundemq; Regem Daniæ fuiſſe, qvemadmodum in prima numi areâ literæ hæ DANob ſpatii anguſtiam ſic poſitæ D^{A}N indicant. Datur & Regis ejusdem numus alius typi, in qvo reperitur illud DAN ab antica numi parte nc inſculptum A^{D}N., qvô aliqvi decepti ſategerunt hic indigitari *Andream Slagloſienſem*, olim miraculis, uti fabulantur, clarum, aut *Andream Sunonem* Archi-


N°. 42.
N°. 43.
N°. 44.
N°. 45.
N°. 46.
N°. 47.
N°. 48.
N°. 49.
N°. 50.
N°. 51.
N°. 52.
N°. 53.
N°. 54.
N°. 55.
N°. 56.
N°. 57.
N°. 58.
N°. 59.
N°. 60.
N°. 61.
N°. 62.
N°. 63.
N°. 64.
N°. 65.
N°. 66.
N°. 67.
N°. 68.
N°. 69.
N°. 70.
N°. 71.

chiepiſcopum Lundenſem, qvi ſynchroni ejusdem Regis exſtiterunt, at nos dextrè hic recenſuiſſe putamus, ſi ſtatuerimus literas has dextrorſus in numo noſtro eſſe legendas, in alio ſiniſtrorſum, incipiendo à litera D, qvia Valdemarus idem REX DANorum fuit, inſeqventesq; numi Regum eundem præ ſe ferunt titulum. Hinc etiam ſculptor hic in numo noſtro ſuum errorem, ubi recudi debebat numus, correxit.

TAB. XXVIII.

No. 42. ✠. VALDE∞ARVS. *Intermedium numi occupant Literæ* REX.

✠. NICHOLAVS R *in medio* EPC, i. e. *Nicolaus Roeskildenſis EPiſcopus.*

Qvòd *Nicolaus Stygotus*, præmiſſo nomine & titulo Regis in numi primo latere, ſuum hìc ex adverſo, ut in præcedenti, adjunxerit nomen & titulum, haud dubiè nobis indiciò erit, Epiſcopum hunc ex antiqvo jure aliqvam pro officio partem monetæ Regiæ, qvæ Roëskildiæ erat, poſſediſſe, ſeu certos ex ea reditûs: Regii ejusmodi beneficii, Lundenſi Præſuli collati, memor qvoq; eſt *Saxo Grammat. hiſt. Dan. lib. XI. fol. 115.* ubi narrat Daniæ Regem *Canutum S.* Lundis Scanorum *in æde Laurentiana prima dedicationis die ſolenniter altaria veneratum eſſe, & qvartam Regii numismatis portionem ei, qvi pro tempore loci Antiſtes exſtiterit, muneris locò perpetuo jure poſſidendum conceſſiſſe.* Præmittebatur igitur nomen regium, ut conſtaret, à qvo Epiſcopi poteſtatem cudendi numos haberent, qvam ſibi Eccleſiæ noſtræ Præſules indultu Regum hinc & illinc diu reſervarunt. Eodem jure qvoq; Pontificis Summi Nuncius Iſarnus Archiepiſcopo Lundenſi contra Regem *Ericum Menvedium* anno 1299. adjudicavit tertiam monetæ partem, qvæ Lundis Scanorum exſtabat. Numus hic è metallo puriori eſt literaturæ politioris, qvæ pro eo tempore ſuum valdè commendat artificem.


No. 43. ✠. VALDE∞ARVS REX. D. *In medio numi caput Regis coronatum.*

In adverſa parte:

✠. NICHOLAVS EPC. *Aream adverſæ occupat mitra Epiſcopalis.*

Numulus hic ex utroq; metallo mixtus, facie Regia ſignatus, rarenter occurrit, ideoq; perqvam carus cenſetur, primores verò nominibus tantùm Regis *Valdemari* Epiſcopiq; *Nicolai* Roeskildenſis inſigniti non rarò obvii ſunt. Nolùiſſe Regem hunc, Epiſcopum Nicolaum effigiem ſuam in numi adverſo apponere nomini, exinde ſuſpicamur, qvòd tantùm mitram, epiſcopale illud decus & illuſtre tegmen, hic auſus ſit addere, qvi tandem qvoq; eò autoritatis proceſſit, ut, mortuo *Valdemaro*, & filio ejus *Erico* habenas imperii capeſſente, vultu mitrato numos ſuos ſignatos habuerit, qvorum exemplar mox delineatum præbebimus. Proclive itaq; eſt, ex hoc, ſeqventi & præcedentibus numis certiùs colligere, Præſuli huic, qvi nomen, titulum & officii inſignia imò iconem ſuam numorum adverſæ inſculpi curavit, partem numismatis Regii conceſſam fuiſſe, & eum facie, nomine tituloq; regio in antico numorum eſſe profeſſum, à qvo poteſtatem cudendi numos habuerit. Monetam Danicam, Rege hoc ad gubernacula regni ſedente, uberiores ſumſiſſe vires cauſam habemus credere, Daniæ regno à *Waldemaro* I. jam pridem ſub unos faſces iterum colligato, qvod poſt exceſſum ipſius filii *Canuti VI.*

in multa pace obtinuit Rex hic, qvi ob multas ſibi contra Livonos & Æſthones partas victorias cognomen *Victorioſi*, noſtratibus **Sejr** dictum, meruit. Et qvantas rei monetariæ curas in regno ſuo ſuſceperit, patebit ex lege, qvâ inter cæteras Cimbricas, ſeu potiùs Juticas, Vordingburgi anno 1240 latas, monetam falſam procudi ſeverè prohibuit lib. III. cap. 45. **Falſk er thet**/ inqvit, **om man ſether Steth eller Stabel og ſlaer Penninge uthen Konninghens orlof eller hans Both/ oc brenner falſk ſølv. Hvilken mann ther Falſk gør eller met Falſk vorther funnen eller for Falſk vorther feld met Loghen/ tha a Konninghen hans Hand.** qvæ verba, interprete Canuto Epiſcopo Vibergenſi U. J. D., ſic latinè jacent: *ſi qvis poſuerit incudem & ſtabel & percuſſerit denarios ſine voluntate & mandato Regis & combuſſerit falſum argentum, & emit & vendit aliqvas res cum denariis, qvos ſcit eſſe falſos vel cum falſo argento hoc totum vocatur* **Falſk**: *Item nota qvòd qvi fecerit falſum, manus ejus erit in poteſtate Regis.* Ex qvibus clarè ſatis conſtabit monetam certa lege fuiſſe exercitam, Rege hoc etiam regnante. Oppidò ſingulares præterea ſunt numi bini, qvos Rege *Waldemaro* II. cuſos qvoq; eſſe Antiqvarii noſtrates ſentiunt, qvorum priorem vidimus, in cujus antica Rex idem inſculptus ſedet, gladium & vexillum tenens, niſi fallimur, Dannebrogicum, qvaſi ex tribus partibus diverſis & æqvalibus compoſitum, ut non niſi propriè variegatum dicatur, qvod Danis eſt **Braaged**/ ex varii coloris partibus contextum, qvibus adſtipulatur *Hvitfeldius* & Scribtores antiqvi, ex qvibus ſua petiit, qvi vexillum hoc griſeum & alio colore contortum ac textum aſſeruerunt, unde nomen **Dannebraage** manſit, vide *Hvitfeldii Chron. Dan. p.* 1034. Poſterior numorum eſt, qvem è penu ſuo nobis, ut diximus, obtulit eximius Havniæ Civis *Petrus Svane*, & æri inciſum ſic conſpicimus:



cujus latus primum, ut apparet, coronam regiam in medio continet, additis in circumferentia numi literis monaſticis ✠ ANNO DOꝏIN--. Ex poſtica parte in area numi prominet mitra Epiſcopalis cum inſcribtione hac in circuitu: ✠:ꝏ:C:C:X:X— & qvod excurrit, numeri qvippe aliqvi deſunt, qvos vix tamen viginti unum exceſſiſſe, ob ſpatii anguſtiam, ubi numi ora in poſtico eſt ſauciata, certò colligere licet, adeò ut à vero nos aberraſſe non putemus, ſi numisma hoc, utpote Danicum, ad ejusdem ſeculi ævum, qvò Rex *Valdemarus* II. gubernacula Regni Daniæ tenuit, referamus, numus enim eſt ærâ Chriſtianâ, qvod perqvam raro olim factum, inſignitus, eâq;, qvæ in eadem tempora incidit, & eadem numo cum præcedentibus eſt literarum formatura & diſpoſitio, eademq; ante numi inſcribtiones crux, præterea corona regia ab una, ab altera parte mitra eadem eſt, qvæ in *Valdemari* II. numismate, qvod hic qvadrageſimum numeratur, ut ab eo Regis tempore id minimè disjungere poſſimus, in illuſtriorem qvendam actum, cujus celebritatem ac memoriam inculcat, percuſſum: Anno qvippe eodem annales patrii, qvi accuratiores ſunt, memorant Regem hunc mortuum, qvintò nempe Calendarum Aprilis. Sic præter Reges præcedentes Valdemaro qvoqve huic filiisq; ipſius absq; effigie placuit ſuos procudi numos, qvemadmodum ipſorum ectypa hic conteſtantur, complura absq;

effi-

effigie Regum. Similes numos ærâ Chriſtianâ ſignatos inſcius nobis qvoq; depromſit inter numos aliqvot ex argento præſtantiſſimos *Dn. Nicolaus Kederus*, qvos Lipſiæ 1706. edidit, & præſertim inter eos, qvos No. 6. & 7. Regis Sveci, Olai Skot-Konning ſeu Tributarii eſſe arbitratus eſt. Primus, qvi No. ſextus ibi adducitur, in antica caput habet mitratum cum ſceptro ante faciem, & inſcribtione hac: ✠ VLAAZ REX. ZVENO. In averſa eſt crux circulo incluſa & in angulis ejus literæ L R V X ſunt diſperſæ, in circuitu IN NOMINE DN̄I. M. C: Secundi, qvi numero ſeptimus eſt, prima facies Regem cum coronâ, multiplicibus radiis inſigni, oſtendit cum inſcribto ✠ OΓEAF.... In averſa itidem crux qvadrata, in cujus angulis L R V X, in circumferentia ✠. IN NOMINE DN̄I. M. C. Nulli cum *D. Kedero*, antiqvitatum patriarum ſcrutatore indefeſſo, dubitamus, qvin numi hi ſint Regis cujusdam nomine Olai, varia enim initiò fuit ſcribtio & inſcribtio ſculptorum, multumq; in literis Regii nominis hic erraſſe qvoqve percipimus; At cujusnam Olai ſit, nobis accuratiùs erit diſpiciendum. Et ſi exactiori ſtudio horum numismatum averſas perſcrutemur, ſperamus nobis qvenqvam non adverſari, ſi ſtatuerimus numos hos æqve ac illum, qvi *Valdemari* II. tempore eſt ærâ Chriſtianâ cuſus, numeris Romanis M. C., æram denotantibus, poſt inſcribtum IN NOMIN̄E DNI, eſſe inſignitos. Annus qvippe hic M. C. ſecundùm *Ælnothi, Saxonisq; Grammatici* calculos, relatu *J. J. Pontani p. 199.* verè emortualis fuit Regis Daniæ Olai, qvem annales vernaculi ex decennali populi inedia cognomento Hunger i. e. famelicum, alii verò ab ætate Unger i. e. juniorem voluerunt appellatum. Filius ille fuit SVENOnis Eſtrithæ, qvemadmodum prioris numi antica inſcribtio: VLAAZ REX ZVENO indicat: Nullus enim Rex Sveonum, uti laudatus *Kederus* vult, nec Norvagorum eodem tempore ejusdem nominis vixit, ut alius, qvàm Regis Daniæ Olai, eſſe non potuerit. Nec Olaus, Regis Magni Nudipedis filius, regni habenas in Norvagia prius unà cum fratribus cepit, qvam anno 1103., calculò ſic ab *Johanne Svaningio* Chronologo noſtrate rectè ſubductò. Nil præterea tunc novi fuit monetam in Dania cudere, qvæ illic inde à Canuto Magno viguit, ut literæ M. C. Moneta Cuſa ſic explicari poſſent, qvemadmodum dilaudato *Kedero* placuit. Numi itaq; tales perqvam rari cenſentur, cùm Monetarii, niſi ſingulari juſſu, uti hìc factum putamus, diu neglexerint annos Chriſti in numis notare, ut vix, niſi hìc, ante ſeculum decimum qvintum numismata ſic promiſcuè videris ſignata.

REGIS ERICI V, cognomine Plog-Penning / aliàs SANCTI.

TAB. XXVIII.

No. 44. †. ERICUS REX. *Facies Regis coronata.*

†. NICOLAVS. *Epiſcopi mitrati icon.*

Sunt, qvi dubitant, cuinam Regum ejus nominis hunc adſtruere numum debeant, ex utroq; metallo mixtum. Nobis perſvaſiſſimum eſt numis *Erici* Plog-Penning i. e. ex qvovis aratro cenſum exigentis, qvi filius fuit *Valdemari* II. annumerari debere, qvoniam ſub utriusq; regimine patris ſcilicet & filii,

Nicolaus Stygotus Roëskildiæ Epiſcopus ſedit, nec ſub qvoqvam iſtorum Regum ejusdem nominis Præſulem alium ſediſſe legimus, inqve numis, *Valdemari* II. tempore cuſis, Epiſcopum hunc ſuum appoſuiſſe nomen & titulum ſatis expoſuimus, qvod aliàs nulli Epiſcoporum Daniæ, niſi huic in numis ſic contigiſſe obſervare nobis adhuc licuit, multò minus, qvòd ſuum aliqvis ex adverſo numi vultum mitratum procudi fecerit, ſed diu poſtea ſigillis qvibusdam nomen tantùm expreſſerit, exceptò *Jacobô Erlandô*, ipſius ſucceſſore, cujus numus nomine tantum inſignitus hic ſeqvitur: Qvemadmodum & Norvagiæ Epiſcopis aliter, qvantum ſcimus, non licuit niſi ſiglis ſua apponere nomina, nec in numismatis Archiepiſcoporum Nidroſienſium nobis videre contigit eorum nomen & titulum explicitum, niſi initiò ſeculi XVI, qvæ hic claſſi numorum argenteorum Regis *Chriſtiani* II. inſerta & deſcribta videbis. Fuit Nicolaus ille vir, nobili Lungorum ſtemmate prognatus, & in Eccleſia Septentrionali Epiſcopus celeberrimus, qvi multis & magnis Regni negotiis adhibitus, etiam nomine totius Daniæ, præſidè Pontifice Innocentio IV. Lugdunenſi Concilio anno 1244. interfuit, indeq; eò proceſſit, ut non tantùm *Valdemari* II. tempore nomen explicitum, ſed & vultum gravitatis plenum, *Erico*, filio *Valdemari*, regnante, in numis cudi curaverit. Dehinc, orta ſimultate inter Regem *Ericum* & *Nicolaum* hunc, ex concilio Othinienſi, ubi Daniæ Præſules ſecundùm Pontificum edicta in Eccleſiæ prædatores, cujuscunq; ſtatûs, anathematis fulmen vibrarunt, redux, in Norvagiam 1245. feceſſit & inde navi conſcenſa in Gallias Claravallam abiit, ubi anno 1249. Bernhardini ordinis gravis ſocius & ſodalis in fatis conceſſit. Nec immeritò numus hic, rudiori percuſſus Minervâ, turbulentis illis accenſetur annis. Cœpit tunc priſtinæ Danicæ monetæ bonitas & decus temporum immanitati penitus ſuccumbere: Et cœpit qvoq;, ni fallimur, Epiſcoporum effigies & tandem nomen in numorum typis exſtirpari, cùm Rex idem ſtatim à feceſſu Epiſcopi totius Diœceſeos reditûs ſuum in fiſcum redegerit & usq; ad annum 1249. retinuerit, qvo eos *Jacobo Erlando* non ſine certa conditione tradidit. Hinc tandem anno ſeqventi Rex ex itinere, in expeditione ſua contra Holſatos, à fratre *Abele* Slesvigam amicè invitatus improviſò conſtringitur, & navi impoſitus ad breviſſimum trajectum fluminis Sliæ ſecuri obtruncatus eſt veſperâ *S. Lautentii*, ætatis ſuæ 34., regni verò nono. Corpus ipſius deinde in flumen Sliam projectum, & à piſcatoribus demum inventum Slesvigam translatum eſt, ubi in templo Divi *Petri* prope chorum eſt ſepultum. Ob miracula, qvæ credebantur conteſtari injuſtam ipſius cædem, apotheoſi in Divos relatus eſt, cujus brachium, credulæ turbæ à monachis toties oſtenſum, tantum æris ac pecuniæ corraſit, ut ampliſſimus, qvi adhuc exſtat, templi ambitus inde exædificatus ſit. Qvanam autem Rex hic fuerit vultûs ſpecie, qvove habitu, numulus hic pro eo temporis artificio pectore tenus qvidem delineat, ulteriora verò dat ſtatua Regis ejusdem lignea, cujus, in domo capitulari Slesvigæ olim conſpectæ, deſcribtionem affert Cypræus Annal. Slesv. lib. 2. cap. 6. *Vir*, inqvit, *corona redimitus, facie pallidâ & lurida, capillis paſſis, barbâ nigrâ —— tunicâ oblongâ ad talos usq; demiſſa, calceis acutis & cornutis, prout eo tempore mos fuit, baltheo autem aureo per medium pallæ talaris infra lumbos cinctus.*

TAB. XXVIII.

No. 45. ERICUS. *Enſis oblongus in medio harum literarum inter ſolis ſtellam lunamq; creſcentem ſurſum mucronem erigit, ad cujus capulum R. X. i. e. Rex.*

In latere averſo:

Crux qvadrata, qvam angulatim ambiunt literæ hæ: IACOB.

Versò hôc numô, ſatis conſpicuè comperimur, eum qvoq; eſſe Epiſcopalem, legitur enim ibi circa crucem nomen IACOB, qvod alterius non erit nomen, niſi Epiſcopi Roëskildenſis *Jacobi Erlandi*, qvoniam nullus ejus nominis Præſul ſub qvoqvam Regum Daniæ, nomine *Erici*, niſi ſub *Erico* Ploug-Penning & *Erico Glipping* vixit. Alterutrius ergò Regis tempore procuſum hunc numulum eſſe oportet, qvemadmodum & facies numi his literis ERICVS RX inſcribta numum ulteriùs illuſtrat. Nobis eſt perſuaſiſſimum, eum, Rege *Erico* Ploug-Penning/ ex officinâ monetariâ, qvæ Roeskildiæ erat, una cum cæteris ejusdem farinæ profluxiſſe. Etenim non dubitamus, Epiſcopum hunc ſub Rege eodem, commendatione præcipuâ Pontificis *Innocentii* IV., cui à ſacris & in concilio Lugdunenſi familiaris erat, ad ſedem Epiſcopalem Roeskildiæ anno 1249. promotum & favore ejusdem Pontificis fretum omnia jura Epiſcopalia exercuiſſe, niſi qvod titulum ſuum, effigiem & inſignia, æqvè ac Anteceſſor ipſius *Nicolaus Stygotus*, in numis nomini ſuo non addiderit; Fuit tamen homo ſpiritus perqvam faſtoſi, ideoq; multæ inter Reges ad clavum imperii poſtea ſedentes ipſumq; exortæ fuêre ſimultates, qvi, Rege *Chriſtophoro* I. non ſalutatô, ſolâ autoritate Pontificis Romani ad cathedram Archiepiſcopatus Lundenſis anno 1254. evectus, omnia, invito Rege, immutare conatus eſt, nullum niſi Pontificem judicem obtendens ſuum. Hinc & Rex *Chriſtophorus* Archi-Epiſcopum Jacobum in prædio ſuo Gisleburgo captum cuſtodiæ Caſtri Hagenſchovienſis in Fionia anno 1259 tradi juſſit, ubi vinculis conſtricto Rex *Ericus Glippingus* procerum ſuaſu, ut inimicorum multitudine paulatim levatus, imperii auſpicia faciliora redderet, Lundenſem Diœceſin anno 1261. reddere voluit; Verùm enimvero *Jacobus Erlandus* tantâ tumebat arrogantiâ, ut Diœceſin capeſſere nollet, prius qvàm de causâ Pontifex cognoviſſet. Dimiſſus ergo Sveciam continuò & dehinc ſtatim Romam petiit, ut ſibi illatam injuriam qvereretur apud Pontificem, qvi in concilio Lugduni in Galliis anno 1274. deniq; decrevit, ut Præſul hic apud Regem *Ericum Glipping* in gratiam reciperetur, nomineq; damni & expenſarum argenti marcas 15000. acciperet. Nec eo decreto *Jacobus Erlandus* contentus, in Rugiam ſe contulit, ubi monachus anno eodem d. X. Martii diem obiit ſuum. Ex qvibus omnibus diſpaleſcit, Archiepiſcopo huic, & in vincula conjecto & exuli, reditûs, qvi ad Diœceſin Lundenſem ſpectabant, à Regibus *Chriſtophoro* I. & *Erico Glippingo* ademtos fuiſſe, & hinc qvoq; poteſtatem cudendi numos, qvam muneris locô Londini poſſidebat, tunc non fuiſſe conceſſam. Igitur ſub nomine horum Regum, qvos ſibi offenſos habebat, hunc Antiſtitem, qvi ſpiritus erat ſuperbiſſimi, numos voluiſſe procuſos, non eſt qvod credamus. Certiſſimum proinde erit, numulum hunc ſub nomine Regis *Erici* Ploug-Penning, *Jacobo* hoc Roeskildiæ ſedem tenente, percuſſum fuiſſe. Anticum verò numi latus, gladiô inter lunulam ſolisq; ſtellam exornatum, Clariſſimus *Th. Brod. Bircherod. ſpecim. antiq. rei monet. Dan.*

Dan. pag. 106. putat, repræſentare patria tunc Regum Daniæ inſignia, qvemadmodum ibi & hic qvoqve in numis Regis *Erici Glippingi* videtur. Primus deniq; hic eſt numus, qvem adhuc reperire nobis licuit, *Cruciatâ*, ut dicunt, ſignatus, qvæ teſſera fuit, ſub cujus præſidio *Erici* hujus pater *Valdemarus* II. tantas & tam pias in barbaras Livoniæ gentes ſuſcepit expeditiones, utpote qvæ à Pontificibus Romanis ad inſtar Palladii *Valdemaro* huic primùm collata legitur. Conſtituit itaq; *Ericus* Ploug-Penning, pactâ cum fratribus pace & Epiſcopo *Jacobo Erlando* ad ſedem Epiſcopalem Roeskildiæ promoto, parentis exemplo, in Livoniam cum claſſe & milite anno 1249. religionis ergo trajicere. *Tenebatur præterea*, inqvit Joh. If. Pontanus p. 333. *Rex hic Pontificis ſummi mandato ad promovendum veri Dei cultum & orbis Chriſtiani limitem dilatandum, ideoq; & Pontifices olim Romani parenti ſuo* CRUCIATAM, *ut vocant, contulerunt, qvam & regni inſignia in ſolo rubeo oſtentant*, latius in ſeqventium Regum numis, præſertim *Chriſtophori Bavari*, eiq; ſplendidiſſimo ordine ſuccedentium, ſe expandentem.

REGIS ABELIS, FILII VALDEMARI II.

Tab. XXVIII.

No. 46. ABEL. *Crux, qvæ literas easdem habet angulatim* ⟶.
Enſes duo, qvibus crux dextrorſum in typo eſt addita ⟶.

No. 47. ✠. ABEL REX. *In medio numi roſa qvinq; foliis.*
✠. DANORUM. *Aream occupat ſtella* ⟶.

No. 48. ABEL REX. *Numuli intermedium eſt raſum.*

Ex parte averſa:

Crux inter duo pedа epiſcopalia, qvibus ſuperiùs affulget ſtellula qvædam.

Clandeſtino *Abelis* nutu nefariâ *Erici* cæde à ſatellite ipſius Lagone *Gudmundo* peractâ, Dux *Abel* omni conatu ad diadema Danicum adſpirabat, & nulla ſuperſtite *Erici* prole, *Valdemari* filius ille tunc natu maximus, hæres regni legitimus à Daniæ populo, calendis ipſis Novembris proximè à cæde fratris inſeqventibus, proclamatus eſt, ne & bella tumultusq; plures cieret, ducatusq; Slesvicenſis à regno ſepararetur. Statimq; ex ordine eqveſtri XXXIV. autoritate præcipua viros ſibi adjunxit, & una cum iis jurejurando parricidii purum ſe populo excuſabat. Hinc & in Comitiis Roeskildiæ ab Archiepiſcopo Lundenſium in natalitiis Domini poſtea inſignitus eſt diademate regio, ſed biennio, & qvod excurrebat, imperii tantum completo, & certamine cum Freſiis Eiderſtadenſibus inito, die Petri & Pauli anno 1253. trucidatus eſt. Mirantur ideo qvidam, tantam numorum copiam, qvæ hic alibiq; depromitur, ſub Rege hoc tam brevi tempore imperii ex officinis monetariis profluxiſſe; At ſi monetæ diverſitatem temporumq; rationem conſideraverimus, vero haud abſonum credimus, multos numos ex arbitrio eorum Præſulum eſſe percuſſos, qvibus ex parte poteſtas qvædam fuit cudendi numos, qvemadmodum Archiepiſcopo Lundenſi inde à Regis *Cnuti S.* tempore ad qvartam usq; monetæ partem fuiſſe conceſſam & ſub imperio *Erici Menvedu* ad tertiam adactam & auctam ex hiſtoriâ patriâ percepimus: Scivit enim Rex *Abel*

Epi-

Episcopos eorumq; assecias in sua desideria adeò inescare, ut se suosq; certiores de imperio redderet, servato sibi tamen supremo jure monetæ cudendæ. Præterea circa hæc tempora haud exigua peregrinæ monetæ copia in Borea nostro gliscebat, præsertim numorum Tornacensium, novæ qvi erant Tornaci incudis, nostratibus dicti nye Tornower/ qvibus *Hvitfeldius Chron. Dan.* pag. 233. memorat Strand-Frisios Duci Slesvigæ suum tunc solvisse tributum annuum, & etiam per consequens putamus Regi Daniæ Erico, fratri Abelis, certæ redemtionis pretium erogasse, cujus idem Historiographus p. 232. meminit, ut immunes ab incendiis & direptionibus manerent, horum numorum qvemlibet pag. 233. computat valuisse qvinq; denarios: Ut vel maximè inde consequentia valeat, numos hosce æqve ac alios ejusdem commatis, maxima ex parte, Regibus Erico & Abele, ad incudem Danicam vocatos, uti olim assolebat, ærariò præsertim regni per diutina & intestina bella Erici & Abelis tempore omnimodò exhaustò, uberiorem denariorum Danicorum congeriem sic progenerasse; neq; enim paulò majores ulli numi argentei ex antiqvis ad nos pervenerunt, qvàm qvi magnitudine, & interdum pondere, hodiernos asses Lubecenses vix excedebant. Hinc multa monasteriis indulsit, qvæ tempore fratris Erici qvasi desita atq; antiqvata, in usum & commodum eorundem reduci non tantùm permisit, sed & sub gratiæ & pietatis fictæ specie varia ipsis contulit beneficia. Freqventes ergo sunt numi ejus ex utroq; metallo, argento scilicet & ære, qvi hinc Regis nomen & titulum signatum habent, illinc verò duo peda episcopalia, qvorum intermedium crux sub stellula occupat. Alii dantur, qvorum latera postica gladios repræsentant duos, dextrorsum in typo additâ *Cruciatâ*, Christianæ religionis tesserâ, forsan expeditionem, qvam bis contra Fresios Eidorenses suscepit, ejusq; apparatum denotantes, cruce in bonum adjunctâ omen. Freqventiores autem numos esse experti sumus, qvi hinc rosam, illinc stellam, exhibent cum inscribtione hac ex utroq; latere: ABEL REX DANORUM, qvemadmodum No. 47. Tab. hujus videbis. Effigie vultuq; autem Regis aut Episcopi vel Præsulis ullius nomine, prout tempore Regum *Valdemari II.* & *Erici* Ploug-Penning in numis signatum intelleximus, numulos hosce nusqvam insigniri, singularem statûs subesse rationem suspicamur. Exstincta enim, ut prædiximus, in typis numorum *Nicolai Stygoti* & *Jacobi Erlandi* fastuosorum Præsulum memoriâ, tenaces sui juris cudendi numos Daniæ Reges exstitisse credimus. Et qvamvis Rex *Abel* ab initio regiminis sui, omnia, qvæ antiqvitate desita erant, urbibus & monasteriis indulsisse dicatur, attamen Episcoporum, qvi monetam nullibi integram & sui juris, sed certos alicubi ex ea reditus habuerunt, nomina & effigies in typis numismatum deletas voluisse ex hac numorum congerie satis colligimus. Qvemadmodum & diu posthac effigies Regias Episcoporumq; nomina in numis omissa percipimus, donec tandem Præsules hi seculo XIV. siglis in numis exprimi fecerint nomina, prout hic TAB. XXV. & inferiùs No. 61. Tab. hujus videbis, & seculo XVI. Archiepiscopi Nidrosienses *Ericus* & *Olaus* nomina una cum insignibus gentilitiis explicatè apposuerint. Qvippe magna Episcoporum autoritas erat, hinc tanta inter Reges Episcoposq; dissidia intestinæq; simultates exortæ fuerunt, putabant enim Daniæ Reges injustum, Ecclesiasticos viros eorumq; Antistites potiorem Regnorum partem possidere eamq; qvasi ex jure sibi vindicare. Tenacissimus exinde sui juris cudendi monetam factus videtur Rex *Ericus Menvedus*, qvi etiam fratrem germa-

num *Chriſtophorum* Ducem Hallandiæ anno 1307. conſtitutum noluit, ſi monetam cuderet ullam, prout *Hvitfeldius Chron. Dan. part. 3. fol. 334.* memorat.

REGIS CHRISTOPHORI I. FILII VALDEMARI II.

TAB. XXVIII.

No. 49. ✠. CHRISTOPHORUS. *Medium numi Coronâ apertâ inſignitum eſt.*
REX DANORUM. *In areâ numi crux.*

No. 50. ✠. CHRISTOPHORVS. *C. in medio.*
✠. REX DANORVM. *In intermedio apparet ſtella.*

Jam ſeſe, ut cenſemus, offerunt numuli Regis *Chriſtophori I.*, qvi ex teſtamento Patris Laalandiæ & Falſtriæ Dux, neglectâ à populo Daniæ Fratris *Abelis* ſobole maſcula, in natalitio feſto Chriſti anno 1252. ſolenniter creatus eſt Rex, & una cum conjuge *Margareta Sambiria*, Pomeraniæ Ducis filiâ, conſecratus. Fuit Rex, qvi Epiſcopis aliisq; viris Eccleſiaſticis maximè infenſus erat, & jus regium paulò tenacius ſibi vindicaturus cum Archiepiſcopo Lundenſium, *Jacobo Erlandi*, fermè aperto delitigavit Marte. Hinc & inter cæteras, qvas Archiepiſcopus idem contra Regem hunc habuit qverelas, de renumaria fuit illa, qvòd Rex monetæ puritatem, præprimis in detrimentum Clericorum Daniæ, qvi in Academiis exteris artes liberales colebant, depravaverit & literis ad *Johannem Monetarium* Roeskildiæ prohibuerit Archiepiſcopo ſolvere centum illas marcas puri argenti & ducentas veteris monetæ, qvas Rex mutuas ab eo habebat, de cujus ſummæ ſolutione eidem Monetario mandatum jam pridem dederat. *Hvitfeldii Chron. Dan. part. 2. folio 249.* habent 100 Mark Lødige Sølf & 200 Mark udi gamle Penninge. Ex qvibus ſatis conſtat, Regem hunc Roeskildiæ habuiſſe ædem monetariam variamq; fuiſſe Danorum monetam, qvam in novam & veterem diſpeſci inde à *Canuti VI.* & *Valdemari I.* temporibus ex laudato teſtamento Lundenſis Archiepiſcopi *Abſolonis* M. S. retrolegimus, qvod *Sperlingius* noſtras doctiſſimis illuſtravit notis, in qvibus pag. 55. 56. & 103. hos ponit marcarum & denariorum calculos exactos: *Marca autem*, inqvit, *argenti, qvæ nobis eſt* en Mark Lødie Sølf/ *eſt ſedecim ſemunciarum pondus argenteum, noſtrâ monetâ octo uncias thaleros reddens: Aliæ erant marcæ denariorum*, Mark i Penninge. *Exſtantq; inter marcas haſce marcæ denariorum Scanienſis monetæ, aliæ Siælandenſis, aliæ Jutenſis ſeu Cimbricæ monetæ. Scanienſes denarii & marcæ Regum Valdemari I. & Canuti* VI. *temporibus præ pollebant Siælandicis altero tanto & diu poſt etiam.* Cimbricam ſeu Jutenſem monetam Siælandicâ vilioris item fuiſſe pretii exinde perſentimus, qvòd *Chriſtiernus* Præſul Ripenſis tempore Regis *Erici Menvedi* in diplomate ſuo, anno 1312. feria ſecunda poſt octavas nativitatis Johannis Baptiſtæ ſcribto, memoret, ſummæ alicujus numariæ ſolutionem Eqviti *Heine* debitam, qvam Siælandicâ & non Cimbricâ monetâ ſibi fieri interceſſerat prædictus eqves, cujus ſcitam in Dania rei numariæ ſcientiam Epiſcopus idem admiratur: nam qvamvis, uti hîc in procœmio meminimus, certâ lege conſtitutum voluerit Rex *Chriſtophorus* I. ut *ſtabilis moneta habeatur in regno*

Da-

Damæ, filiusq; ipſius Rex Ericus Glippingus poſtea unam eandemq; harum provinciarum exſtare debere monetam edicto ſevero anno 1284. juſſerit, & hoc primum ſit, qvod de patria moneta aliqvid expreſsiùs conſtitutum legimus, nam in Regis *Valdemari* II. legibus, qvas ſupra laudavimus, nil niſi de falſis denariis ſub titulo **Falſk** occurrit, tamen ex lege Regis *Chriſtophori* I. ſatis liqvet, monetam Daniæ nondum ſtabilem, ſed ex parte vagam peregrinisq; immixtam fuiſſe, & ſic per Regum tempora varia provinciarum monetam ex hiſtoria vernacula percipimus diutiùs manſiſſe variam, nominibus numismatum manentibus & nihil immutatis. Numos, nomine Oras, in Dania, Rege hoc regnante uſitatos fuiſſe docere poterit §. 6. Juris municipalis Urbis Havnienſis 1254., qvæ moneta in Danicis legibus paſſim apparet. In iisdem immunitatibus Urbis Havnienſis denarii qvoq; dandi allegantur. *Neqve tamen* ait porrò dilaudatus *D. O. Sperlingius* pag. 57. & 58. *exiſtimet aliqvis, cum marcas argenti & marcas denariorum hic legit, unum aliqvem numum cuſum tunc temporis fuiſſe, qvi marcam argenti & marcæ pondus in argento repræſentaret, minimè gentium. Supra denarios tunc nulli numi cudebantur, cætera nomina nummorum pondus erant, donec tandem civitates Hanſeaticæ, Lubeca, Hamburgum, Wismaria & Luneburgum primæ anno 1506. Marcæ nomine numum produxerint marcamq; hanc denariorum ad peculiarem ſtatum redegerint, loco denariorum Schillingos ſedecim marcæ huic tribuerint, ſchillingo verò cuiq; denarios duodecim. Et qvoniam hic erat STATVS MARCÆ LVBECENSIS, numo eidem civitates prædictæ inſcribi etiam curarunt: STATVS MARCÆ LVBECENSIS 1506. Hvitfeldio* noſtrati alicubi eſt **en Stæder-Mark**. Plura videbis apud *Sperlingium* eundem, rei numariæ peritiſſimum. At litigiis inter Regem *Chriſtophorum* Epiſcoposq; in Dania ſic protelatis & hinc inde exortis animorum motibus, tandem Rex idem non adeò difficilem ſe viris Eccleſiaſticis præbuit in Cimbriam ſeu Jutiam trajiciens, Ripas, ut infauſta iſta diſſidia penitus ſoporare valeret, ſe contulit, ubi è medio ſublatus narratur, ſeu dum apud Epiſcopum Arhuſienſem convivio poſtea excipiebatur, octavo regni ſui anno.

REGIS ERICI VI. cognomine GLIPPING, qvi CHRISTOPHORI I. fuit filius.

TAB. XXVIII.

No. 51. ERICUS REX. *Medium numi gladiolus occupat inter ſolis ſtellam lunamq; creſcentem.*

In adverſo latere.

✠ DANORUM. *Clavis inter trifolia bina.*

No. 52. ERIC. REX. *crux qvadrata in medio.*

✠ DANORUM. *Corona aperta in numi aream.*

No. 54. ERIC REX. *Crux in medio.*

✠ DANORVM. *Corona minuſcula.*

Numismate, qvod hic No. 53. deſideratur, ad filium hujus Regis cognominem, Ericum non ſine prægnanti cauſa tracto, tandem hic ſeſe nobis ſiſtit numulorum qvædam ſeries Regis *Erici Glipping*, qvi ab oculorum freqventiori nictatione ſic in hiſtoria patriâ cognominatur. Princeps fuit ab

ungviculis non minus ac pater ipſius ordini Eccleſiaſtico offenſus, octennem enim imperio à patre deſtinatum Eccleſiæ Præſules coronare Otthiniæ denegarunt, qvem tamen anno 1260. ætatis ſuæ undecimo, patre mortuo, inauguratum legimus. Imperio ſic admotus matrisq; conſiliis uſus geſſit bella varia, & juris Regii æqvè ac pater tenax, ſæpius anathematis fulminibus fuit expoſitus ab iisdem viris Eccleſiaſticis, donec tandem, ut perhibetur, vitiaverit nobilem fœminam, cujus maritus Stygotus Mareſcallus conjuratiq; ipſius ipſa Ceciliæ nocte anni 1286. in Jutiæ pago Finderup prope Viburgum Regem hunc ab itinere ſeu venationibus feſſum & qvieti deditum multis & magnis vulneribus interemerunt, ſeptimo ſupra triceſimum ætatis ſuæ anno, imperii verò viceſimo ſeptimo. Tanta rerum viciſſitudine ſub Rege hoc inde à Patre ipſius in Eccleſia exorta, nulli dubitamus, qvin Rex hic, qvi patriſſando Epiſcoporum reditus attenuare conatus fuit, etiam in totum ſibi vindicaverit numiſma Regium, qvippe cùm Pontificis ſummi Legatus Iſarnus legatur Archiepiſcopo Lundenſi contra Regem *Ericum Menvedum, Erici Glippingi* filium, jure poſtea adjudicaſſe partem monetæ Lundenſis, utpote, *Chriſtophoro* I. & *Erico Glipping* regnantibus, amiſſam. In urbium deſideria exinde facilior fuiſſe videtur Rex hic, ex qvarum officinis monetariis prodiiſſe creduntur numismata qvàm plurima, qvamvis Epiſcopalia qvædam dari haud negemus, omnia tamen ſub auſpicio Regii nominis tituliq; procuſa. Sic Ripis Phunduſiorum erectas fuiſſe ædes monetarias antea ex immunitatibus urbis ejusdem civibus anno 1269. à Rege hoc, ſeu potius à Patre ipſius Chriſtophoro I. anno 1252. indultis, clarè ſatis probatum dedimus ad numos Ripenſes aureos hic TAB. I. depromtos: Noluit enim Rex hic ullam monetam, niſi modo hoc percuti, qvemadmodum ex deprecatione *Valdemari*, Auſtralis Jutiæ Ducis, eidem Regi Neoburgi in Fionia 1236. factâ, conſtat, ubi Dux ille promiſit, ſe nullam Slesvigæ procudere velle monetam, niſi Regis ejusdem nomine & titulo percuſſam. Fuſiùs de his vide *Joh. Iſac. Pontani rer. Dan. hiſt. lib. VII. pag. 372. & 373.* Nec conticent jura & privilegia illa Ripenſia, qvænam numorum nomina tunc temporis exſtiterint, prius enim qvàm hìc Scillingos denariorum, **Schilling Pennyng**/ in Dania nominatos & allegatos obſervare nobis non licuit, niſi ex *Chronic. Epiſc. Hvitfeldii* p. 23. anno 1259. Schillingos groſſos, **Schilling Grot.** Qvorum qvemq; antiqvarii noſtrates ratiocinantur valuiſſe tres Scillingos Anglicos vulgares, hodiernæ monetæ 36. aſſes Lubecenſes, diuq; illi groſſi, ſoli ſic dicti & Scillingi groſſi in Dania obtinuerunt, nam & 1478. eorum qvoq; *Hvitfeldius* mentionem injicit. Nec oboli, noſtratibus **Schærf** dicti, unqvam, qvantum ſcimus, mentio in monumentis vernaculis facta, niſi in prædictis privilegiis §. 123., verba ſic ibi jacent: **Naar en Tunde Rugh giældær vj ſchilling pennyng/ tha ſkal en Schønroggæ giælde en Pennyng og weyghæ j pund Kölnæſker væght/ och eth Schærfs Brøth ſkal weyghæ** XXII. **Loth af then ſamæ Wæght.** Qvæ latinè ſic ibi reddita: *Qvandocunq; tunna ſiliginis emitur pro* VI. *ſolidis denariorum, tunc panis ſiliginis propriè Schönrog, qvi pro denario vendatur, debet ponderare unum pondus propriè* **pund**/ *ponderis Colonienſis. Et minor panis, qvi pro obolo venundetur, ponderabit* XXII. **Loth** *ejusdem ponderis.* Si itaq; juſto, ut nulli dubitamus, pondere hic demenſus ſit panis ſecundùm numorum pretium, ex pondere panis facilè oboli calculus ſubducitur valorq; ipſius, denario, **Penning** nobis, comparati, elicitur, ut tertia vix parte denarii obolum hunc viliorem

ſuiſſe

fuiſſe ſatis ſuperq; colligere nobis liceat. Obſervat qvidem ſagaciſſimus *Sperlingius* noſtras *diſſert. de num. non cuſis* obolum Sterlingum ſeu Anglicum denario minorem, judicatq; ex *Chronic. Wilhelm Thorne* & *Henrici Knyghton* dimidium denotare denarium, qvia cum qvadrante ibidem bis vel ter conjungitur eumq; præcedit, ut inde, ſi calculus hic firmô ſtet talô, ſatis evinci poſſit obolum noſtrum ſemper Anglicis haud reſpondiſſe, qvemadmodum nec denarios patrios Anglicanis: Nomina namq; numorum antiqvitus in Dania uſitatorum, qvæ Anglicis in Dania monetæ Cuſtodibus ſuam debent originem, maxima ex parte manſerunt Anglica, monetâ veteri per varia Regum tempora vel imminutâ vel variatâ. Sic Denarius, Anglorum *Penny*, jam *Pens*, noſtratibus Pennyng & Penge/ qvemadmodum & Scillingus ex Anglia ad Danos cæterasq; nationes primùm exiit, qvæ nomina Angli, ex latinis vocabulis *pecunia* & *ſicilicus* videntur detorſiſſe. Et primi denarii, qvod ſciamus, ſunt certè, qvi circa annum 1029. ſub Olao Sancto Norvagiæ & Canuto M. Daniæ Regibus uſuales fuêre, pretiô, ut diximus, duos aſſes Lubecenſes hodiernos ad tertium excedentes. Scillingi verò ut denarii non erant cuſi, qvapropter in prædicto jure municipali Ripenſium additur ſcillingis vox denariorum, Penninger/ in lingvâ tunc vernaculâ ſex Schilling Pennyng. ſed longè poſtea, erantq; tantùm nomen & pondus ad monetam denariorum æqvandam. Qvomodo hiſtoria S. Olai in *Chronic. Norv. M. S.* ad pag. 186. memorat, Olaum cum navibus & copiis ad provinciam ac inſulam Seliapolla acceſſiſſe, arce Gunwaldsborg occupata, Jarlum & eos, qvi arci præerant, captivos duxiſſe, qvos ut dimitteret & cives ſalvos ab incendiis & prædis præſtaret, beneficium illud XII. mille Scillingis aureis Olao compenſare pacti ſunt. Verba chronicorum M. S. ſunt hæc: *Hann lagdi gialld a Borgina oc a Jarl til Vllaufner XII. thuſundir* ***Gull Scillinga.*** Magnum hoc erat auri pondus eo ſeculo, & in tota antiqvitate vix antiqvius datur de ſcillingis teſtimonium. Itaq; ab Anglis nomen Scillingi absq; omni dubio cœpiſſe, eſt qvòd cenſeamus, cùm prælia hæc Sti. Olai circa Angliam geſta ſint. Obolos & qvadrantes Anglis in auro fuiſſe qvidem legimus, haud verò qvod ſciamus ſcillingos, de qvibus *Henricus Knyghton* ad annum 1344. *Eodem tempore* (Evardo III. Rege) ***Nobiles, & obolus & Ferthing*** *de auro cœperunt florere in regno.*

Primùm ergò in tabula hac ſub No. 51. poſiti numuli facies antica nomine tituloq; Regio gaudet circa gladium, inter ſolis ſtellam creſcentemq; lunam mucrone deorſum vergentem. In adverſa verò numi parte clavis unica eminet inter trifolia duo, qvemadmodum in aliis numis ſub ejusdem Regis nomine & titulo percuſſis, latus idem exhibet claves duas, qvi exinde omnes cenſentur Epiſcopales: Protrahit enim *Pet. Reſenius in deſcript. Inſulæ Samſoæ pag. 37.* ex Archivis Havnienſibus Epiſcopale ſigillum Præſulis *Petri Bangii*, Roeskildiæ ſub Rege hoc, *Erico Glipping*, *Chriſtophoro* item I. & *Abele* ſedentis, clavibus binis ejusdem figuræ cum cruce qvadrata ſignatum, qvemadmodum & in numis Epiſcoporum, qvi ſeculo 14. in Daniæ regno procuſi habentur, ſiglis eorundem pedum Epiſcopale clavisq; unica additur. Exemplar videbis in tabulâ hac Nô. 51. Unica clave, qvisqvis ille fuerit Epiſcopus, ſui forte voluit ſignari numi adverſum latus, qvòd unum ſit verbi Dei miniſterium, qvo peccata ſolvuntur & ligantur, & proinde una clavis eſt ad aperiendum & claudendum cœlorum regnum, qvæ pro

diverſitate objectorum itemq; & factorum duplex in qvibusdam numis eſt, ſolvens ſcilicet & ligans, adeò ut etiam numis faſtuoſi illi Præſules tacitè anathematis fulmen in Regem hunc qvoq; vibraverint, qvemadmodum verbis id factum eſſe fuſiùs in hiſtoria patria legimus.

Etiam in aliqva Daniæ civitate Epiſcopali numum, ſecundo loco ſub numero 52. hic aſſervatum & cruce qvadrata in prima facie ſignatum, cuſum eſſe, non eſt qvòd dubitemus. Ex adverſo latere numus idem habet regni inſigne, coronam nempe, pro ejusdem ſeculi more, apertam. Nullos enim Septentrionis Reges eo tempore geſtaſſe coronas niſi apertas, docet etiam numulus in tabula hâc numero 71. ſculptus, qvi eſt *συγχρόνω* Regis Norvagiæ *Erici* Præſtehadere i. e. Clericorum oſoris. Talem coronarum formaturam, ſplendido Regum ſuccedentium ordine usq; ad *Chriſtiani* IV., Magni Regis, tempora duraſſe, ex numis & ſigillis eorum qvoq; intelligimus, nam ab eo tempore Patriæ illi Statores priſtinas Daniæ glorias, qvibus Majores ipſorum claruerunt, modo eminentiori inſtaurarunt.

Priſtinum monetæ Danicæ decus ejusdemq; valorem huic Regi ulterius curæ & cordi fuiſſe, etiam lex hæc, in concilio Nyburgenſi in Fionia anno 1284. ab ipſo promulgata, conteſtatur: Then Mynt ther i Siælandt ær/ ſcal wære ſo got ſom then ther i Jwtlandt ær. h. e. *ejusdem valoris & bonitatis debet eſſe moneta Siælandica atq; Jutenſis ſive Cimbrica*; Regi verò huic, variis regni negotiis ſubditorumq; inſidiis obruto, non diu poſtea ſuperſtiti, monetam pondere & bonitate coæqvare, qvantum ſcimus, vix contigit. Scanienſi interim monetâ, utpote qvæ cæteris in Regno Daniæ præpollebat, ſolutiones numarias inprimis factas, in *Chronicis Dan. Huitfeldii* & ſtipulationibus ubiq; percipimus, niſi qvod ibid. *pag. 360*, meminerit *Chriſtiernus* Epiſcopus Ripenſis, exſtitiſſe eqvitem nomine *Heine*, qvi tempore Reginæ *Agnetæ*, qvam *Ericus Glipping* duxerat, urſit, ſibi alicujus ſummæ numariæ ſolutionem Siælandica & non Cimbricâ monetâ fieri, qvas qvidem coæqvandas Rex idem prædicta lege ſancivit.

REGIS ERICI VII, cognomine MENDVED.

Tab. XXVIII.

No. 53. †. ERICVS REX. *Lilium.*
†. DANORVM. *Corona aperta.*

No. 55. ERIC. *Haſce qvatuor literas qvadrata crux angulatim habet.*
REX, *literæ eædem ambiunt trigonum, liliis ornatum.*

Ericorum, Daniæ Regum, numos diſcriminare ex nominum inſcribtionibus, factu difficile putamus, nullis, prout in hiſtoriarum vernacularum monumentis tamen fit, additis cognominibus. *Mendved* qvippe Rex hic ob id in hiſtoria patria, qvòd cùm qvicqvam aſſertum vel negatum vellet, verbis ſuis ut plurimùm adjicere ſolitus erat: Ja Mænd & Ney Mænd/ ſicut pater ipſius *Glipping* à nictatione oculorum, fuit cognominatus. Nec conſeqvens & citeri-

terioris ævi nota eſt, qvemadmodum qvidam ſentiunt, qvod nomen Regum in numis qvatuor his literis ERIC exprimatur, & non ERICVS, ut in inferioris ævi Ericorum numis inciſum conſpicitur. Præſumere enim non licet typi ſculptorem ideò tantùm nomen Regis per qvatuor literas has ERIC inſculpſiſſe, qvòd ſeculum hoc adeò fuerit barbarum, ut monetæ Cuſtodes, qvorum ductu typorum inciſores ſculpſerunt, nomen Erici latinè in numis reddere non calluerint, ſed potius literas nominis regii ERIC ita poſitas & diſpoſitas fuiſſe exiſtimandum ob qvatuor crucis in numo angulos, ut ſuo qvælibet litera inſereretur loco. Nullis ſic in Ericorum numis deſcriminis veſtigiis indagatis, vera tamen numorum *Erici Menvedi* χαραγματα hìc eſſe apprehendimus lilia, qvæ in utroq; Erici numo, purioris argenti, hìc qvaſi pullulaſcunt, qvemadmodum TAB. XXV. No. 32. 34. & 36. depromſimus ejusdem commatis numos, ære ut plurimùm ſuffarcinatos, & in prima parte etiam liliaceos, in ſecunda partim inſignibus Epiſcopalibus inſignitos, qvos hinc Otthiniæ Epiſcopales ſub Rege *Erico Menvedio* percuſſos eſſe probatum dedimus: Nullius enim Epiſcoporum numismatis in Dania, qvantum ſcimus, annumerari poſſunt, niſi Otthinienſis Epiſcopi *Petri Pag*, ſolus ille fuit ejusdem nominis, qvi in *Chron. Epiſc. pag.* 40. flore lilii in ſuis inſignibus gentilitiis decorus, & Regi *Erico Menvedo* cariſſimus, Otthiniæ ab 1301. ſedem tenens, memoratur; Qvamvis alii ſint, qvi numulos hos liliaceos nullibi niſi Ripis Phunduſiorum cuſos eſſe cenſent, ubi in monte liliorum, qvi adhuc exſtat, primum Eccleſiæ Ripenſis templum aliæq; ædes in vicinia olim exſtructæ narrantur, notum qvippe eſſe volunt ex legibus municipalibus urbis Ripenſis, qvas ad ejusdem civitatis numos hìc TAB. I. laudavimus, etiam ante Regem *Ericum Menvedum*, patrisq; ipſius *Erici Glippingii*, in Dania regnantis, tempore in urbe hac Phunduſiorum officinam exſtitiſſe monetariam, ſatis celebrem, id qvod ſerìùs qvidem de moneta Otthinienſi legimus, qvam tamen æqvè ac per cæteras Daniæ provincias, antea conſtitutam fuiſſe ſperamus ſatis clarè eviciſſe. Præterea notatu qvoq; dignum eſt lilium hoc τριφυλλον in numis hìc procuſum, qvod in numismatis Franciæ à *M. le Blanc* non priùs qvàm ſeculô duodecimô obſervatum. Profeſſor Gymnaſii Otthinienſis, *M. Th. Broderus Bircherodius*, monetæ patriæ perqvam peritus, in *Specim. antiq. rei monet. Dan.* ad pag. 60. nobis depromit inde à ſeculô undecimô in ſigillo urbis Otthiniæ, qvæ *Adamo Bremenſi in Deſcribt. Dan.* dicebatur ſuo tempore *Urbs ſatis magna*: Urbs certè eſt adhuc inſignis, elegans & civitate grata, qvæ ob amœnum ſui in Fionia ſitum inſigne hoc pervenuſtum meretur. Ejusdem Regis tempore circa annum 1288. denarii novi leguntur cuſi, qvos literæ regiæ proferunt, & qvibus Rex idem Capitulo Lundenſi 27. marcas denariorum novorum ex civitate Lundenſi qvotannis confirmavit, *Chron. Epiſc. Hvitfeld. p.* 63. Hi denarii novi qvin minores fuerint pondere prioribus denariis, non dubitare licet, ideò enim tunc temporis novi cudebantur, non ut meliores fierent, ſed ut majus lucrum ex moneta rediret, qvi denarii novi usq; ad annum 1355. repetuntur lingvâ vernaculâ **Nye Skaanſke Penninge af Lunde Mynt.** Nihilo minus ex donatione D. Chriſtierni Epiſcopi Ripenſis anno 1298. ſcholaribus 20 alendis ſcribtâ ſatis patet Danicos & Anglicos denarios eodem ambulaſſe paſſu: comparantur enim in prædicta donatione cum marcis denariorum libræ ſterlingorum, ita ut qvadraginta marcæ denariorum tunc temporis æqvipolluerint qvinq; libris Sterlingorum,

qva

qva ratione octo marcæ denariorum conſtituebant unam libram ſterlingorum, qvæ ſi hodiernæ monetæ conferantur, ut libra ſterlingorum valet 13. marcas Lubecenſes cum dimidia, reperiemus marcam denariorum Ripenſium ejus temporis valuiſſe 27. aſſes Lubecenſes. Hinc illa diſtinctio in donatione eadem, qvòd alii *denarii uſuales*, alii *legales* appellati fuerint. Qvamvis enim lex certam bonitatem denariis præſcribſerit, rarò tamen ex lege ſignabantur, ſed ex uſu valebant, licet minoris probitatis fuerint, qvàm lex juſſerat. Eô igitur tempore marca denariorum cùm fuerit 27. aſſium Lubecenſium, denarius valuit unum aſſem Lubecenſem ejusq; denariolos 5¼, cùm ante dimidium ſeculum adhuc ejus ponderis & bonitatis eſſent denarii ut æqve ac Anglicani propemodum tres aſſes Lubecenſes hodiernos efficerent. Id qvod evincit, qvantum tunc temporis denarii fuerint imminuti. Et in qvem ſtatum Rege hoc in Dania regnum tenente, redacta ſit moneta Slavorum, ex literis, qvas adfert *Hvitfeldius Chron. Dan. pag.* 377., anno 1314. ſcribtis percipimus, ubi memoratur, marcam argenti puri, nobis Løde Marck Sølv, æqviparatam fuiſſe qvinq; marcis Slavicis, atq; ſic olim valuiſſe marcam argenti additur. Qvæ ratio nos docet denarios Slavicos eo tempore fuiſſe viliſſimos & non exceſſiſſe qvatuor gradûs argenti puri, noſtratibus fire Løding/ aut in octo unciis horum denariorum non junctas fuiſſe niſi 4 ſemuncias argenti puri præter propter, ſex uncias reliqvas æris additicii maſſam continuiſſe: Et ſi 5. marcæ Slavicæ numerari deberent ad complendam marcam argenti puri, denarii iſti non continuerunt niſi tres ſemuncias argenti puri cum una qvinta parte ſemunciæ in marcâ. Et has marcas putamus fuiſſe Lubecenſes, cùm Lubeca tunc temporis fuerit caput Slaviæ, cujus monetam in urbibus Slavicis circa annum 1325. in meliorem redactam fuiſſe ſtatum colligimus: qvippe ex *Schedulis Johannis Rentzel*, qvæ Hamburgi, anno 1537. manuſcribtæ, olim cuſtodiebantur in domo Senatoris van Spreckelßen/ patet Ao. 1325 in urbe illa numos primùm cuſos, qvi 14 graduum puri argenti erant, & eorum 42⅔ numos effeciſſe marcam argenti, qvemadmodum & prædictus *Rentzel* ibidem indicat, Lubecenſes ante annum 1403. ſcillingos ſuos cudi curaſſe, qvi numerô 57. in marca continebant 15. gradûs puri argenti. Verba ipſius ſunt hæc: Anno Domini Duſent dree hundert viff und twintig do würden de erſte Penninge in Hamburg gemüntet van veertein Loth Finß/ holdende/ geſchrödet up de Lödige Marck 42. ß. 8. ß. & ante annum 1403.: Item gemüntet in Lübeck Schilling up ene Siden S. Johannis, de andern Siden een Keyſer/ſchrödet up de Marck 57 Stücke/ holdende 15 Loth Finß.

REGIS CHRISTOPHORI II.

TAB. XXV III.

No. 56. CHRISTOFOVS. *Crux qvadrata.*

Ex adverſo:

✠. REX DANORVM. *Duæ columnæ, ſiglæ ſeu numerus binarius.*

Accedimus jam ad numulos Regis, qvi in hiſtoria patria *Chriſtophorus* ejus nominis eſt II. Hic Dux *Eſthoniæ* & juſtus fratris hæres ad gubernacula Daniæ anno 1320. promotus, ob denegatum cenſum, qvem ſubditis usq; ad deci-

decimas redituum omnium imperavit, ut fratris persolveret æs alienum, varias hinc simultates inter se subditosq; suos ciebat, qvi & exul continuò est factus. Imperio deinde restitutus antiqvum obtinuit, qva de re tandem aliqvando à subditis, vicinorum ope, conjectus est in vincula, qvibus vix elapsus Nycopiæ in Falstria anno 1331. occubuit. Nec huic temporum immanitati rem monetariam in Dania penitus succubuisse, exinde colligimus, qvòd annales nostri, Rege *Christophoro* II. meminerint ædes monetales & Lundis Scanorum & Ripis Phunduſiorum exstitisse perqvam celebres: Scanoræ itidem & Lundis tempore fratris ipsius *Erici Menvedi* qvoq; fuisse erectas officinas, nobis etiam autor est *Hvitfeldius* nostras *pag.* 405. qvam Rex Lundis, totâ Scaniâ Domino *Ludovico Alberti ab Eberstein* oppignoratâ, sibi reservavit & *pag.* 442. Rex *Christophorus* II. *Johanni* Comiti Holsatiæ, ob sibi in exilio latas suppetias indulsit privilegium flandi & feriundi numos Saxcopiæ in Laalandia. Tot & tantis in Dania sancitis monetis, magnam ejusdem Regis congeriem numorum, qvamvis turbulentis temporibus, ex eisdem officinis profluxisse non dubitamus. Qvæ vero computatio in marcis denariorum Danicorum tempore Regis hujus fuerit, exactè produnt literæ regiæ, qvas Christophorus II. dedit Ludovico memorato ab Eberstein anno 1325. apud *Hvitfeldium* p. 425. in qvibus Rex fatetur, se dicto Ludovico *aliqvot mille marcas denariorum Scanienſium uſualium debere, qvos ſolvere tenetur vel marcis Siælandicis, ſi velit, vel argento puro, ita ut pro qvalibet marca denaria Scanienſi duas marcas denarias Siælandiæ, vel pro ſingulis qvatuor marcis cum dimidia denaria Scanienſi unam marcam puri argenti, ſub pondere Colonienſi ſolvere valeat*, prout verba ibi jacent. Ex qvibus elicere possumus novem marcas denariorum Siælandicorum reqvisitas fuisse, ut marca puri argenti compensaretur. Anno 1327. novos Scanicos denarios legimus, qvi, nisi fallimur, percussi sunt postqvam Christophorus II. expulsus fuit & Valdemarus Erici Ducis filius in regnum cooptatus erat, haud meliores prioribus. Hæc verò marcarum diversitas præterea qvoq; denarios peperit diversos, ut alii essent minores, alii probiores ac ponderosiores. Nam cùm marca Siælandica duplo minor fuerit marcâ Scanicâ etiam denarii Siælandici, eodem licet nomine, Scanicis fuerunt viliores. Et hæc prima origo Siælandicæ monetæ, qvæ hodie etiamnum à marcis Lubecensibus ratione dimidia differt, tandemq; traxit in mores suos cæteras regni Daniæ provincias. Tentavit qvidem Rex Daniæ glorioſisſimus FRIDERICUS II. anno 1574. Danicam monetam Lubecenſi parem facere, dum duas marcas Danicas jussit unam esse, dicente *Hvitfeldio* ad annum 1395. p. 600., sed addit hæc non diu usum retinuisse, unde CHRISTIANI IV. tempore moneta, aliqvantisper vaga, ad pristinum redacta est statum. Numus, qvem hujus Regis sub No. 56. attulimus, est moduli conspicui, qvi major cæteris Regum antecedentium numismatis aliqvalem sibi exinde acqvirit splendorem, qvamvis sit aliqvantùm æris Cyprii. Columnas in postico habet duas, eodem modo, qvo posteri ipsius, Reges *Valdemarus* IV. & *Olaus* V. in numis eorum cudi curarunt, binis his numeris, nì fallimur, numi pretium significantibus: Duas enim Oras & leges Siælandicæ & Juticæ locò mulctæ sæpius ponunt; Antiqvitus verò Oram fuisse numisma computatitium non cusum *H. Spelmanno* & *Somnero* qvidem suffragamur, qvomodo *Haqvinus Magni* filius una cum *Magno Baerfood* seu *Nudipede* Rex Norvagiæ constitutus anno 1093. remisit *Noruagis Land-oram.* h. e. numariam

qvandam ſolutionem, qvam incola qvivis, regno egrediens, ſolvere tenebatur; Et in legibus Danicis, Sagefalds-Ore certam pecuniæ ſummam, 2½ unciales valentem, denotabat, ſed eam non minus atq; marcam denariorum, à limitata denariorum ſuffiula ſic denominatam, cum tempore exſtitiſſe cuſam nulli dubitamus. Hinc & *Oſterſonius* noſtras *Gloſſarii Juridico-Danici p. 605.* Oras diſpeſcit in eas, qvæ argenti ſunt & qvæ denariorum numerantur, computatq; unam Oram argenti valere 2½ Oras denariorum, qvæ jam conficiunt 7½ aſſes ſeu ſcillingos nobis uſuales, & calculis ita poſitis, duæ oræ denariorum facient jam Danicos aſſes qvinq;. Danis enim Angliæ imperium tenentes denarios ſuos ſemper qvoq; in Oris numerarunt, de qvibus *Edmund. Gibſon* ad *Cambdenum* p. 137. ex *Hardingo* hæc habet: *The Danes alſo whilſt they gouverned here uſed the Saxonlike penny, though they reckoned by* Ores. Numulum autem noſtrum hic luci expoſitum tanti pretii, cùm mediocris ſit bonitatis, veremur deputare, mentionem enim eodem loco injicit *Oſterſonius* noſtras vilioris numuli, Ørtugæ ſcilicet, qvam diſtingvere videtur in novam & veterem, & calculum ponit, novæ monetæ Ørtugam tantùm conficere duos albos Danicos, ſeu trientes, veteris verò monetæ Ørtugam ſesqviaſſes uſuales Danicos, cujus pretii numiſma hocce potius eſſe autumamus, niſi politioris doctrinæ lector maluerit, Regem hunc Oræ puritatem in tantum depravaſſe, ut eò citius fratris demortui perſolveret æs alienum, provinciasq; hinc oppignoratas regno reſtitueret, in cujus uſum ſubditi ipſius cenſum impoſitum denegaverant, prout antea meminimus.

VALDEMARI IV.

qvi filius eſt CHRISTOPHORI II. & cognomine ATTERDAG.

TAB. XXVIII.

No. 57. VALDEMARUS. *In medio numi.* II.
In averſa:
REX DANORUM. *Crux qvadrata in numi averſâ aream.*

No. 58. VALDEMARVS. *In numi intermedio* II.
REX DANORUM. *Crux item qvadrata.*

TAB. XXV.

No. 48. ✠ VALDEMARVS. *In area numi* ☊.
In poſtica:
✠ REX DANORVM. *Crux qvadrata.*

TAB. XXVIII.

No. 59. ✠ VALDEMARVS. *In medio numi* O.
✠ REX DANORUM. *Crux eadem.*

Poſt obitum *Chriſtophori* II. Dania ſuo exitio per ſeptennium multas exantlavit ærumnas, dum provinciarum dominatores potius ex pignore loculos ditare, qvàm hoſtes, regni lacinias hinc inde abſcindentes, arcere voluerunt. Legitimum igitur Regis *Chriſtophori* II. hæredem *Valdemarum*, qvi exul

exul aulam Imperatoris *Ludovici Bavari* non ſine induſtriæ laude ſeqvebatur, ad Regni gubernacula Daniæ cives revocabant, ut ſibi impoſitum excuterent jugum. Anno 1340. redux, primùm Daniæ provincias, in partes plures, veluti Penthei artus, diſſecatas, hoſtium manibus extorſit, qvas una cum oppignoratis, aut pecunia aut pactionibus à ſe redemtas, generoſo animo in unum paulatim reduxit, omnes exterorum dominationibus exhauſtas. Qvomodo & Balthici maris ejusq; inſularum dominium vindicavit ſibi, præſcribendo identidem Holſatiæ, Saxoniæ, Vandaliæ Hanſeaticisq; urbibus easdem leges, qvas ſubditis Daniæ antea dare non ſunt veritæ. Tandem in arce Gurrea, cujus adhuc prope Helſingoram in Siælandiâ rudera oſtenduntur, podagra laborans, die Criſpini & Criſpiani, qvi fuit 25. Octobris, anno 1375. rebus humanis exceſſit, ipſius verò imperii trigeſimo qvinto.

Exſeqviis poſt celebratis in ædem cœnobii Sorani juſſu filiæ Margaretæ translatum eſt funus, ubi ſub tumba, ex marmore exſtructa, qvieſcit. Regi huic ob tritum ipſius proverbium, qvotidiano ſermoni adhibitum Atterdag/cognomentum Atterdag hærebat, qvo innuere voluit, iterum inſtare diem, nec omnes ſoles omninò occidiſſe. Cedebat tempori & plura conſilio qvàm vi gerebat, utpote qvi egregiis dotibus undiqvaq; præditus erat, qvæ induſtriam, vigilantiam atq; animi ejus adverſus tot incidentes caſus invictum robur declararunt, & hinc tempus diesq; ipſi, poſt tot exantlatas ærumnas diu ad clavum imperii ſedenti, multa revelavit.

Monetarias res qvod attinet, Rege hoc omni induſtriâ regnante, monetæ exſtitêre variæ. Anno 1355. Rex *Valdemarus* in arce Wrangſtorp die S. Olai qvædam inſtituit comitia, in qvibus Hiſtorici noſtrates meminerunt de re numaria decretum factum publicatumq;, qvòd emendæ Regi, ſupremo judici, ſecundùm leges patrias debitæ, duplicarentur, ut vel eo citius qvoq; Rex hic provincias, Principibus exteris jam diu oppignoratas, redimeret. Cui bono etiam cenſemus, anno ſeqventi, eundem Regem monetam imminuiſſe novamqve cudi feciſſe, qvando *Hvitfeldius* noſter *pag.* 511. *Chronolog. Dan.* narrat, eum, ob æneam pro argentea ſubſtitutam, male audiiſſe.

Primum ergo, qvi ſeſe hìc offert No. 57. qvidam ex illis eſſe perſentiunt, qvi ex metallo mediocri cuſi, majorisq; pretii ſunt deputati, qvàm cæteri, qvare & trinis inſigniti videntur columnis, numuli valorem fortè denotantibus, qvemadmodum aliqvi binis percuſſi habentur. Ex qvibus monetam imminutionis & mutationis à Rege hoc factæ etiam arguunt.

Columnas duas, qvibus numus No. 58. ſignatus in averſa ſeqvitur, qvodammodo illuſtratas videbis in numi *Chriſtophori* II. deſcribtione, cætera ejusdem ſunt tenoris, atq; proximè præcedens numulus. Nec aliud de columnis hiſce, qvibus numuli ſignati ſunt, dicere in promptu erit, cui acqvieſcendum, donec ſe melior obtulerit illuſtratio, niſi qvis maluerit, deletâ jam Epiſcoporum memoriâ in numis, ſiglis his denotari nomen Monetarii cujusdam, ſub Regibus *Chriſtophoro* II., *Valdemaro* hoc & *Olao* V. Roeskildiæ aut alibi in Dania degentis, cum in numis horum Regum eædem exſtent columnæ, juſto tamen pretio numis deputato: *Johannem* qvippe monetarium Regem *Chriſtophorum* I. Roeskildiæ habuiſſe *Hvitfeldius pag.* 249. narrat, qvem ejusdem nominis juniorem poſtea ſub Regibus his vixiſſe, haud refragamur. In aprico qvidem eſt, nullos iis temporibus apud exteros Reges, Duces aut populos, qvantum ſcimus, dari numos columnis his, pretii loco ſignatos, ne

qvidem in urbibus Hanſeaticis, qvæ, ut *Crantzius in Vandalia* ſua *c. 38. lib. 12.* ait, *uno pondere â longa memoriâ monetam habuêre*, & qvarum magiſtratus in fingendis & corrigendis numis, ſummâ ſemper incubuerunt curâ, Regesq; & Principes vicinos tandem exemplum ſeqvi ſuum fecerunt. Nec hoc adeò obſtare videtur, nam qvemadmodum *Crantzius* locò citatò ſubindicat, civitates has anno 1468. necdum potuiſſe adducere Reges & Principes vicinos in eam ſententiam, ut numos cudi facerent in earum exemplum, & expreſſis ibidem dicit verbis; *Minoris ſemper fuêre in vicinis provinciis argentei numi*, & paulo antea: *Sed non poterant*, (urbes) *occurrere malis, qvæ prævenire cupiebant:* Ita qvoq; exinde certò colligere licet, Reges noſtros, cum qvibus civitatibus his multæ tunc exſtitêre ſimultates, in ſignandis numis earum mores antiqvitus etiam non ſecutos eſſe. Nec *Magnus* Dux Megapolenſis, qvem vicini Principes ſecuti ſunt, prius qvàm initiò ſeculi XV. *conſtituit æqvare malleum ſuum urbibus in moneta Lubecenſibus concurrentibus*, prout laudatus *Crantzius lib. 14. cap. 22.* memorat. Rege præterea Valdemaro IV., Lubecenſes ab Imperatore Ludovico IV. de monetâ cudenda jus ſuum Monaci die 28. Novemb. anno 1340. ſunt conſecuti, *qvòd ipſi valeant*, ut verba diplomatis M. S. jacent, *numos & denarios aureos & argenteos in civitate Lubicenſi fabricare & licitè monetare, ſicut ipſis videbitur &c. ita ſanè, qvòd unus aureus Lubicenſis non ſit gravior pondere & valore, qvam florenus aureus de Florentia, argenteus verò, ſex bonorum & dativorum Hallenſium non excedat.* Et Denarii argentei anno 1325. in *ſchedis Johannis Rentzel*, qvæ Hamburgi anno 1537. manuſcribtæ poſtea in ædibus Senatoris **van Spreckelſen** aſſervabantur, qvarum apographi nobis copia facta eſt, primùm ab Hamburgenſibus cuſi ſic memorantur: **Item** Anno Domini **Duſent dree hundert viff und twintig do würden de erſten Penninge in Hamburg gemüntet van veertein Loth Finß/ holdende/ geſchrödet up de Lödige Marck** XLVII. ß. VIII. ₰. & poteſtatem hanc numos cudendi qvoq; *Wulf. Henr. Adelungkus in breviar. hiſt. Hamburg. p.* 29. haud immemor fuit Hamburgenſes anno eodem ſolos, ex gratia Comitum Holſatiæ de Schowenburg, conſecutos eſſe. Paulò item poſt, ni fallimur, circa 1350. mutuò fœdere ſemet de moneta colligarunt qvatuor urbes, Lubeca, Hamburgum, Luneburgum & Wismaria, deindeq; nomen Scillingorum impoſuerunt numis ſuis, fabricando tales, qvi eſſent argenti ferè puri, utpote qvindecim graduum, 15. **Lödig** nobis eſt, & qvot Scillingi, tales ſcilicet qvinqvaginta ſeptem, marcam argenti conſtituere deberent, ſimul edixerunt, qva ratione Scillingi primi civitatum harum pondere drachmam unam cum octava parte drachmæ & amplius continere debuerunt, & ſeptem tales Scillingi hodiernum uncialem numum imperialem æqvabant. Sic enim prædictus *Joh. Rentzel* ante annum 1403. meminit in ſchedis ſuis: **Item in Lübeck gemüntet Schilling up ene Siden** S. Johannis, **de andern Siden eenen Keyſer/ ſchrödet up de Marck** LVII. **Stücke/ holdende 15 Loth Finß.**

Tertius & qvartus, qvi hic inſeqvuntur numuli, æqve ac proximè præcedentes, fermè ſunt argentei, juſtiq; exinde cenſentur eſſe pretii. Præter ſolitam numorum Regis hujus inſcribtionem prior in lateris primi intermedio habet M. magnum & rotundum, prout nobis videtur. Qvi verò rem hic acu tetigiſſe ſentiunt, aliqvo modo ſurſum vertunt literam hanc & ex ea formant E, qva *Erici* Epiſcopi Othinienſis, nobili Krabbiorum proſapiâ ſati & ſub Rege hoc Othiniæ ſedentis, nomen exprimere ſatagunt: Si verò penitius

tius nobiſcum inſpexerint numulum, videbunt, lectionem in area ejus eſſe incipiendam ſecundùm crucem ante literas in orâ ejusdem numismatis poſitam, qvemadmodum in numis antiqvis ubiq; lectio ſic inſtituenda, unde litera monaſtica M. ſeſe nobis hic ſponte offeret. Et charactere hoc congruenter jam eruto, dijudicare non minus difficile erit, qvid eâ Monetarius voluerit indigitari, cùm nec civitatis nec Epiſcopi cujusdam, jure cudendi numos gaudentis, nomen, à litera M. incipiens, *Valdemaro* hoc regnante, detur. Malmogiæ enim opidum, qvod anno 1319. necdum cœperat radices firmiores agere, eq; ſolo & fundamentis tunc primùm fuerat eductum, indicari hoc charactere, veremur ſtatuere, qvoniam à Rege hoc *Valdemaro* eadem urbs anno 1360. tantùm exornata legitur eâ prærogativâ, ut ipſi per Daniæ Regnum ſua negotia immuni liceat exercere, & de monetâ ibi altum ſit ſilentium. Nec moneta Malmogienſis argentea prior, qvàm ſub Rege Chriſtophoro Bavaro nobis comparuit. Igitur perſvademur, mentionem gratam & glorioſam hic injici *Valdemari* filiæ, Reginæ *Margaretæ*, qvæ hæres Regni Daniæ anno 1353. nata, *Haqvino* verò Regi Norvagiæ anno 1359. deſponſa, anno 1363. matrimonio ei juncta eſt, anno ætatis ſuæ decimo. Poſterior ſeu proſtremus, qvi hic eſt *Valdemari* numulus, & ejusdem inſcribtionis ex antica facie, qvæ incuriâ chalcographi inverſa, literâ monaſticâ O in medio eſt inſignitus, ex qvo conjectare qvidam præſumunt, numisma hoc ſub Rege eodem procuſum fuiſſe Othiniæ in Fioniâ. Qvi verò meliùs cenſere videntur, literâ O initiali indicari autumant Ortingiam, aliàs Vordingburgum, ſeu Oringborg, nobis antiqvitus dictum, cùm multum negotii fuerit Regi huic in locò illò, ob comitia & Regia ſtatuta aliàs ſatis celebri: Arx qvippe fuit Regum Daniæ qvondam munitiſſima, cujus tractus, autore *Hvitfeldio* noſtro *p.* 526. Regi *Valdemaro* IIII. adeò jucundus fuit, ut ibi commorari maximè amaverit, magnificéq; arcem hanc inſtaurari & ampliari fecerit, urbem ampliſſimam potius, qvàm arcem, exædificando, monetariâ officinâ perdignam. At qvia in numis Regis Olai, qvi hic ſeqvuntur, literâ O Regis ejusdem nomen certò innuitur, certiùs judicamus Potentiſſimum Avum literâ eâdem nomen ex *Margareta* filiâ nepotis, qvem unicum habuit ſexûs maſculi ſucceſſorem, in numo hoc indicatum voluiſſe. Qvomodo in *Margareta* numis ex literâ M. Reginæ hujus nomen, uti & hic in numis ex literis O & M. *Valdemari* exoptatorum ſucceſſorum nomina antiqvarii noſtrates eruunt, id qvod etiam ex ſiglis Epiſcoporum in numis, præſertim *Olao*, Margaretæ filio, regnante, liqvidò conſtat. Præſagire numis ſuis *Valdemarus* hic videtur, conſummatæ virtutis ſobolem hanc ſuum poſſeſſuram eſſe ſolium, qvi inprimis conſiderans filiæ virtutes maximas prolocutus eſt, *in illa naturam aberraſſe, fœminamq; protuliſſe, poſtqvam virum ſtatuiſſet.* Nec procul à ſtipite pomum cecidit, cùm *Olaus Margaretæ* ejusdem filius, etiam *Valdemaro* ſuperſtite, tantæ exſtiterit indolis, ut utriusq; Regni, Daniæ & Norvagiæ digniſſimus habitus fuerit Princeps. Seqvuntur jam numismata

REGIS OLAI nomine V.

Valdemaro IV. mortuo, in filiæ ipſius, *Margaretæ* & *Haqvini* Regis Norvagiæ filium *Olaum* tandem, poſt varia diſſidia, populus Proceresq; Daniæ con-

ſensêre, qvem decennem & qvod exceſſit, die inventionis crucis, Slagloſiæ in comitiis ſuis anno 1376. Regem ſalutarunt, præſentibus *Olai* parentibus ſpectatiſſimis. Anno ſeqventi leges conſtitutionesq; ſuas, qvibus ſe ſubditosq; teneri voluit Rex, Matris *Margaretæ*, Danicæ illius Semiramidis, conſilio & ope circa ineuntem Junium Nyburgi in Fionia promulgavit, ut curam legum regniq; ſummam ſibi fore teſtaretur. Præſuli Lundenſi tum qvartam partem cudendæ ibidem monetæ inter tot liticulas anteceſſoribus ipſius, ut antea narravimus, à Regibus demtam, attribuit, more nempe, ut in hiſtoria patriâ additur, dudum uſitato. Exinde monetam vitam ſpiritumq; fortiorem ſumſiſſe, qvæ ab hoc Antiſtite etiam corroborari cœpit, nulli dubitamus, & ex eadem monetæ officinâ Metropolitanâ allati qvoq; numi partim prodiiſſe videntur, qvi ex medio ſive mixto metallo hic æri inciſi exponuntur luci. Annotat *Hvitfeldius Chron. Dan. pag.* 568. præter ſeqventes denarios, in Dania, Rege *Olao* V., Albos, noſtratibus Hvider/ & ſcillingos Lubecenſes fuiſſe in uſu, inq; annonæ vilitate anni 1381. memorat vervecem qvatuor Albis & vaccam tribus ſcillingis Lubecenſibus in Dania emtam eſſe: Scillingos autem Lubecenſes, majoris ponderis & pretii Rege in Dania *Valdemaro IV.*, qvàm nunc exſtitiſſe, clarè ſatis ſuprà ad numos ejusdem Regis demonſtravimus, ſeptemq; illorum æqviparatos fuiſſe numo, qvi hodie nobis eſt uncialis. Albos verò Danicos anno 1495. *Hvitfeldius pag.* 1011. prodidit in conventu Leventzovienſi rejectos fuiſſe & prius qvatuor albos (utpote leviores) ſcillingum Lubecenſem valuiſſe, qvem tres Regis hujus tempore feciſſe albos exiſtimamus; aliàs laudatus Hiſtoriographus noſtras, ſeu ille, ex qvo computationem deſcribſit, non hic dixiſſet vervecem qvatuor Albis venditum fuiſſe, ſed potius ſcillingo Lubecenſi, præterea tres Albi antiqvitus, qvemadmodum in rationibus ſolariorum extat, unum efficiebant aſſem ſeu ſcillingum, in duodecim denarios diviſuum. Cui accedit, qvòd qvatuor urbes Lubeca, Hamburgum, Lunæburgum & Wismaria anno 1411. Lubecæ pactis ſe invicem in die Michaëlis alligantes, inter alia ſanciverint numum album qvatuor denariorum poſthac procudere, cum cujusq; civitatis inſignibus in antica, in poſtica verò cum cruce numum pertranſiente, prout ex laudati *Johannis Rentzel ſchedulis M. S.*, qvæ Hamburgi aſſervabantur, percepimus. Verba ipſius hæc ſunt: **Int erſte is berahmet/ dat man ſlaen ſcall eenen Witten Penning vor veer Penning/ unde de witten Penning ſcall hebben ſiner Stadt Wapen up der enen Siden/ und up der andern Siden durchgaaende Crützen.**

TAB. XXVIII.

No. 60. O. REX. *Crux ex qvatuor foliolis, ut apparet, compoſita, qvæ angulatim literas præcedentes habet circumſcribtas.*

In averſa:

DANORUM. *Ambiunt literæ hæ duas in medio columnas.*

No. 61. O. REX. *Qvatuor ſunt literæ, qvæ angulos qvatuor crucis ſingularis, qvaſi ex qvatuor pugionibus compoſitæ, occupant.*

In latere averſo:

I. A. *Inter ſiglas haſce lituus clavisq; Epiſcopalis eminent.*

Numulum, qvi ultimò locò hic ponitur, nullius niſi Præſulis cujusdam, ſub Rege hoc ſedentis, eſſe, inſignia epiſcopalia ſatis clarè indicant, nec ulli Epi-

Epiſcoporum, aut in Dania aut Norvagia ſub Rege hoc ſedenti, ſecundùm ſiglas, qvod ſciamus, attribui poterit, qvàm *Jonæ Asloenſi*, qvem, Rege *Olao* regimini Norvagiæ inaugurato, anno 1381. ſuperſtitem & præſentem fuiſſe narrant *Chronica Norvagica pag.* 850. Nec in qvemcunq; alium Epiſcoporum Daniæ, Rege *Olao*, ſedentem, characteres hi aptius qvadrant, cognomen enim nomini ſuo in numis, ſigillis aut diplomatis vix addere ſolebant Præſules illi, qvemadmodum & *Nicolaus Stygoti*, qvi *Valdemaro* II. & *Erico* Plouġ-Penning regnantibus, Roeskildiæ ſedit, in numis nomen ſolùm adjecit, cujusnam loci Epiſcopus eſſet, cognomine omiſſo, & *Jacobus Erlandi*, *Erico* eodem Rege, in numorum adverſa parte nomen ſuum tantùm procudi fecit, absq; cognomine aut muneris titulo, uti antea idem probatum dedimus. Et ſi qvæ nominibus horum Antiſtitum additæ fuerint denominationes, illæ certè petebantur à ſede metropolitana, ut: *Nicolaus* Roeskildenſis, *Tycho* Ripenſis, *Petrus* Othinienſis & hic *Jonas Asloenſis*, ſcilicet Epiſcopus. Et ſic per ſeptennium poſtea Princeps hic, ſupra ætatem prudens, imperium utrumq; Danicum ſcilicet & Norvagicum, pacis, juſti atq; æqvi amans, omni induſtriæ laude tractavit, qvi conſilia Matris Senatorumq;, qvos comites plerumq; ſibi habebat, perbenignè admittebat. Falſterboæ ſuum præmaturè obiit diem, regni duodecimo, vitæ viceſimo ſecundo anno, longiore vitâ dignus: Viſcera ipſius, pro more ejusdem temporis, Lundis Scanorum in æde Divi Laurentii, qvam multis modis exornare gaviſus eſt, depoſita ſunt, corpus reliqvum verò in Soræ cœnobium translatum ibiq; ſub epicedio illuſtri conſecratum jacet, cum qvo Regum Daniæ & Norvagiæ ſoboles maſcula, antiqviſſimâ proſapiâ nata, deſiit.

REGINÆ MARGARETÆ
WALDEMARI IV. Filiæ.

Numos qvod attinet, ex annalibus patriis percipimus, eos, Reginâ hac ad Septentrionis gubernacula ſedente, in Daniæ provinciis interdum fuiſſe admodum raros, qvare & eò minus nobis jam obvii ſunt. Proinde qvoq; in legibus, qvas anno 1396. feria ſecunda proximè ante feſtum Converſionis S. Pauli promulgavit Wiburgi in Jutia, teſte *Hvitfeldio pag.* 607., maximè conqveſta fuit monetæ Danicæ penuriam in Regni Provinciis, mandatq; ibi argentum cenſuale ex qvalibet domo, denarios ſcilicet grandiores octo (Angli *Groſſos* ſeu *Groats* vocant) recudendos anno eodem in ſuppetias ſibi ferri. Memorant qvoq; eadem Chronica pag. 599. Epiſcopos Fionenſes inde ab anno 1355. usq; ad 1476. cenſum annuum qvatvor denariorum grandiorum, noſtratibus fire Skilling Grot viſitationis ergo ſub nomine *Hoſpitalitatis Epiſcopi* à qvolibet Sacerdotum ejusdem diœceſis exegiſſe & accepiſſe. Conſtat itaq; ſatis clarè numos eosdem, qvi groſſi vocantur, diu in Dania uſuales fuiſſe, horum qvemlibet *Hvitfeldius* ibidem, dum hæc chronica paravit anno 1602., æqviparatum vult novem aſſibus tunc Danicis, numo unciali, prout percipimus ex conſtitutione Regis monetaria anni ejusdem, 66. aſſes Danicos valente. Subindicant præterea, Regina hac regnum tenente, Chronica laudata p. 603. aliqvam differentiam inter marcas ponderis, Lødige Mark/ & marcas denariorum argenteas ſeu Lødige Mark Penninger/ qvas con-

conveniſſe non eſt qvod putemus, cum ibi ſeparentur in literis Senatus regni Sveciæ, qvibus Reginæ *Margaretæ* anno 1396. in caſtro Nycopiæ in Svecia promittuntur 10000 Lødige Mark og 3000 Lødige Mark dertil / ubi 10 millia marcarum puri & colliqvati cenſentur eſſe argenti, at tria millia marcarum, qvæ eodem nomine ſeqvuntur, aut vilioris argenti aut ponderis denariorum: Nam ſi ejusdem ponderis & pretii marcæ fuiſſent cum decem illis millibus marcarum argenti, qvæ præcedunt, non opus fuiſſet illas hic diſtingvere. Idem nobis *D. Petrus Dychman*, qvi Svecicè edidit libellum ſuum de numis Svecicis *obſerv.* 5. adfert diſcrimen, qvod dedimus, ubi docet marcas easdem denariorum non minus ponderatas fuiſſe, qvàm marcas argenti puri in Svecia Guſtavi I. temporibus, prout ex ejusdem Regis literis apparet. Ita qvoq; in teſtamento *Boi Jonſſons* 1384. legitur: Förſt giver jagh vår Frv Klöſter i Vadſtena / ſom jagh haver min Lägerſtad tu hundrede Marck Lødiga Penningar: Item giſver jagh fembtya Lödiga Marck til ſamme Klöſter: Item giſver jag hvariom Klöſter hundrade Marck Svenſke Penningar. Ubi teſtamenti conſcribtor accuratè diſcriminare ſcivit marcas argenti puri & colliqvati, Lödiga Marck / dictas, à marcis argenteis denariorum, Lödiga Marck Penningar. Unde *Jani Laurentii Wolfii Norrigia* alicubi ait: Atten hundrede Marck Danſke Penge og Otte og fireſinds tiufve Marck Lödig ſmelted Selv. Ubi qvoq; nullæ marcæ denariorum puri argenti memorantur, ſed marcæ denariorum potius impuræ, & marcæ argenti puri colliqvati. Magnum deniq; lumen rei monetariæ in Dania, Regina *Margareta* regnum tenente, literæ hypothecariæ Alberti Regis Sveciæ & Henrici Ducis Megapolenſis Germanicè M. S. fœnerantur, qvas, à nobis ex archivis nomarchiæ in Laalandia auſtralis protractas, percepimus Dno. *Matthiæ Ketelhode* ibidem anno 1376. in die Sancti Valentini fuiſſe datas ob trecentas marcas, qvæ Marck Löthig qvinq; groſſorum, nobis 5 Skilling Grø / expreſſè ibi denominantur, ſecundùm computationem marcæ in Laalandia. At majus nobis adferunt lumen breves illæ expoſitiones Dni. Canuti Epiſcopi Vibergenſis U. J. D. ſuper Jutorum, uti titulus præfert, legiſterium, ubi Epiſcopus ille lib. 2. cap. 5. ſic inſit: *Item licet marca argenti* (nobis Marck Lödig) *ſit multiplex, tamen hîc in legibus & in communi loqvela Danica atq; litteris intelligitur ut hîc de qvinq; ſolidis groſſorum, niſi adjecto alia fuerit appoſita.* Præterea meminerunt qvoq; tempore Reginæ hujus anno 1400. *Chronica Epiſc. Dan. Hvitfeldii p.* 28. Scillingorum Ripis in Cherſoneſo noſtra uſualium, qvorum 40. efficiebant marcam puri argenti, erat enim, uti ex his ratiocinari qvis poteſt, Scillingus talis fere 10. aſſium Lubecenſium aut, ſi accuratiorem volueris calculum ponere, 9. aſſium, $7\frac{1}{2}$ denariolorum hodiernæ monetæ Lubecenſis, qvem valorem Scillingi Anglicani etiamnum apud nos retinent. Dania adhuc non videtur uſa ſcillingis aliis, qvàm Anglicis, & deinde in his oris idem omninò nomen à ſcillingis Anglicis retinuimus, & cœpimus deinceps monetam eo nomine cudere, ſed ratione longè diverſam & pondere & probitate à ſcillingis Anglicis. Adeò ut hodie ſcillingi Lubecenſes vix denarium Anglicum poſſint attingere. Qvæ niſi obſerventur accurratè, omnes rationes numarias turbabunt: Nam aut nominibus Hiſtoriographi decipiuntur, aut pondere, aut probitate, aut cuſos numos ſubſtituunt pro computatis ad menſuram aut pondus aliqvod. Satis exinde etiam colligere licet ob monetæ indigenæ defectum, peregrinam tunc freqventius in uſu fuiſſe, præſertim Anglicanam, qvâ res magni pretii

coëm-

coemtas in hiſtoria patria ſæpius legimus: Gothlandiam qvippe à Teutonicorum eqvitum poteſtate anno 1408. perſolutis aureorum Anglicanorum novem millibus, recuperavit Regina hæc, in Regnorum commoda perqvam intenta. Veram itaq; in *diſſertatiuncula*, qvam *de numis Margareticis* inſtituit *D. Nicolaus Kederus*, culpam paucitatis numorum ejusdem Reginæ conjecit in argenti & auri fabros, qvi numos conqvirebant eosq; in pocula aut vaſa refundebant, qvæ ſanè petulantia nobis multos antiqvos abſtulit numos, ut vix tantæ Reginæ numi indubitati inveniri qveant; Alteram verò cauſam, qvam *Schefferus de antiqvis regni Sveciæ inſignibus p.* 169. addit, cur numi Orebroenſes, ſeu alibi in Svecia cuſi, qvi ejusdem fuêre Reginæ, non amplius appareant, credit eſſe, qvod, Margareta Regina non niſi annum unum Svecis imperaverit, id qvod adeò veritati repugnat, ut confutatione non egeat. Regnavit qvippe Margareta poſt declarationem Sveciæ publicam ab anno 1388. ſola usq; ad annum 1396., qvo Ericus Pomeranus in conſortium regiminis adſumtus eſt cum illâ usq; ad annum 1412., qvin & ante cum filio Olao ab anno 1375. ad annum 1388. habenas regni Daniæ tenuit, numos tam in Dania qvàm Norvagia & Svecia plures procuſos eſſe à Regina ejusq; auſpiciis, ipſa ratio doceat, ſed vix aliqvi ſuperſunt niſi minutuli aliqvi, qvos conjecturâ potius Margareticos eſſe propemodum hariolamur, qvàm ut verè probari poſſit illos ab ipſa Regina profectos, idq; ideo qvòd ejus nomen nullibi integrum in numis exprimatur, ſed unicâ literâ more antiqvo nomen ejus ſe conſpiciendum præbeat in numis, ex qvibus veritatem vix elicere qveas, niſi concurrant ſigna evidentiora, qvemadmodum hîc in Regis Valdemari, patris Margaretæ, numo, literâ monaſticâ ✠ inſignitô. Qvem verò *Schefferus* locô citatô ex Margareticis numis in apricum profert cum pretio & æra Chriſtiana, rectè fuſum & potiùs fictum qvàm cuſum ſubindicat. Tantæ enim magnitudinis numi ſeptentrionales ex antiqvis ejusdem temporis ad nos vix pervenerunt: Omnis qvippe moneta in Borea noſtro per libras, marcas & ſcillingos tunc fuit numerata in denariis, qvi magnitudine hodiernos aſſes Lubecenſes paulô excedebant. Orebroenſem tamen denarium, qvem aliqvi promunt, genuinum eſſe, in qvo O ſolum reperitur, nullâ virgulâ trajectum, qvòd Orebroenſem tam ſignificare poteſt qvàm cum virgula, concedere licet & ad Margaretam Reginam ſpectare & ejus tempore cuſum. Ex qva moneta lepida illa fabula de pudendo fæmineo, qvod pro inſigni, ſalvâ ut dicam venia, narratur Orebroenſibus datum eſſe, id qvod qvidam animi gratiâ interpretati ſunt, ut eſſet, qvod riderent poſteri, O enim virgulâ trajectum has partes non obſcurè refert. Sed nec de Prudentiſſima Regina talia concipi poſſunt, nec jocum hîc faciunt, niſi propudioſum & ſcurrilem.

REGIS ERICI VIII.
ſeu POMERANI.

TAB. XXVIII.

No. 62. ERICUS REX D. S. N. *Corona Regis aperta. Siglæ D. S. N. denotant tria ſeptentrionis regna, ſcilicet Daniæ, Sveciæ & Norvagiæ, qvorum fuit Rex.*

Tab. XXVIII.

In averſa Numi:

✠ MONETA NESTVED. *Crux qvadrata.*

No. 63. ✠ MONETA RANDE. *Regii Nominis character coronatus.*
* IN NOMINE DOMI. * *Circa crucem qvadratam.*

No. 64. * IN NOMINE DOMI * *Erit ſymbolum Regis, qvod ambit Crucem itidem qvadratam.*
MONETA OTTOIS. *Qvod eſt:* Otthonienſis. *Regis ejusdem ſigla Coronata.*

No. 65. * MONETA * ODENSE. *Regii nominis ſolita nota coronata.*
In adverſo numi latere.
* IN NOMINE * DOMI. *Symbolum hoc qvoq; ambit Crucem.*

Tantâ, ut diximus, *Margaretâ* in ſeptentrione noſtro regnante, & monetæ indigenæ penuria in Daniæ provinciis exſtante, ſtilum transferamus ad Regis *Erici Pomerani*, Pronepotis ipſius ex ſorore *Ingeburga*, numismata in muſeo hoc depoſita. Fuit hic Rex Reginæ *Margaretæ* ſedecennis ſocius Regni, qvi anno 1396. adoptatus & imperium poſt obitum *Margaretæ* per 26. annos tractans re expertus eſt, Magnæ illius Semiramidis Septentrionalis conſilio ſe eſſe deſtitutum. Matrimonio ſibi anno 1406. adjunxit Principem prudentiſſimam, *Henrici IV.* Regis Angliæ filiam, qvæ immenſi auri dotem ad Sponſum hunc detuliſſe fertur. Memorant enim Annales Sveci, teſte *Hvitfeldio pag.* 629., dotis numum tanti fuiſſe ponderis, ut aliqvot millia aureorum æqvaverit. Una verò an fuerit maſſa ſignata aut non ſignata, qvæ dotis hic dabatur, an verò ex pluribus conſtiterit ſegmentis, qvæ ad trutinam examinata tantam confecerunt ſummam numariam aureorum Anglicanorum, ſive dotis locò numi hi fuerint numerati, non adeò apparet. Verum tamen eſſe qvidam perhibent, fuiſſe Principem Gallicam, qvæ etiam dotis numum ſponſo, Regi Angliæ, aliqvot centena millia pendentem attulit, qvem auri maſſam potius ex lege jur. *Qvotiescunq; 27. C. de Suſcept.* Autor anonymus doctiſſimæ *Lucubrationis de veteris Numismatis Potentia & Qvalitate*, Lipſiæ & Francofurti impreſſæ, nominat, de qvibus fuſius hic TAB. XIII. No. 18. egimus ad Regis CHRISTIANI V. numum aureum, qvem eruditus orbis cenſet eſſe totius Europæ jam maximum, imò qvem cuſum mundus vix unqvam vidit tantæ magnitudinis. Interim in confeſſo eſt, permagnam in Dania biennio poſt exſtitiſſe copiam aureorum Anglicanorum, qvorum 9. millibus anno 1408. Gothlandiam è manibus Teutonicorum Eqvitum redemtam fuiſſe, antea narravimus. Poſt mortem Reginæ *Margaretæ* tandem Rex idem contra Holſatos Duces litem ciere coactus eſt ob Slesvicenſis Ducatus homagium, ſibi ab iis non præſtitum, qvod ad Daniæ regnum pertinere Cæſar *Sigismundus*, cauſæ hujus Arbiter factus, pronunciavit. Litis ejusdem gratia Rex *Ericus* etiam Budæ Imperatorem ſalutavit anno 1424., ut unâ eademq; operâ ſacra Hieroſolymitana deinde viſitaret, ſed à Præfecto curſus publici in itinere Hieroſolymitano detentus, magnum ſubditis extorſit cenſum, ne Sultano traderetur. In regnum redux contra pertinaces Holſatos anno 1425. arma ſumpſit, & per idem tempus memorant annales noſtri Regem hunc, cùm multas in prædicto itinere feciſſet expenſas, multasq; monetæ corruptelas,

dum

dum peregrinatus erat, obſervaſſet, viliores & multo ære ſuffarcinatos denarios primùm cudi feciſſe, ita ut deteriores, monetæ argenteæ qvi deberent eſſe, Dania non viderit, qvos tamen pares eſſe voluit Rex argenteis prioribus. Nam qvamvis Reges Daniæ priores imminuerint qvidem pondus denariorum, minores interdum faciendo, argenti tamen propemodum tantum reliqverant, ut examen publicum ſubire poſſent. Juſta qvippe Regis ejusdem tempore monetæ bonitas, noſtratibus & Germanis **Korn** dicta, erat conſtituta, ut qvævis marca haberet in denariis 9. ſemuncias argenti puri, qvibus ad ſupplendum marcæ pondus ſeptem addebantur cupri, ex qva mixtura denarii tales cudebantur examinati & legitimi argenti, prout patet ex incuſationibus Senatûs Daniæ contra Regem eundem apud *Hvitfeldium* anno 1439. pag. 823. Et hoc de Rege Daniæ Chriſtophoro I. Archiepiſcopus Lundenſis, Jacobus Erlandi, conqveſtus eſt, qvòd is denariis primùm in Dania pondus juſtum ſubduxerit, qvemadmodum ſuprà ad numos Regis ejusdem meminimus. Rex verò *Ericus Pomeranus* tantum æris denariis ſuis addidit, ut æreis magis qvàm argenteis eſſent ſimiles, qvare apud ſubditos ſuos famâ laborare cœpit Rex, qvaſi verò alii populi & regna eandem in numis adulterandis artem non exercuiſſent ſtrenuè, ſolusq; *Ericus Pomeranus* ob id traduci meruiſſet. Philippa tamen, Regina ipſius, ut odia iſta concitata mitigaret, Rege neſcio, monetam probam ex ſuo ſubſtituit, & Regis incudem planè, teſte *Hvitfeldio p.* 726., referentem. Nec ab eo tamen tempore moneta Danica ad priorem potuit redire ſtatum in denariis, donec tandem majores numi prodierunt, qvi rem monetariam aliqvantum reſtituerunt. Monet qvidem *Crantzius lib.* 12. Vandal. c. 38. Civitates Vendalicas qvatuor, Lubecam, Hamburgum, Luneburgum & Wiſmariam, anno 1468. cœpiſſe excudere groſſos: *Noſtri*, inqvit, *ſolidos vocant, ad differentiam minoris numismatis, qvod Cavum dicitur; ſed nec dum poterant occurrere malis, qvæ prævenire cupiebant: nam minoris ſemper fuêre in vicinis provinciis argentei numi.* Tales ſcillingos groſſos, Regina *Margareta* regnante, etiam in Dania uſuales percipimus ex qverelis prædictis, qvas Senatus regni Daniæ contra Regem habuit, *Ericum Pomeranum* qvoq; cudi feciſſe, ſed adeò ſubæratos, ut præter nomen nil eorum, qvæ debebant, oſtenderent, unde Senatus prædictus in gravaminibus iisdem apud *Hvitfeldium* locô citatô recenſet eundem Regem groſſos ad pretium injuſtum 9. aſſium, tunc temporis qvi Lubecenſium erant, ſeveris mandatis extuliſſe, cùm multò minoris fuerint. Fabricari enim fecerunt Lubecenſes poſt annum 1411. & circa Regis Erici tempora aſſes ſeu ſcillingos, qvi eſſent 10. graduum argenti puri & centum tales marcam argenti conficerent, ita ut ſcillingus fermè qvatuor aſſium Lubecenſium, hodiernæ monetæ, pretium expleret, de qvo ſuprà laudatæ *Johannis Rentzel* ſchedæ Hamburgenſes nobis teſtes erunt, qvæ ſic pergunt: **Item darby wurden Schillinge gemüntet van** 10. **Loth fines ſchrödet up de Lödige Marck hundert Stücke/ de erſten mit rugen Crützen/ oock mit ſchlichten Crützen gemüntet.** Groſſus itaq; talis, qvi Regis hujus tempore ad novem aſſes tunc Lubecenſes adæratus fuit, impensô certè venit valore, adeò ut Senatus Daniæ prægnantem habuerit cauſam Regem hujus monetæ incuſare, addit ergo haud immeritò in ſua lingva: **Hvilket ſom uhørligt var.** i. e. qvòd res ipſi fuerit planè inaudita: Reginâ enim *Margaretâ* ad clavum ſedente, vix decem aſſes Lubecenſes, hodiernæ monetæ, ſcillingus groſſus æqvabat, adeò ut Rex *Ericus* qvadruplô majorem

ſuum extulerit groſſum. Interim mirantur antiqvarii noſtrates groſſorum talium, ſi ita ære ſuffarcinati fuerint, prout hiſtoria patria ſubindicat, ne unicum qvidem reperiri, nam ſi tam æroſi exſtiterint æqvè ac denarii ejus, facilè uncis manibus aurifabrorum & monetariorum contemti ad nos evaſiſſent. Valdè itaq; qvàm plurimi dubitant, an groſſi illi in Dania cuſi ſint, ſed potius autumant more ſolitò ſolos peregrinos illic in uſu ulteriùs fuiſſe, ad inauditum pretium à Rege *Erico* elatos, niſi qvis maluerit perpaucos Regni ipſius anno noviſſimo prodiiſſe, id qvod magis credibile. Groſſos ergo poſtea cudi fecit Rex, qvemadmodum antea denarios. Nam poſtqvam Senatus Regem incuſaverat denariorum, qvos ex ære cuſos argenteis prioribus pares eſſe imperavit, meminit qvoq; groſſorum eodem modo percuſſorum; verba *Chronicorum Hvitfeldi* locò citatò ſic jacent: Det ſamme giorde hand og med de Groſſer/ ſom her nu ere gænge i Riget/ qvamvis eos multò majoris voluit eſſe pretii. Nec Rex ex peregrinis groſſis, qvi ubiq; in ſubditorum loculis hærebant, tantum ſibi facere potuit lucri, qvantum ex moneta indigena, cujus ipſe fuit Dominus.

Melioris qvoq; metalli, attamen mixti, numus eſt, primo loco ſub No. 62. hic poſitus, qvem, imperante *Erico Pomerano*, ex officina monetaria Neſtvedenſi prodiiſſe, coronâ ejusdem Regis ſignatum, ad oram numi in adverſo latere legimus. Oppidum Neſtvedia fuit in Siælandia, Rege etiam *Erico Glippingio*, ſatis magnum, ad exiguum maris Balthici ſinum perqvam amœnè ſitum, cujus ædem Divo Petro ſacram, una cum urbe anno 1271. deflagrantem memorat toties laudatus *Hvitfeldius* noſtras *pag.* 274. Propugnaculo munitum hoc emporium qvoq; erat anno 1345, jam pridem Holſatis oppignoratum, *qvi ſuis impenſis munitionem ibi poſuerunt, eòq; bona ſua transferri curarunt*, prout *Joh. Iſacius Pontanus Rer. Dan. hiſt. lib. 7. p. 474.* narrat, ut tutiùs ibidem fortè etiam nundinarent. Sed munimento hoc per idem tempus poteſtatis Danorum facto & deſolato non minus commerciis increſcere cœpit Urbs eadem, qvæ ſodalitiò mercatorum olim perqvam clara (qvod nobis Compagnie dicitur) etiamnum plateam habet ab eo Compagnie-Stræde denominatam, in cujus ſitu officinam monetariam erectam fuiſſe nobis ex actis civicis urbis ejusdem certò traditur. Et inſcribtio in utroq; numi latere nos certiùs docet, monetam Neſtvediæ viguiſſe tempore Regis *Erici Pomerani*, cùm alius *Erici* numulus non eſſe poſſit, niſi Pomerani, qvi ſolus trium Regnorum ſeptentrionalium, Daniæ, Sveciæ & Norvagiæ hic inſcribitur Rex, cujus cæterorumq; Daniæ Regum indultu rerum commercia in emporio hocce, qvamvis mari non adeò conterminum ſit, in tantum accrevêre, ut etiam anno 1531. navem bellicam, 60. viris armisq; neceſſariis inſtructam, qvæ pro eo tempore non inter minimas cenſebatur, urbis Slagloſiæ ope in conflictum emittere potuerit: Vide *Hvitfeld. p.* 1356.

Inſeqventes numulos levidenſes admodum & cupreos, qvi ſub No. 63. Randroſii in Cherſoneſo noſtra, No. verò 64. & 65. Othiniæ in Fionia percuſſi hic luci exponuntur, ejusdem Regis numismatis adſtruimus, qvippe *Ericus* hic ſolus Rex ejus nominis eſt, qvi in annalibus noſtris ob vilem notatur monetam, qvam cudi fecerat, & inſcribtionum literæ ab iis, qvæ in numis antecedentium Regum ejusdem nominis dantur, multum diſcrepant, magisq; conveniunt in literarum formaturis proximè præcedentis numi, qvi nullius niſi Regis *Erici Pomerani* eſt: Nec præterea deprehendimus, ſiglas Regum coronatas prius

fuiſſe

fuiſſe uſitatas, qvàm in hujus ſuccedentiumq; Regum Daniæ numis. Laudat qvidem *Bircherodius Specimin. antiq. rei mon. Dan. pag. 128.* Regium *Chriſtiani I.* diploma M. S., ex qvo conſtabit Othinienſium monetarias ædes à Magiſtratu ſub *Erici Pomerani* temporibus fuiſſe divenditas, attamen non exinde ſeqvitur, monetam, *Erico* hoc regnante, Othiniæ in totum fuiſſe abrogatam, cujus pravitatem Magiſtratus fortè pertæſus omnimodo anniſus eſt, ut monetaria officina deſtrueretur, ædesq; divenderentur, qvarum parietinas, **Mynte-Gaarden** dictas, Othiniæ adhuc reſtare nobis traditur, à qvibus urbis ille tractus, in qvo jacent, Danicè adhuc dicitur **Mynte-Strædet**/ i. e. vicus monetarius. Hinc & ejusdem farinæ numulos permultos Lundis Scanorum, Othiniæ, alibiq; *Erico* hoc trium regnorum ſeptentrionis Rege procuſos nobis anno 1688. ſingularis detexit caſus, qvem dilaudatus *Bircherodius l. c. pag.* 127. ita enarrat: *Civis qvidam Urbis noſtræ Othiniæ cùm collapſas ſuas reficeret ædes, & fundamentum earundum repararet, incidit die nono Martii in copiam numorum ſatis numeroſam. Poſſeſſor autem olim æris hujus ocream vel tibiale aliqvod his impleverat numis & in terram repoſuerat. Superveniens autem incendium forſitan aliqvod hoc, qvicqvid fuerat, integumenti conſumpſerat, & incluſum æs in maſſam pedis inſtar effigiatam redegerat, ut vix aliqvot à reliqvo corpore ſeparari & integri avelli poſſent.* Ab eadem maſſa avulſi etiam hìc dantur numuli ænei ejusdem formaturæ, qvemadmodum & hujus Regis in Svecia Stockholmiæ, Aboæ & Aroſiæ procuſi fuêre numi, qvi ex mixto conflati ſunt metallo. Tandem imperium Septentrionale Rex ille pertæſus, ob affectum ſubditorum indies ſibi imminutum, ſe in Gothlandiam ſubduxit, correptis regni Daniæ theſauris, & Roeskildiæ ædis primariæ ornamentis qvàm pretioſiſſimis, ſtatuis ſcilicet Apoſtolorum Chriſti aureis, qvæ trimulis, teſte *Cl. Lyſchandro in Synopſi hiſt. Dan. pag.* 242., haud fuêre minores. At cùm decennium ibi exegiſſet & à Svecis, inſulæ & theſauro inhiantibus, graviter infeſtaretur, arcem metropolimq; inſulæ Danorum poteſtati ſponte tradidit, in Pomeraniam trajecturus, qvi in trajectu eodem duas naves cimelio ſuppellectileq; pretioſiori onuſtas amiſit. Rygenvoldiæ in Pomerania tandem appulſus totidem annos ibi conſumſit, & ſic cum per tempus vicennale Trionum faſces duorum Regum *Chriſtophori Bavari* & *Chriſtiani I.* Oldenburgici manibus poſt ſe verſatos vidiſſet, ſine liberis, ibi vitâ exceſſit anno ætatis 74., poſtqvam imperium boreale cum Regina *Margareta* 16, ſolus verò 26. annos tenuerat, inſeqventesq; annos viginti privatâ triverat ſorte. Bochoviæ deinde eſt ſepultus. Rex fuit admodum doctus, ſed minus felix, qvi hiſtoriam gentis Danicæ latinè contexuiſſe dicitur, in qva multa habemus, qvæ alibi neqvicqvam qværamus. Jam ad numulos

REGIS CHRISTOPHORI III.
ſeu BAVARI.

TAB. XXVIII.

No. 66. CRISTOFER. D. GR. REX DACIE. *Trini leones in ſcuto, Daniæ inſignia antiqva.*

TAB. XXVIII.

In aversa:

GLORIA IN EXCELIS DEO. *Clypeus, qui est quadripartitus, Leonibus Palatinis & rhombis Bavaricis exornatus.*

No. 67. CRISTOP. REX. D. S. N. *Daniæ scilicet, Sveciæ & Norvagiæ, Character nominis Regii, trifolio superne in numo exornatus.*
MON. MALMOIENS. *Scutulum cruce, latiùs se explicante, insignitum.*

No. 68. CRISTOFER REX DACIE. *Regis sigla coronata.*
MONETA MALMOIENS. *Scutulum, cruce eadem, seu Danebrogica, signatum.*

Erico Pomerano hunc in modum imperii fasces relinqvente, *Christophorus*, Comes Palatinus Rheni & Bavariæ Dux, *Erici* ex Sorore *Sophia* nepos & Regis *Valdemari* IV. ex filia *Ingeburga*, matre ejusdem *Sophiæ*, abnepos, utpote successione proximior, ad clavum imperii à Daniæ Senatu invitatus, & apparatu magnifico Lubecæ exceptus anno 1439. in Daniam proficiscitur. Post varias disceptationes septentrionis regna, eo præsente, sub fœdus & unionem antiqvam demum sunt redacta. Et rusticorum ferociâ in Jutia anno 1441. ab eo coercitâ, primùm anno eodem Sveciæ Rex ad Morastenium, usitato gentis more, salutatur. Asloæ Norvagorum anno seqventi itidem consecratus, tandem in ipso principio anni 1443. Daniæ Regno splendidiùs Ripis Phundusiorum inauguratur, coronâq; à Præsule Lundensi ibidem insignitur, operam Germaniæ Principibus Magnis præstantibus, qvippe ensem Regium gerebat Dux Slesvicensis; sceptrum verò Silesius, pomum Bavarus & coronam Brunsvicensis. Post hæc habiti sunt ludi eqvestres maximè conspicui, & è nobilitate præcipuâ viri septuaginta duo inter eqvites sunt relati, qvorum juramenti verba in *capsa Cypriani Ord. 2. MSStorum in qvarto Bibliothecæ Universitatis Havniensis*, prout tunc temporis in more positum erat, sic jacent:

Jeg bether mig saa GUD hielpe / Jomfrue Maria / Sancte Knut / Sancte Erick oc Sancte Oluf / at jeg wil efter min yderste Mact meth Lif oc Godz beskiærme then hellige Christne Tro oc Evangelium oc holde oc verie Kircken oc henne Tiænere ved syn Friehed oc Frælse. Stande moth Uræth / oc styrcke Frid oc Ræt / oc beskiærme Fatherløse oc Motherløse Børn / Jomfruer / Enkiær oc arme Folk; oc være trygger og tro min Konninger / oc myn Rige. oc rætfærdeligen holde oc giøme mit Ridderskab / Gud til Hether efter min beste Formuge. Saa hielpe mig GUD oc Helghene!
h. e. *Ita me Deus juvet, Virgo Maria, S. Canutus, S. Ericus & S. Olaus, promitto; me viribus omnibus defensurum esse Christianam Religionem & Evangelium, protecturumq; Ecclesiam ejusq; ministrorum immunitates & velle aversari qvicqvid injustum, justumq; & pacem firmando, orphanos, virgines, viduas, pauperes omnes adjuvare, fidumq; me fore Regi meo & Regno, & juste servare decoreq; custodire meum ordinem eqvestrem, qvoad potuero in Gloriam Dei. Ita me Deus & Sancti adjuvent!* His ita, ut in talibus fit, magnâ pompâ peractis, numum hunc primò locò sub No. 66. positum in Dei Gloriam reiq; memoriam Ripis ex officina monetaria qvoq; prodiisse suspicamur, qvi majoris moduli est, atq; tunc temporis in septentrione assolebat, ideoq; & solennissimo actui

actui huic dicatus censetur cum votiva acclamatione seu symbolo Regio: GLORIA IN EXCELIS (pro Excelsis) DEO!

Priscorum numismatum nobis hoc est elegantissimum, &, qvantum nobis constat, primum qvod Daniæ insignia antiqviora præ se fert, leones nempe trinos, siniſtrorsus procurrentes, & tria illa Balthica maris ostia (qvibus secundùm inscribtionem CRISTOFER D. GR. REX DACIE imperaturus erat) denotantes. Coronati qvidem conspiciuntur leones, sed incuriâ Chalcographi, cùm vix ante Regis *Christiani IV.* tempora in numis diademati fuerint. Numi parte posteriore emicat scutum qvadrifariam divisum, ita ut primâ & qvartâ areolâ Leo Palatinus, secundâ & tertiâ verò rhombi Bavarici contineantur. Ex antiqvissimis & indigenis numisma est maximum, qvod adhuc ad nos venit; Memoravimus qvidem Regem *Ericum Pomeranum* primum fuisse, qvi scillingos grossos seu denarios grandiores cudi fecit in Borea nostro, sed non reperimus exstare nunc ullos, ut secundùm eorum magnitudinem examen hic institui posset. Ejusdem fermè commatis numos, tempore Regis Christophori Bavari, sex effeciſſe marcam denariorum in Siælandia anno 1446. nobis *Hvitfeldius Chron. Dan. p. 839.* detexit, cujus verba in Statutis Laalandicis, **Laalands Vilkaar** dictis, sic jacent: **Hvo sig lader fordeele/hand skal bøde første Laugdag sex Skilling/ det er 1 Marck/** i. e. qvi in primo ter- „ mino, **første Laugdag** nostratibus appellato, non comparet, multetur sex scil- „ lingis, hoc est, unâ marcâ, qvæ certè non potest intelligi, nisi marca denario- „ rum & qvidem Siælandicorum, qvorum marca dimidiò minor marcâ tunc Lubecensi censetur, unde & scillingi & denarii dimidiò minores intelligendi qvoq; veniunt, & sicut hîc 6 scillingi Danici vel Laalandici fuerunt 3 scillingi Lubecenses & 72. denarii nostratis monetæ marcam denariorum constituerunt, ita confecerunt 36. denarii Lubecenses marcam dimidiam Lubecensem: Marca enim Lubecensium denariorum constituebat qvoq; sex scillingos Lubecenses & denarios 72., qvi Siælandicis comparati alterum tantum faciebant. Tempore verò Regis Olai V. & Matris Reginæ *Margaretæ* meminerunt qvoq; literæ Germanicæ M. S. Regis Sveciæ, Alberti, qvas ad historiolam numariam Reginæ hic adduximus, marcarum, qvæ **Marck Löthig** dicebantur, numerabantur autem in grossis eorumq; denariis, ideoq; eodem tempore **Marck Lödig/ de Marck to 5 Skillinge Grot/** i. e. qvælibet marca ut esset qvinq; grossorum, uti & in denariis **Lødige Marck Penninger** vocitatæ sunt. Ex qvibus evincitur, qvantum scillingi grossi in marcis Regis Christophori tempore immutati fuerint, qvorum tunc sex in Laalandia constituerunt, Olao verò gubernacula Regia in Septentrione nostro tenente, qvinq;, utpote meliores.

Proximè sub numeris 67. & 68. hîc seqventes Regis ejusdem numos stirpis Oldenburgicæ esse qvidam arguunt, qvia iis simillimi videntur proq; iis & qvidem Regis *Christierni II.* venditare exinde allaborant, qvòd nominis Regii charactere ferè eodem in primo numi latere sint insigniti, qvo solum Regem *Christiernum II.* nomen suum in numis exprimendum curasse, autumant; At cùm Antecessor *Christophori Bavari*, *Ericus Pomeranus*, sigla item regiè coronata in numis suis usus fuerit, non dubitamus, successorem ipsius, qvemadmodum deinceps splendidissima serie Reges insequentes ad hoc usq; tempus fieri jusserunt, eundem secutum esse morem & nominis Regii charactere non minus exornatum seu coronatum voluisse, qvem Monetarii literâ

mo-

monaſticâ K. loco C. hic tam in numis Danicis qvàm in Svecicis, qvos *Elias Brennerus in Theſ. Num. Sveo-Goth.* Stockholmiæ alibiq; ſub eodem Rege percuſſos anno 1691. nobis depromſit, expreſſerunt. Qvid ? qvod nec adeò oculos hic fugiant literæ ad oras numorum inſcribtæ, ut ejusdem Regis nomen conficere non valeant, qvamvis ærugine partim ſint exeſæ. Cui accedit, qvòd in Svecicis numis præter characterem eundem in medio numi coronatum, nomen Regis *Chriſtophori* ad oram ab eadem litera monaſtica ubiq; ferè incipiat, qvemadmodum ſigillo, Sect. hic III. laudato, qvod Ripis convivii *S. Canuti* olim fuit, Regis *Canuti* vocabulum literâ eâdem inſculptum exſtat.

Averſæ numorum hîc qvoq; habent ſcutum purum, qvod crux tranſit ad ultimas usq; numi oras: Latiori enim modo hoc crucis ſignum ſeſe hic expandit, ni fallor, ad inſtar cruciatæ, inde à *Valdemari II.* tempore & anno 1219. ad poſteros aſſervatæ, qvemadmodum crucem eandem & in numis & ſigillis poſtea dilatatam videmus & Regni Daniæ inſignia eam albo colore in ſolo rubeo adhuc oſtentant. Notum qvippe eſt ex hiſtoriis patriis Regi *Valdemaro*, adverſùs gentiles Livonos belligeranti, Cruciatam â Pontifice Romano fuiſſe collatam, poſterisq; traditam, qvam tantâ religione pro ejus temporis ratione fuiſſe cuſtoditam ſatis evidenter colligimus, ac ſi cœlitus fuiſſet data, cùm ductu ipſius tantas triumforum laureas poſt tot debellatas & converſas gentes conqviſiverint Reges Daniæ. Credulæ itaq; Pontificiorum turbæ hinc facile religio eadem manſit, ut militibus qvoqve ſub eâ animi eò fortiores in prælio redderentur. Habuerunt enim antiqvitus Pontifices eorumq; aſſeclæ primores etiam ſuos **Gonfanons**, qvos Galli *les Banmieres de l' Egliſe* explicant. h. e. labara eccleſiaſtica, Defenſoribus eccleſiæ in bonum omen tradita. Rem fuſiùs illuſtrat *Meſſire Antoine Furetiere dans les Eſſais d'un Dictionaire Univerſel p. 126.* & 127. dicens: *Ce Gonfanon étoit la Banniere de l' armée Chriſtienne, priſe par Baudouin Conte de Boulogne & d' Auvergne, frere de Geoffroy ou Godefroy de Bouillon, auquel elle avoit été envoyée par le „ Pape, comme au vray Defenſeur de l' Egliſe contre les infideles.* i. e. Gonfanon „ hic erat vexillum exercitus Chriſtiani, portatum â Baldevino, Comite Bo„ nonienſi & Avernienſi, Godofredi Bullionum comitis fratre, cui tanqvam „ vero Eccleſiæ Defenſori, contra Gentiles â Pontifice erat transmiſſum. Mera Danica vetus hæc vox *Gonfanon* vel *Gunfani*, & hanc teſſeram ſummum militare vexillum *Antonius Furetiere* appoſitè eſt interpretatus, qvoniam omnes, apud qvos hæc manſit vox in Italiâ & Francia, de vexillo tali intellexerunt, qvibus adſtipulatur *Chronicon Anglo-Saxonicum vetus*, qvod *Edvinus* edidit, ubi ad annum 878. p. 84. dicit, *Ælfredum* in Danmonia extorſiſſe militare vexillum Danis, qvod *Reafn*, h. e. corvus dicebatur, legitq; *Gud-fana*, qvaſi Dei vexillium, *Gud* enim nobis vocatur Deus & *Fane* vexillum. Anglo-Saxonica verba ſic jacent: *And thar vas de Gud-fana genummen, the hi ræfen heten.* Ubi *Gunnfana* legendum exiſtimamus, qvamvis non malè utrumq; qvadret, ſive legas *Gud-fana* ſive *Gun-fana*, qvæ vox cum tempore detorta eſt in *Gonfanon* & *Gunfalon*. Corvi figuram olim intextam habuiſſe vexillum hoc, ab appellatione ejus *Reafn* colligo, qvemadmodum id ſeptentrionis noſtri hiſtoriarum monumenta M. S. S. Scribtoresq; Anglicani conteſtantur: erat enim corvus illi Trionum Deaſtro Odino peculiariter ſacratus, hinc & *Hrafnagud* i. e. Deus corvorum ubiq; eſt nominatus: Itaq; nec incongruè teſſeræ huic mili-

militari majores noſtri, adhuc gentiles, nomen *Gud-fana* impoſuerunt, qvibus, Chriſtianis jam factis, etiam religio fuit, cruciatam, hujus vexilli locô Regibus eorum à Papa Romano collatam, divinitus fuiſſe datam. Noſtratibus deinde vexillum idem nomine **Danne-Braage/** i. e. Danorum **Braage** exinde vocatum, qvia erat texturâ varii coloris, *πεποικιλμένη*, qvæ **Braage** Danis dicitur, de qvibus etiam vide *Hvitfeldium pag. 185. 933. & 1033.* Magnâ igitur curâ labarum hocce, velut Regni & Religionis Palladium, ad poſteros, ac ſi de cœlo demiſſum fuiſſet, conſervatum fuit, cui ſeqventium temporum victorias & res ſecundas imputabant, dum forti & felici manu id ſartum tectumq; per aliqvot ſecula contra hoſtes, etiam prævalidos, tuitæ ſunt gentes noſtræ, donec tandem in bello Dithmarſico à Rege *Johanne I.* geſto, inter victorum ſpolia anno 1500., relatu *Hvitfeldii*, fuerit deperditum. Ex inſcribtione crucem hanc ambiente in utriusq; numuli latere patet, ambos eſſe monetæ Malmoenſis. *Malmö* indigenis appellata eſt hæc Scaniæ urbs propemodum Metropolitana, qvæ Hollandis eſt Ellebogium, è ſitu loci, cubiti formam referentis; Malmogia verò Chorographis dicta. Maritima eſt & probè jam munita, qvæ, Rege *Erico Menvedo*, in litorum tractu, qvo nunc conſpicitur, anno 1319. è ſuis educta eſt fundamentis, & cùm in editiori loco pagus ejusdem nominis fuerit conditus, Malmogia inferior ad differentiam ſuperioris incolis eſt diu denominata; At caput è littoribus maris Codani exſerenti ſine additamento & *κατ' ἐξοχὴν* Malmöæ ſeu Malmogiæ nomen eſt impoſitum: Ulteriores enim vires ſumere urbs hæc mercimoniorum opportunitate cœpit, cùm habeat maris qvendam flexum, qvi portum format, præſertim Circio non flante, navigiis ſatis tutum. Anſam ergo loci ſitus indigenis & exteris dedit piſcandi gratia hîc ſuas in litore figere ſedes, qvæ ex commerciorum indultu opibus & ſplendore poſtea adeò exſtitêre inſignes, ut qvas piſcatorum humiles & è cannis contextæ olim occupaverint caſæ, eas ædificiis magnificè exornatas in hiſtoria patria per aliqvot ſecula conſpexerimus: Qvippe primùm legimus *Valdemarum* IV. anno 1360. conceſſiſſe huic urbi præter cætera hocce privilegium, ut â telonii, qvod vocant, ſolutione immunes eſſent Malmöenſes, in qvemcunq; Daniæ portum cum mercibus venire ipſis contingeret. Tandem ex numis his percipimus commercandi gratia urbi huic qvoq; indultum fuiſſe jus cudendi numos, à qvo verò Rege, non nobis planè conſpicuum eſt, interim hiſce numis antiqviores Malmogiæ ſignatos videre, qvantum ſcimus, non licuit. Omnes ejusdem formaturæ illuſtriori cruce in ſcuto puro ſunt inſigniti, id qvod nobis argumento ſit, Regem hunc, ſeu Dominum monetæ, Principem fuiſſe patriæ amantiſſimum & antiqvæ Danorum gloriæ ſtudioſiſſimum, qvi ſub cruciatâ eadem Vandalos & Slavos ad priſtinum obſeqvium redigere meditatus eſt, & redegiſſet, ſi modo in Scaniam trajiciens, ut Jenecopiæ proceres Sveciæ in conſilium & auxilium convocaret, & Helſingburgi ſubita invaletudine oppreſſus die 6 Jan. 1448. mortuus non eſſet. Chriſtophoro Bavaro ſic defuncto, Regnum Dani jure transtulerunt in *Chriſtianum Oldenburgicum*, iſtius nominis Primum, illum qvoq; *Valdemari* IV. abnepotem, cujus poſterorumq;, qvi ſplendidiori ſucceſſionis ordine ad gubernacula regia ſedêre, numos argenteos, cujuscunq; etiam ſint moduli, profluentiori copia in Muſéo hoc exiſtentes, luci etiam exponemus: crevit enim res numaria adeò ſub Optimis & Potentiſſimis ſtemmate Oldenburgico ſatis Regibus, ut etiam tantorum Principum numi nunc inter elegan-

tiores & meliores, imò maximos, totius orbis numerentur. In anteceſſum verò & qvaſi mantiſſæ locò perpaucos minutulosq; numos, qvi Norvagiæ Regum Principumq; hic ſuperſunt, inſeramus, cùm etiam ſenió numismatum Regum proſapiæ Oldenburgicæ ſint priores.

REGIS SVERI MAGNI.

TAB. XXVIII.

No. 69. ✠ REX SVERVS MAGNVS. *Caput coronatum Regis, planè barbati.*
In adverſo latere:
Numi averſam crux pertranſit, in cujus qvadratis literæ hæ exſtant:
NI. NI. NI. NI.

Eſt numulus perqvam nitidus, puri argenti & ſolidus, qvamvis tenuis: Dantur etiam ejusdem moduli planè bracteati & cavi, qvi numi averſam tantùm procuſam habent. Omnes profitentur, literis NI in qvadratis tranſeuntis crucis ſignati, *Nidroſiæ* ſe fuiſſe cuſos: Sic enim à fluvio, ſcilicet *Nid* ſeu Nid-Aar/ & oſtio ejusdem profundo, ubi redundat, qvod Aaos Norvagis antiqvitus dicebatur, urbs hæc, eodem in tractu ſita, nomen ſuum eſt ſortita Nid-Aaer Aaos/ qvod contractiùs latinè redditur *Nidroſia*, cui tamen nomen, antiqvis forte à Trondheimenſium ſeu Trondenſium manſione, hodie vulgò manet Trondheim. Anno 1154. Metropolis totius Norvagiæ ſedesq; Archiepiſcopalis eſt conſtituta, cui præterea Islandiæ, Grönlandiæ Orcadumq; eccleſiæ ſubjectæ erant. Templum itaq; habuit cathedrale & magnitudine & cæſorum lapidum artificio in orbe Chriſtiano vix ſimile, qvod incendio & ruinâ fædatum veteris ſuæ magnificentiæ tantùm non jam oſtentat rudera. Mercimoniis tam indigenarum, qvàm exterorum non minus hoc emporium, inde à *S. Olai*, cognomine *Digre* i. e. Craſſi tempore, qvi regnum Norvagiæ ab anno 1015. ad annum 1030. tenuit, clarum fuit. Sic enim narrant *Snorronis Sturlæi Chron. Norvag.* M. S.: *Olafur Kongur for meþ lyþi ſino ut til Niþaros, þa let hann reyſa þar hus a Niþarbacca, oc ſcipaþi ſva, at þar ſcylldi vera „ Kaupſtaþur.* h. e. Rex Olaus cum hominibus ſuis Nidroſiam profectus eſt, „ ibiq; domos erigi curavit in Nitherbacca ſeu clivo fluminis *Nid* & ordina„ vit ſic, ut ibi eſſet emporium: Etiam hinc jure cudendi numos, à Rege *Svero Magno* clementer conceſſo, celebrius factum eſt, qvemadmodum ex inſcribtione numi hujus qvodammodo diſpaleſcit, nam antiqviores hujus emporii numos videre vix continget. NI. itaq; in poſtica numi facie, qvater repetitum, Nidroſiam ſeu potius Nidroſienſes indigitare qvàm plurimi cenſent, qvorum conſtans in Regem Sverum fides exſtitit. Qvater enim ope illorum de Anti-Rege Magno Erlingi filio ad urbem Nidroſiam victorias reportavit.

Namq; Regnum Norvagiæ juſto ſucceſſionis ordine cùm *Sverus Magnus* peteret, qvem multa dura aſperaq; perpeſſum *Chronica Norvagica* referunt, Anti-Rex *Magnus Erlingi* filius aſſeclæq; ipſius eum profligare & conviciis perſeqvi ſunt conati, tradentes, eum Regis *Sigurdi* filium ex pellice *Gunhilda* ſe mentiri, ſed ex Unate fabro prognatum. Nubſit qvidem hæc *Gunhilda* poſt obitum Regis *Sigurdi* viro, qvi Unas faber vocatus erat, ſed cùm *Erlingus Schaccius* ejusq; filius *Magnus* in id incumberent, ut Regia Proſapia per totum

totum Norvagiæ regnum exſtirparetur, cum filio & marito Unate ad fratrem, Ferroenſem Epiſcopum, confugit, ubi *Sverus Magnus* adeò literis fuit imbutus, ut ad religionis munus inveſtiretur, at, cùm hoc ageretur, matri lacrimæ cadebant, qvæ filio, id qværitanti, ſtirpis illum eſſe Regiæ, qvam huc usq; apud eum reticuerat, detexit, levemq; iſtam pro Regia illa dignitate, qvæ *Svero Magno* jure competebat, æſtimans. Qva occaſione *Sverus* munus ſuum militiâ mutavit confeſtimq; ad Norvagos ſuos profectus, tandem poſt qvinqvennium & varios in eo cum *Magno Erlingi* filio conflictus, qvorum, ut diximus, qvatuor ad Nidroſiam, in numulo hoc literis NI. quater repetitis indicatos, *Chronica Norvag.* toties laudata enarrant, Magnum veſperâ Viti & Modeſti ad Bergas unà cum claſſe ſatis inſtructa anno 1184. proſtravit. Dum toties acie juſta de regno decertabatur, *Sverus* ter â populo Rex qvidem eſt ſalutatus, nec tamen prius eum coronari Præſules regni permiſerunt, qvàm decennio poſt ultimum cum *Magno Erlingi* filio conflictum: Interceſſerunt enim ſtatim à *Magni* morte Regem *Sverum* inter & Archiepiſcopum Nidroſienſem *Ericum* controverſiæ magnæ, etiam ob Regi denegatum conſecrationis miniſterium, qvod *Nicolaus Asloenſis* Epiſcopus in comitiis ipſi anno 1193. Bergis demum præſtitit, poſtqvam Archiepiſcopus *Ericus* diu antea, variis cum Rege *Svero* exercitis offenſionibus, in Daniam ad *Abſolonem* Archiepiſcopum ſe contulerat, ibiq; & Romæ eum multis aggravare conatus erat criminibus & conviciis: Legato enim Apoſtolico etiam Regiam inunctionem ſibi deneganti & ſubditos ſuos pecuniâ emungenti, feſtinum abitum è regno ſuo Rex *Sverus* imperavit. Hinc & in Regem hunc excommunicationis fulmen non tantùm à Papa Celeſtino vibratum, ſed & ab Innocentio eſt tortum, prout ex Epp. *Innocentii l. 1. Epp. 382, 383. & 384.* edit. Baluz. percipimus. Itaq; *Saxo Grammat. hiſt. Dan. fol. 181.*, qvi Archiepiſcopi *Abſolonis* fidus fuit comes & potentiæ eccleſiaſticæ hic nimius cultor, Regem eundem inter alia hunc in modum notat: *Et ne generis titulo carere videretur, originem mentitus Haraldum Hybernienſem avum ſibi vendicando, Sivardo* (Sigurdo habent Chronica Norvagica) *ſe procreatum confingit, cujus etiam nomen filio, qvem antea patris vocabulo UNA* (UNAS) *appellaverat, aptavit. Et ut omnia prioris fortunæ momenta ſubrueret, proaviq; vocabulo in eo præſentari crederetur, ſimulatæ proſapiæ decus, novi nominis ornamentis uſurpare ſuſtinuit, Magnumq; ſe in argumentum generis vocitari conſtituit.* Vera qvædam hic falſis immiſcuiſſe Saxonem, numulus noſter, qvi Regem *Sverum* qvoq; cognominant *Magnum*, teſtis eſt, id qvod inſcribtio gladii ipſius aliaq; monumenta, qvæ ad ſepulcrum Regis *Sveri* Bergis olim ſuſpenſa *Chron. Norvag. edit. Dan. pag.* 527. narrant, majoribus noſtris qvoq; tradiderunt. Qvo verò tempore *Magni* hoc ſibi *Sverus* Rex attribuerit cognomen aut impoſitum illud ſit, non omninò liqvet. Relatu Saxonis magnam habet veriſimilitudinem id non prius factum eſſe, qvàm de regio ipſius ortu certior factus eſſet, qvo tempore & filii ſui nomen ab Unade in *Sigurdi* transmutavit; At qvia *Sveri* hiſtoria M. S., *Sverus Saga* dicta, cap. 4. *Sverum* admodum juvenem & nondum rerum potitum cognomine *Magnum* introducit, in ſomnio, qvod de *Sancto Olao Sverus* habuit, dicentem: *Sidan nafndi hann Sværri Magnus, oc bad hann thva ſer i thvi ſama Vatni.* i. e. Deinde „ vocavit *Sverum Magnum* & rogavit, ut ſe lavaret aqvâ eâdem: Credimus „ igitur majorem ſubeſſe veritatem, *Svero* à teneris adhæſiſſe illuſtre hoc & è familia Regia longè petitum cognomen, qvemadmodum novimus, *Svenonem*

nem Eſirithæ filium & Daniæ Regem idem cognomen in baptiſmo eſſe conſecutum, & alios imitatores ejus exſtitiſſe in hiſtoriis noſtris legimus. Alias *Sverus* hic, jam de Patre certior factus, more patrio, aſſumſiſſet nomen patris, cujus hæredem in Regno Norvagiæ ſe eſſe omni jure prætendebat. Sed his argumentis de ortu *Sveri* cùm diu diſputatum eſſet, tandem in ſolio juſtè Rex confirmatus eſt, qvi fiducia cauſæ in morte Deum juſtum judicem implorans, vitamq; univerſàm piè tranſiens, progenie per tot annorum ſpatia in ſolio Regio usq; ad Reginam *Margaretam Valdemari Qvarti* filiam deinde conſervatâ, nos ſvadet, de juſtitia cauſæ eum fuiſſe omninò perſvaſiſſimum, nec propria fraude aut dolo malo qvicqvam ab eo tentatum : Jure itaq;, licet extra conjugium natum, potiorem fuiſſe, qvàm *Magnum Erlingi* filium, dilucidè admodum demonſtravit Nobiliſſimus *Bartholinus* noſtras *Antiqvit. lib. 2. cap. 1. pag. 236.* Præterea numulus hic creditur eò magis ex archetypo prognatus, qvòd coronata facies Regis *Sveri Magni* omni modo hic videatur qvaſi ad vivum efformata. Depingunt enim *Chron. Norvagica Sturlæi p. 527. Sverum Magnum* fuiſſe hominem qvadratum, pulcro & deductiori vultu, prolixâ & villosâ barbâ, qvæ fuit ruffa, virum item eloqventem & nunqvam ſe ita inebriantem, ut ſui compos non fuerit, parciloqvii erat ſingularis, dum accumbebat, & ſedens ſpectatæ erat magnitudinis, ſtans vero brevioris ſtaturæ, qvippe ipſi fuit thorax admodum longus, ſed femora pedesq; breviores : Miles qvoq; ſtrenuus & audax, qvemadmodum hiſtoriæ eum ubiq; dilaudant. *Gulielmus Neubrigenſis lib. 3. cap. 6. de rebus Angl.* titulum ſigilli ejus hunc fuiſſe adfert : *Suerus Rex Magnus, ferus ut leo, mitis ut agnus.* Rex interim fuit ſalutatus inde ab anno 1177., at in comitiis Bergenſibus anno 1194. primùm conſecratus, ſecundus Norvagiæ Rex, qvi coronâ fuit inſignitus. Regnum tenuit per 25. annos, cùm anno 1202. mortuus ſit Bergis, ibiq; ſepultus.

PHILIPPI, DUCIS NORVAGIÆ.

TAB. XXVIII.

No. 70. ✠ PHILIIP. DUX NOVEGIE. *Ejusdem caput valde juvenile roſaceo ſerto cinctum.*

✠ MONETA E. ASLOENS. *In numi area averſa crux elegantior, cujus ſingulos angulos ſingulæ roſæ exornant.*

De *Philippo* hoc legi meretur *Chronicon Norvag.* ab anno 1203. usq; ad annum 1218. Norvagiâ anno 1204. Baglorum & Birckebeniorum ſeu Betulipedum diſſidiis ubiq; inqvietatâ, annales iidem tradunt, *Nicolaum*, Epiſcopum Asloenſem, ſuppetias Regis *Valdemari II. Philippo*, ſangvine ſibi juncto, in Daniam profectum efflagitaſſe, ut Baglorum Dux in Norvagia conſtitueretur, qvem & *Ingonis* Norvagici Regis ex ſorore nepotem conſangvineumq; *Valdemari* eſſe, & populum regni hoc modo citius pacari & in unum corpus redigi poſſe, indicavit Epiſcopus idem ; At *Erlingus*, jure ſe potiorem eſſe demonſtrans, rerum in Norvagia apud Baglos potitus eſt, qvi ſuaſu *Nicolai Asloenſis Philippum* Jarlum ſeu comitem ſuum ſtatim fecit, qvalem numus hic ex arbitrio Epiſcopi *Ducem Norvegie* nominat : Nam ex numi averſa inſcri-

btione:

btione: MONETA E. ASLOENS. qvodammodo diſpaleſcit, MONETAm eſſe Eccleſiæ ASLOENSis, qvam & nullius niſi tempore prædicti *Nicolai* eſſe cuſum perſentimus, cùm Epiſcopus hic tam multa ad fortunam *Philippi* feciſſe legatur, ut non minus qvoq; numum hunc perqvam nitidum cudi curaverit in gloriam & gratiam ipſius, qvi non modo Dux ſed & Rex *Baglorum* anno 1208. eſt ſalutatus, & per decennium contra *Betulipedum* Regem ſe præſtans Ducem ſtrenuum, anno 1218. in Löfaaſia præfecturæ Tönsbergenſis tandem morbo deceſſit. Illo igitur tempore, qvo Dux evaſit *Philippus*, hic numus, qvi inter rariſſimos computandus, eſt cuſus, qvemadmodum etiam patet ex juvenili facie & roſis evincto capite. Caput enim Principis *Philippi* in numi facie more Romano redimitum voluit Epiſcopus Asloenſis, ut teſtaretur, *Philippo*, ob tantas contra *Betulipedes* fortibus auſis partas victorias, meritò deberi corollam triumfalem, floribus hic commixtam & coactam, *caputq;* tanti Ducis *regali Majeſtate* aliqvando dignè fore *ſertatum*, ut ita cum *Capella* loqvamur. Nec minus concinnè inde in more poſitum etiam habuêre Galli, ſuos Duces coronâ inſignire, memorat enim *Rogerus Hovedenus* circa exitum ſeculi 12. pag. 792. *Johannem*, Comitem Mortainenſem, fratrem *Richardi I.* Angliæ Regis Rothomagi in feſto S. Marci commorantem, *accinctum fuiſſe gladio Ducatûs Normanniæ in Matrice Eccleſia per manum Walteri Rothomagenſis Archiepiſcopi: & prædictus Archiepiſcopus poſuit in capite Ducis circulum, habentem in ſummitate per circuitum roſas aureas*, prout etiam hic in corolla Ducis *Philippi* aureæ roſæ qvaſi pullulare videntur.

Et qvamvis emporium ibi locorum inde ab anno 1049. exſtiterit, prout annales Norvagici memorant, cujus fundatorem Regem *Haraldum Haardraade* qvoq; perhibent, qvod nomen ſuum eſt ſortitum à præterfluente amne Loo/ & ejusdem fluminis oſtio profundo, Aaos Norvagis dicto, qvorum inverſione urbis nomen Aaos-Loo ſeu contractè Aslo reſultat. Mercimoniorum opportunitate cùm hinc per annos 169. vires nullas non ſumere Emporium hoc potuerit, præſertim ſede Epiſcopali jam dudum nobilitatum, non prius jure cudendi numos eſſe donatum colligimus, qvàm Bergenſium oppidum, qvod Rege *Erico* Præſtehadere anno 1281. monetæ privilegio munitum fuiſſe dabimus: Cui accedit numulus hic luci expoſitus, tanqvam oculatus teſtis, aliiq; ejusdem farinæ numuli, poſtea procuſi *Asloæ*, qvam vulgus *Opsloe*, dum ſtetit, appellare ſolebat, nomine aliqvantum intorto. Itaq; numus non civitatis Asloenſis circa annum 1204. cuſus eſt, ſed *Nicolai* Epiſcopi in illa civitate monetæ domum habentis, ex qva numus iſte prodiit, unde expreſſe additur in numo MONETA E. ASLOENS. i. e. *Eccleſiæ Asloenſis*, non civitatis. Nam illa litera E. in numo ſatis diſtinctè ideò expreſſa. Vetus qvæ fuit urbs, jam cineribus ſuis ab anno 1624. jacet ſepulta, novâ confeſtim in tractu commodiori auſpiciis ſingulariqve indultu Glorioſiſſimi Regis *Chriſtiani IV.* ſitâ, qvæ nomine *Chriſtiania* appellabatur à potentiſſimo illo regnorum ſuorum ſtatore & inſtauratore, qvemadmodum in hunc usq; diem eodem vocabulo floret & viget. Propemodùm ſimilem numum Ducis Hacqvini nobis depromit *D. Elias Brennerus in Theſ. Num. Sveo-Goth.* Hic numus qvoq; prima facie habet caput ex roſis diadematum, cui adſcribtum: HACWIN DUX NORVEGIE. Averſa numi crucem habet cum qvatuor roſis & in circuitu MONETA. E. ASLOIA. Eſt numisma, ut plurimi cenſent, qvod pertinent ad Hacqvinum furioſum, nepotem Sveri Regis Norvagiæ ex ſorore.

REGIS ERICI MAGNI FILII.

TAB. XXVIII.

No. 71. ✠ ERICVS REX NORVEGIE. *Caput Regis eleganter coronatum.*

In latere averſo:

✠ CIVITAS BERGENSIS. *Crux qvadrata roſam in qvolibet ſui angulo repræſentans.*

Numulus hic argenteus nullius, niſi Norvagiæ Regis, *Erici Magni* filii poterit eſſe, qvi anno 1280. Bergis maximâ cum ſolennitate regno eſt inauguratus & ob ſuum deinde in Clericos malum affectum Præſtehader/ h. e. Sacerdotum oſor eſt cognominatus: Etenim nec ejusdem nominis ante eum ullus ad gubernacula regni ſedit, niſi *Ericus* Blood-Øxe/ ab aſcia ſangvinolenta ita denominatus, qvi verò imperium circa annum 929. tenuit, qvo tempore necdum in Norvagia monetam viguiſſe percipimus, nec ullus in ſeptentrione noſtro eo tempore tam nitidæ literaturæ cuſus reperietur numus. Qvid? qvod nec Bergenſem civitatem ante Regis *S. Olai* tempora, qvi regnare cœpit anno 996. inſtitutam legamus, multò minus inibi antea erectam fuiſſe officinam monetariam. Primùm enim cœperunt Bergæ commerciorum viribus increſcere, regnantibus *Erico* hoc ejusq; Patre *Magno Hacqvini* filio, qvi Lagebæter i. e. Legum inſtaurator dictus: qvippe urbibus *Vendalicis* anno 1275. prima Bergis negotiandi conceſſa fuit poteſtas, ipſis à *Magno*, illo Norvagiæ Statore, indulta, qvam ratam filius ipſius, *Ericus*, habuit, qvorum tempore Bergis monetam ſumſiſſe vires eſt veriſimile, prout numi averſa hîc confitetur. Itaq; in coronationis feſtivitate numulum hunc, Rege *Erico* imperium capeſſente, Bergis procuſum fuiſſe credimus, qvo urbs eadem ſibi Regis gratiam ulterius eblandiri conata eſt, utpote qvæ jam dum monetæ jure clementer donata videtur. Aut ſi malueris, civitatem hanc privilegiis iisdem jam munitam, poſt primam Regis *Erici* in Danos expeditionem navalem, ipſo jam reduce, tanqvam victoriatum cudi hunc numum curaſſe: memorant enim annales Norvagici, hunc Regem *Ericum* ob maternum heredium ſibi in Dania denegatum Regi *Erico Menvedo* bellum indixiſſe, & anno 1288. unà cum Danis extorribus & perfugis, qvaſi injuria in Dania affectis, qvi tamen *Ericum Glippingum*, *Menvedi* patrem, immeritiſſimò trucidarunt, diverſas Daniæ urbes in favillas redegiſſe, ipſumq; Regem poſt hanc expeditionem proximo in feſto Paſcatos, procedentem in templum coronam auream portaſſe, qvaſi re bene in Dania geſta: Proinde & coronatum Regis caput in numi facie urbem hanc exoptaſſe, ſuſpicamur. Ultima ex civitatibus Bergenſis videtur fuiſſe in Norvagia, qvæ antiqvam retinuit monetam, prius enim, qvantum ſcimus, qvàm anno 1575. non omiſerunt ſuos numos novæ monetæ, cùm aliæ civitates jam dudum & paulatim deſiiſſent ſub Rege *Chriſtiano* III. qvod illarum numi reſpondere non poſſent probitati Monetæ Regiæ, qvam Rex ab ipſis deſiderabat.


Et hæc ſunt numismata patria, qvotqvot ex antiqviſſimis typis in Muſeo Regio exſtant. Paucitatis & exilitatis cauſas in procœmio, numis hiſce præfixo, & alibi ad numos eosdem illuſtrandos, utpote qvi ad incudem revocati & recuſi maximâ ex parte cenſentur, adduximus, qvibus hanc qvoq; rationem addit *Joh. Mulenius* in præfatione Numism. Dan.: *Sub primis Danorum Regibus nullus aut exiguus numo-*

rum

rum uſus fuit, nam merces cum mercibus commutabant, ideo numos non cuderunt, niſi minutulos & uſuales ex ære ad res minoris pretii comparandas, aut ad ſummam pretii in rebus permutatis ſupplendam & coæquandam utiles. Veteri more juxta paucos indigenas Septentrionales externis & peregrinis numis diu contenti fuêre, nec ullam in Dania circa annum 980. Svenothonis, ſeu Svenonis admorſæ barbæ tempore, monetam exercitam fuiſſe credimus, & ſi qva fuerit, fuerit peregrina & exigua, aliàs haud opus fuiſſet ad privilegium recurrere, qvô tanta ſumma compenſari deberet Virginibus & Matronis, qvæ Regem ſuum ornamentis omniq; mundo muliebri ex captivitate redemerunt: Aurum qvippe & argentum, non pecunia, illic in hiſtoria memoratur fuiſſe pretium redemptionis. Septentrionales enim aurum & argentum ſuum initio non cuſum ſed ad certum pondus examinatum voluerunt. Librâ hac Anglos Danis per aliqvot annos inde ab anno 991. tributum ſuum *Danegildum* ſolviſſe *H. Spelmannus* ipſe *Gloſſar. p.* 199. & 200. qvemadmodum & annales utriusq; gentis abundè ulterius evincunt: Nam tributum illud Danicum *Danegildum* rectè cenſet laudatus *Spelmannus* Anglis indictum, *aliàs ad pacandos Danos, aliàs ob arcendos.* Nec Rugianis 1110. fuit pecunia, qvi, ut *Helmoldus Lib. I. c. 38. Chron. Slav.* refert, ab Henrico Slavorum Duce ſubacti pacem 4400. marcis vel ſelibris adepti ſunt. *Apud Ranos*, inqvit, *non habetur moneta, nec eſt in comparandis rebus conſvetudo numorum, ſed qvicqvid in foro mercari voluerис, panno lineo comparabis. Aurum & argentum, qvod fortè per rapinas & captiones hominum vel undecunq; adepti ſunt, aut uxorum ſuarum cultibus impendunt, aut in ærarium Dei ſui conferunt. Poſuit ergò iis Henricus in appenſione ſtateram gravisſimi ponderis, & qvicqvid in privatis ſuis auri vel argenti habuerant, vix medietatem pecuniæ perſolverunt.* At non tantùm ex ære, ut vult *Mulenius* noſtras, minutula numismata, qvæ primùm ſeculô XIII. viguiſſe & Danis in uſu fuiſſe ſuprà demonſtravimus, ſed & antea argentea procuſa fuêre, qvæ non tantùm initiô monetæ erant, ut ita dicamus, ſeparatoriæ, ſed & ſummæ numariæ poſtea ſecundùm marcas denariorum numeratæ. Primi vero numi, qvos in Dania cenſemus fuiſſe uſuales, ſunt, niſi omnia nos fallunt, Denarii, qvi, ſub Rege *Cnuto II.* ejusq; ſucceſſoribus ex Anglia ad majores noſtros commerciis & tributis delati, inde ab initiô ſeculi XI. diutiùs in oris Boreæ noſtri cum indigenis in uſu retenti ſunt. Veteris monetæ Scanienſis haud immemor eſt Teſtamentum Archiepiſcopi Abſolonis à *D. Sperlingio* editum, qvam purioris argenti ſeculô illô, nempe XII. fuiſſe exinde colligimus, cùm ibidem Alexandro Abſolonis ex ſorore filio injungitur, ut ex 700 marcis denariorum Scanienſium veteris monetæ argentum conflari curaret, qvibusdam Soræ perſolvendum, & qvamvis vix antea marcæ denariorum in hiſtoria patria memorantur, monetæ tamen Scanienſis veſtigia retrò legere poſſumus usq; ad *Canutum* IV. circa annum 1080, qvo Lundenſis monetæ qvartam partem initio regni ſui conceſſit Archiepiſcopo ex domo monetaria, qvam judicamus à Patre Svenone Eſtrithio, conſtituto ibidem epiſcopatu, erectam poſſediſſe, ex qva & aliis Daniæ Norvagiæq; officinis monetariis allata congeries veteris novæq;, ut dicebatur, monetæ ad nos prodiit, Daniæ & Norvagiæ Regibus antiqvæ proſapiæ clavum imperii tenentibus, cuſa. Seculis iſtis tandem ita exactis, ſub Regibus noſtris è Domo Oldenburgicâ eximiè adeò res monetaria crevit & numi majoris accuratiorisq; typi exſtiterunt, ut monetas vicinorum admodùm ſuperent, qvod ex præcedentibus aureis & ſeqventibus argenteis clarè

eviden-

evidenterq; dignoſcitur, qvorum moduli qvemadmodum aureorum ſunt diverſi, qvadrati ſcilicet & triangulares, & oblongi, qvi ſuâ ubiq; figurâ deſcribuntur, rotundorum verò circumferentia, qvam ſi ſecundùm æri hìc inciſos Oldenburgicæ Domûs numos aureos, qvorum argentei partim ectypi ſunt, dimetiri non potuerimus, qvi alius qvandoq; ſunt typi & moduli, ex delineatione inſeqventi, literâ characteriſticâ cuilibet circulo, cujus magnitudinis numus annotetur, additâ, facilè apparebit.



NUMI REGUM FAMILIÆ OLDENBURGICÆ Ex argento. REGIS CHRISTIERNI PRIMI.

No. 1. *Numulus truncatus, in latere utroq; inſignia Domûs Oldenburgicæ cum impoſita coronâ habens.*

Mulenius ſer. numiſ. Dan. Claſſ. 3. inter numulos Regis *Chriſtierni* I. numisma hoc recenſet.

No. 2. C. *Majuſculum* ⊸. In averſa: *Inſignia Oldenburgicæ Domûs.*

Numus itidem eſt formæ qvadratæ & neglectæ, argenti ſatis probi, ut illum qvoq; non niſi Regi *Chriſtierno* I. attribuere poſſimus. Huic Regi monetam in regnis ſuis curæ & cordi fuiſſe non eſt qvod dubitemus: Nam qvemadmodum *Hvitfeldius Chron. Dan. pag.* 858. notabiliter monet, Regem *Chriſtiernum I.* anno 1453. Holmiæ in concilio juſſiſſe monetam in melius reſtitui, Regemq; hunc etiam novam Holmiæ, Aboæ, Suderköpingiæ & Calmariæ inſtituiſſe monetam, ut indigena ſuccreſceret, peregrinâ, qvæ plus qvàm patria ibi viguit, ad certum pretium imminutâ, ut poſtea tandem in totum rejiceretur; Ita, niſi nos omnia fallunt, monetam non minus in Dania credimus æqvè ac in Svecia in meliorem ſtatum redactam fuiſſe, ut numi, ob mutua ſubditorum commercia eſſent ἰσότιμοι. Qvoscunq; itaq; reperimus numos melioris notæ & tam neglectæ formæ ita ſignatos, potius cenſemus eſſe *Chriſtierni* I. qvàm Regis ejusdem nominis, qvi Secundus nobis numeratur, fa-

famâ enim is in annalibus noſtris laborat, qvòd eosdem numos, deteriores procudi fecerit, cùm plus juſto ære eos ſuffarcinatos populo obtruſerit. Et tales numi neceſſitate adinventi videntur ad ſtipendia militibus ſolvenda, nam cùm accelerari opus qvandoq; eſſet ſolutionem, ne turbas darent illi Martis pulli, numi hi rudi ſic prodibant formâ, aſperâ & multis interdum angulis præditâ, nam prout ſub forfice primo ceciderant ita ſignabantur & ſolvebantur, hinc nomine **Klippinger** etiam noſtratibus numi tales venerunt. Hos aliusq; formaturæ, qvi purioris erant argenti, maximâ ex parte recuſos fuiſſe nulli dubitamus; & tenebatur præterea circa hæc tempora, teſte *Hvitfeldio*, qvilibet mercator, qvi venundandas adportabat merces, 40 marcarum valore, argenti pondo in regnum Sveciæ afferre & monetæ cudendæ divendere, ut non niſi ſecundùm leges monetales probioris argenti, monetâ jam reſtitutâ, fuerint numi cuſi. Mirum itaq; non erit Regis hujus perpaucos ſupereſſe numos, qvi vix monetariorum & aurifabrorum potuerunt evadere manus: Præter hos obliqvos etiam rotundos numos procudi feciſſe Regem eundem credimus, qvorum aliqvos in Svecia cuſos nobis depromit *Elias Bremerus in Theſ. Num. Sveo-Gothic.*, argenti qvi ſunt ſatis probi, qvamvis minoris formæ, ponderis ac pretii, ut denarii etiam nomen circa annum 1467., Rege hoc regnante, mutatum eſſe cenſeamus in Scillingos, aut Scillingos adeò pondere & probitate decreviſſe, ut denarium veterem vix efficerent, qvemadmodum ex *Hvitfeldio* toties laudato pag. 911. percipimus, illo enim tempore ſemuncia argenti æqviparabatur octodecim ſcillingis; verba vernacula hæc ſunt: **Lod Sølf til atten Schilling regnendis.** Sed an numi à laudato Brennero depromti Regis *Chriſtierni I.* aut ejusdem nominis Secundi ſint, dictu nobis difficile erit, cùm uterq; eodem nomine numis inſcribi voluerit absq; ullo diſcrimine aut ærâ Chriſtianâ. Eodem modo qvatuor urbes Vendalicas Lubecam, Hamburgum, Luneburgum & Wismariam anno 1468., proximè qvi ſeqvebatur, ſuos procudiſſe ſcillingos ſimplices, qvi novem erant graduum ex marca puri argenti, & duplices duodecim graduum, Hamburgenſes Schedæ *Johannis Rentzelii* laudatæ atteſtantur. Verba ejus addere, qvoniam appoſita, non pigebit: Anno Dni. **duſent veer hundert acht und ſöſtig do wordt eene nie Ordinantie gemacket van deßen veer Steden und enckelde Schillinge gemünzet van IX. Loth fines/ oock dubbelde Schillinge van 12 Loth fines.** Et tantam prædictus autor ibidem conqveritur poſt memoratum annum 1468. fuiſſe caritatem argenti, ut qvatvor urbes hæ à moneta cudenda diu deſiſtere coactæ fuerint, ne deteriores ab ipſis protruderentur numi, qvi aliàs a proximis qvotidie & pondere & probitate imminuebantur. Sic enim pergit memoratus *J. Rentzel*: **Der Orſacken halver verlohr ſick dat Silver-Geld/ dat man den I. up't lateſte nicht konde bekamen.** Vult dicere, numos hos, purioris qvi fuere argenti, colliqvatos & recuſos fuiſſe viliores. Qva de cauſa urbes Vendalicæ tandem adactæ ſunt ſuam qvoq; monetam anno 1502. mutare & minuere, prout etiam indicat. Interim ex antiqvis rationibus ſub Rege *Chriſtiano I.* anno 1478. *Hvitfeldius* adhuc Groſſos aut **Groter** & ſcillingos **Grot** adduxit, ubi **Groter** & ſcillingi **Grot** diſtingvuntur; ſed facile colligimus ſcillingos hos haud fuiſſe ponderis & bonitatis tam corruptæ, cujus poſteriores fuerunt, licet *Hvitfeldius* tam de pondere qvam probitate ſcillingorum ejus ævi taceat nobisq; has cum cæteris relinqvat tenebras. Vix enim illud ſcribtores obſervarunt, cùm moneta eo ſeculo ulterius fuerit va-

ga & varia, ut rationem monetæ exactè reddere perdifficile & valde intricatum ſit negotium.

REGIS JOHANNIS I.

NUMUS MAJOR.

No. 1. *c.* JOHANES DEI G—RATIA. REX DAE. *Rex ſtans capite coronato, nimbô præterea ſanctitatis circumdatô, trabeâ amictus, totusq; ſub illa cataphractus & ferratus, dextrâ ſceptrum liliatum, ſiniſtrâ orbem cum cruce præfert, inter pedes ſcutum cum trabibus Domûs Oldenburgicæ poſitum eſt.*

MONET. ARGENT. REGNI DACIE. *Crux numi averſam pertranſiens, cujus extremitates dilatatæ. Super qvam ſcutum coronatum, in cujus medio tres Leones dextrorſus procurrentes.*

Uncialis qvidem eſt numus, aſt non Thalerus imperialis, ut vulgo dicitur, qvòd Thaleri magnitudinem & pondus præferat, nulli enim numi unciales nomine Regis ejusdem ætate prodiêre. Primi qvippe Thaleri nomen ſortiti fuêrunt ex **Jochims Thal** vel valle Joachimica Bohemiæ, ex ejusq; argento à Comitibus de Schlick procuſi ſunt anno 1519. Ideò etiam Joachimici & **Jochims Thaler**/ ſeu abſolutè **Thaler**/ denominati, qvi ſunt unciales. Johannes autem Rex ante annum iſtum in vivis eſſe deſierat, mortuus anno 1513., ita ut thaleros nomine iſto procudere non potuerit. Cùm verò reperiantur numi argentei ejusdem fermè magnitudinis, ſed paulô ponderoſiores thaleris, à Sigismundo Archi-Duce Auſtriæ anno M.CCCC.LXXXVI. cuſi & ærâ eâdem inſigniti, qvi tunc non thaleri, ſed numi groſſi dicebantur, Germanis **Dicke Pfenninge**/ Johannem Regem primùm in Dania tales qvoq; numos ad imitationem procuſos voluiſſe, dicendum eſt, at qvo nomine tunc venerint, nobis non adeò eſt cognitum, niſi, ut ſuprà diximus ad numos ejusdem Regis aureos, ſecundùm Imperatoris Ferdinandi Conſtitutionem monetalem **Müntz-Ordnung** de anno 1559. inter cæteros Romani Imperii Receſsûs anno 1660. Moguntiæ impreſſam, **Sølv-Stykker** vocitati fuerint, cùm ibidem recenſeantur ſub nomine **Dännemärckiſche gantz Silbern Stück**/ **den Thalern an ihrer Größe gleich**. Qvorum vera nomina inſeqvens thalerorum propago adeò obſcuravit, ut illi vulgò thaleri ſint appellati, qvi aut pondere aut magnitudine illis æqvales. Similem qvoq; numum prædictus Sigismundus cudi fecit ærâ Chriſtianâ M. CCCC. LXXXIV., vix dimidium thalerum hodiernum magnitudine æqvantem, at pondere uncialem ideoq; ſpiſſiorem, ita ut videamus, cur **Dicke Pfenninge** & **Dicke Groſchen** numi tales dici cœperint.

NUMI MODULI MEDIOCRIS.

No. 2. *g.* JOH'S. DEI. GRA. REX DACIE. *Inſignia Oldenburgica, in clypeo interiori, exterius crux Dannebrogica, usq; ad oram numi tranſit.*

℞ MONETA NOVA HAFNIENSIS. *Tres Leones ſiniſtrorſum prodeuntes.*

No. 3.

duximus. Commercia præterea celebriora emporiis Daniæ & Norvagiæ cum urbibus Vendalicis interceſſiſſe annales noſtri paſſim tradunt, adeò ut vero ſimile ſit numos ipſarum utrobiqve fuiſſe ἰσοτίμους. Et qvemadmodum circa hæc tempora anno ſcilicet 1506. Urbes illæ Hanſeaticæ marcam ſuam, qvæ denariorum erat, ad peculiarem ſtatum redegerunt, locoq; denariorum ſcillingos ſedecim marcæ huic tribuerunt, ſcillingo verò denarios duodecim, itaq; qvoniam hic erat ſtatus monetæ & marcæ, numo, marca qvi erat, prædictæ civitates, ut antea meminimus, inſcribi curarunt: STATUS MARCÆ. Rem ulterius illuſtrant Schedæ M SS. *Johannis Rentzel*, cujus verba ibi ſic jacent: Anno 1506. do wordt avermals twiſchen den beer Steden eene Ordonantie gemacket und Marckſtücke van 16ß. gemüntet/ holdende 15 Loth ſchródet/ up de lödige Marck 12 Stücke. Marcam Status referunt Schedulæ fuiſſe 15. graduum argenti puri & tales 12. æqvaſſe marcam argenti, ita ut ſcillingus duorum aſſium nunc Lubecenſium pretium expleverit, & ejusdem valoris credimus numos hos, fuiſſe qvi hic inter numos moduli mediocris & ſecundæ magnitudinis afferuntur, qvi verò hic primæ ſunt, eos alterum tantum valuiſſe ratio ſvadet.

No. 13. *b.* JOH'S DEI ◦ GIA ◦ REX DACIE. *Inſignia Oldenb. & crux Dannebrog.*
MONTA ◦ NOVA ◦ MALMOGE ◦ 1512. *Tres Leones Danici in ſcuto.*

14. *b.* ✱ JOH'S ◦ DEI ◦ GRA ◦ REX DACIE. *Inſignia eadem Oldenburgica, unà cum cruce.*
☞ MONETA ◦ NOVA ◦ MALMOG ◦ 1512. *Daniæ inſignia, tres illi Leones.*

15. *b.* JOH'ES DEI. GIA. REX DACIE. *Inſignia Oldenburgica, cum Cruce Dannebrogica.*
☞ MONETA. NOVA. AELBORGENS. *Tres Leones.*

16. *b.* JOH'S. DEI. G. REX DACIE. *Eadem Inſignia & Crux.*
☞ MONETA NOVA ALBORGEN. *Tres Leones.*

Aelburgenſium in Cherſoneſo noſtra monetam inter antiqviſſimas Daniæ eſſe inde ab anno 1156, regnante *Svenone Graatehede* ſeu *Graatemoſe*, eſt qvòd cenſeamus, illo enim Rege Aelburgi cuſus hic aſſervatur numus, qvem illuſtratum videbis Sectionis hujus TAB. XXVII. No. 33.

17. *b.* JOHS. DEI. GR. REX NORW. *In area numi ſcutum, ſæpius memorata Inſignia Oldenburgica continens, cum Cruce prædicta, cujus extremitates aliqvantùm dilatatæ pertranſeunt numi anticam faciem.*
☞ MONET. NOVA. BERGENS. *In intermedio ſcutum, in qvo eminent Inſignia regni Norvagiæ, Leo cum bipenni erectus.*

18. *b.* JOHES: D: G: REX NOR. *Inſignia Domûs Oldenburgicæ.*
☞ MON. NOV. BERGEN. *Leo ſiniſtrorſus procurrens cum bipenni, pone Leonem crux Dannebrogica utrinq; eminet.*

19. *b.* JOH'S DEI ✱ GR ✱ REX ✱ NORW ✱ *Sigla Nominis Regii, ſc. H. litera monaſtica coronata, in ſcuto.*

MONET. * NOVA * BERGENS. *Idem Leo cum bipenni in ſcuto.*

Senium Monetæ Bergenſis percipies ex iis, qvæ diximus ad numum Civitatis Bergarum hic TAB. XXVIII. No. 71.

NUMI MINORES.

No. 20. *k.* JOHES. D. G. R. DACIE. *Litera characteriſtica nominis Regii coronata.*
MON. NOV. HAFNIE. *Crux Dannebrogica, ſcutum totam q; averſam ſecans.*

21. *k.* JOHES. D. G. R. DACIE ❁ *Sigla coronata Regii nominis.*
MON. MALMOJENS. *Crux Dannebrogica, ſcutum totam q; averſam ſecans.*

22. *k* * JOHES. D. G. R. DACIE. *Sigla eadem coronata.*
MON. MALMOJENS. *Averſa eadem cum priore.*

23. *k.* JOHES: D: G: R: DACIE ❁ *Idem H. monaſticum coronatum.*
MON. MALMOJENS. *Crux eadem ſcutum pertranſiens.*

24. *k.* ❁ JOHES: D: G: R: DACIE. *Litera H. coronata.*
MON. AELBORGEN. *Crux Dannebrogica, ſcutum us q; ad oram numi utrinq; pertranſiens, extremitatibus dilatatis.*

25. *k.* JOHES: D: G: R: DACIE. *Eadem litera coronata.*
MON. AELBORGEN. *Eadem, ac in priore averſa.*

26. *k.* ☥ JOHES: D: G: R: DACIE. *H. monaſticum coronatum, latius tamen, ac diverſi typi à cæteris.*
MON. AELBORGEN. *Eadem crux Dannebrogica.*

27. *k* ❁ JOHES: D: G: R: DACE. *Litera monaſtica Regii nominis initialis H. coronata.*
MON. AELBORGEN. *Scutum, per qvod Crux Dannebrogica tranſit.*

28. *k.* JOHAES DORETEJE ·: *Litera H. monaſtica cum corona.*
MON. MALMOJENS. *Scutum, qvod pertranſit Crux Dannebrogica.*

Reginæ Matris DORETEJE ſeu potius DOROTHEÆ unà cum Filio Rege in numulo hocce Malmogienſes devotam voluerunt injici mentionem: Bis enim illa Daniæ Regina, Marchionis Johannis, qvi cognomento dicebatur Alchymiſta, qvòd ea arte ſe oblectaverit, filia, ingenio & natu maxima, prius Chriſtophoro Bavaro & poſt eum Chriſtierno Oldenburgico utriq; regnorum Boreæ Regi potentiſſimo nubſit, qvæ regni, per 60. annos improlis, ex conjugio ultimo prolifera & Regum, Johannis I. & Friderici I., fœcunda fuit Mater, fœmina planè moderati animi & prudentiâ ſupra ſexum ſuum excellens, cujus monitis Rex Johannes acqvievit, qvamdiu illa vixit, nullum in Svecos, tunc fœdifragos, bellum movens.

No. 3. *b.* JOH'S DEI. GR. REX. DACI * *Trabes Oldenburgicæ cum cruce prædicta.*

MONETA NOVA * HAFNIENS * *Tres Leones, planè ut in ſuperiori.*

Et qvamvis certis legibus, Patre Regis hujus regnante, cautum de moneta fuerit, qvi, qvemadmodum diximus, novam inſtituiſſe etiam in Regno Sveciæ in annalibus patriis narratur, planè novam tamen monetam ejus tempore exſtitiſſe hic ex averſis numorum Filii ipſius, Regis JOHANNIS I., percipimus, qvibus MONETA NOVA ſemper inſcribitur, ſine dubio, ut ſignificaretur eo tempore circa monetam mutationem ſingularem occurriſſe in regnis Septentrionalibus. Adduximus enim ſuprà ex *ſchedis M. SS. Johannis Rentzel* novam conſtitutionem monetariam, anno 1468. à qvatuor Vendaliæ urbibus ſancitam, qvâ Novam Monetam exercuerunt, ut vero conſentaneum ſit, qvòd urbes hæ cæteræqꝫ, monetâ in melius reſtitutâ, omnes MONETA NOVA addere poſt medium, ut hic eſt, ſeculi XV. cœperint, ſive minores, ſive majuſculi etient numi, qvò tandem factum, Rege hoc ad gubernacula regni ſedente, ut in feriundis & ſignandis numis Civitatum Vendalicarum mores Monetarii juſſu regio ſint ſecuti, qvemadmodum etiam Regis hujus Succeſſores Potentiſſimi ob negotiationem cùm gentibus conterminis percelebrem amarunt malleum ſuum æqvare, (loqvimur hic cum *Crantzio*) ut ejusdem bonitatis moneta eſſet cum illa, qvæ in urbibus Vendalicis cudebatur. Præterea Regni Senatus ante Regem creatum ſemper eam olim expetiit monetam, qvemadmodum ex *Hvitfeldii Chron. Dan. pag.* 1137. & 1201. ſatis diſpaleſcit. Primùm jam & inprimis hic MONETA NOVA HAFNIENSIS gliſcit, nunqvam, qvantum nobis innotuit, antea cuſa. Numisma qvippe regium, qvod inde à Regis *Valdemari I.* tempore Roeskildiæ circa annum 1158. adminiſtratum ex *Saxone Grammatico* probatum dedimus, Havniæ Rege JOHANNE primùm inſtitutum colligimus, qvòd Prædeceſſori ipſius Regi *Chriſtophoro Bavaro*, urbs hæc anno 1443. penitus cum jurisdictione apud Epiſcopos remanente, ut regia eſſet ſedes, ceſſiſſet, monetâ Roeskildenſi diu, & qvantum ſcimus, usqꝫ ad initia regiminis CHRISTIANI III. ſilente, qvæ Regi huic electo anno 1535. numulò qvodam ex incude ſua abblandiri ſategit, at mox in totum eviluit. Urbs in Europa eſt Havnia, qvæ inde à multis ſeculis, ob fidam, qvam ſitus ejus navibus concedit, ſtationem, καθ' ἐξοχὴν noſtratibus olim Hafn i. e. Portus vocitata, qvemadmodum & in bullis, ut dicuntur, confirmatoriis Pontificum Romanorum Urbani III., Celeſtini III., Innocentii III & IV., qvæ in Archivis Regiis aſſervantur, Epiſcopis Roeskildenſibus ſuper urbem Hafniam datis, nominibus iſtis, *villa de Hafn* & præſertim *Caſtrum de Hafn* ſæpius venit, Latinè deinde Hafnia ſeu potius Havnia & ob commerciorum oportunitatem Germanis, Kopmannahaven & Kopenhagen / noſtris Kiøbenhavn dicta. Hic initiò contra piratarum impetus Rex Daniæ *Valdemarus I.* caſtrum circa annum 1168. ad oram litoris Dn. Abſoloni, Epiſcopo tunc Roeskildenſi, exædificare clementer conceſſit, ſub cujus tutela humiles illic piſcatorum caſæ cannisqꝫ contextæ domunculæ in ſatis munitam increverunt urbem. *Eôdem anno*, inqvit *Saxo Grammaticus* lib. 14. Hiſt. Dan. *deturbandæ pyraticæ gratia Abſalon inſulam maritimam novi caſtel-*

ſtelli fundamento complexus exigui munimenti beneficiô ingens patriæ præſidium attulit. Hinc immunitates primas ab Epiſcopo Roeskildenſi Jacobo Erlando 1254. urbs hæc commerciis celebris obtinuit. Præſulum deinde Roeskildenſium jure clientelari aliqvantùm exemtæ & privilegiis à Rege *Erico Glippingo* 1284. donatæ Rex *Ericus Menved* anno 1319. Præfectum conſtituit, qvi jura ibi regia curaret dicereturq; Caſtri Advocatus, adeò ut variæ exinde inter Reges Epiſcoposq; exortæ ſint lites, qvæ tandem, Rege, ut diximus, *Chriſtophoro Bavaro*, ſopitæ. Et ſic Havniæ numisma regium adeò eximiè poſtea crevit, ut numi majoris accuratiorisq; typi ſemper hic exſtiterint, monetas vicinorum populorum admodùm ſuperantes & formaturâ elegantiores.

4. *h.* ✵ JOH'S DEI: GRA ✱ REX DACIE.
☞ MONETA * NOVA ✵ MALMOJENS * *Utrumq; latus cætera planè ſimile eſt præcedentibus.*

5. *h.* JOHNS DEI. GRA REX DACIE. *Inſignia Oldenburgica cum cruce.*
☞ MONETA ✵ NOVA ✵ MALMOENSIS. *Tres Leones, inſignia Regni Daniæ.*

6. *h.* JOHES DEI ✱ G A ✱ REX DACIE. *Inſignia Oldenburgica, cum cruce.*
☞ MONET ✵ NOVA ✱ MALMOESIS. *Tres Leones in ſcuto, ſiniſtrorſum currentes.*

7. *h.* JOHNS. DEI. GRA. REX. DACIE. *Eadem inſignia, & Crux Dannebrogica.*
MONETA. NOVA. MALMO: ENSIEIS. *Iidem tres Leones, eodem poſitu.*

8. *h.* JOHES DEI. GIA. REX DACIE. *Inſignia Oldenb. & Crux eadem.*
☞ MONET. NOVA ✱ MALMOESIS. *Tres Leones in ſcuto.*

9. *h.* JOHS DEI ✱ GIA ✵ REX DACIE ✱ *Eadem inſignia Oldenburgica.*
☞ MONTA. NOVA * MALMOJENS. *Tres Leones iidem.*

10. *h.* JOH'S · / DEI. G. REX DACIE. *Trabes Oldenburgicæ in ſcuto, pone qvod Crux conſpicitur Dannebrogica prominens.*
☞ MONETA NOVA MALMOE ✵ *Tres Leones in ſcuto ſolito.*

11. *h.* JOH'S DEI. GR. REX DACI.
☞ MONETA * NOVA MALMOEN. *Eadem utroq; latere inſignia, ac in præcedentibus.*

No. 12. *h.* JOHS. DEI. GRA. REX. DACIE.
☞ MONETA NOVA MALMOENSIES. *Eadem, qvæ ſuprà, inſignia.*

Incunabula monetæ Malmogienſis ulterius retrò legere, niſi ad tempora Regis Chriſtophori Bavari, nobis non licuit nec ulteriora ſperamus, de qvibus vide, qvæ ad numos Malmogienſes, Rege eodem habenas regnorum Septentrionalium tenente, hîc Tab. XXVIII. No. 67. & 68. adduxi-

Mo. 29. *k.* JOHAES D G R DACIE. *H. coronatum.*
MON. MALMOJENS. *Scutum ac Crux eadem, qvæ in prioribus.*

30. *k.* JOH'S D' G' R' NORWEJ. *Sigla Nominis Regii, ut in præcedentibus, coronata, cujus utriq; lateri circelli ornamenti alicujus gratiâ apponuntur.*
MONETA NORWEJ — *Leo Norvagicus cum bipenni in ſcuto, infra qvod circellus viſitur.*

31. *k.* SANCTUS ⁘ OELAVVS ⁘ *Litera H. coronata, qvam utrinq; ornant circelli.*
JOHS D⁎G*R· NORWEJ. *Leo cum bipenni in ſcuto.*

Regni Norvagiæ hi, ut videre eſt, ſunt numuli, qvemadmodum hîc No. 1. etiam habemus numisma, Rege hoc regnante, elegantioris formaturæ & magnitudinis, qvod REGNI DACIE inſcribitur: NORWEJ enim pro Norvegiæ ſeu Norvagiæ, ſicut Dacie pro Daniæ, perperam inſculptum exſtat, qvemadmodum in Regis *CHRISTIERNI II.* numo, qvi No. 1. ſeqvitur NORHVEIA legitur.

32. *k.* JOHS⁎ DEI⁎ GR⁎ REX⁎ NOR⁎ *Sigla Nominis Regii coronata.*
✠ MONET⁎ NOV⁎ BERGEN. *Leo cum bipenni.*

33. *k.* ❁ JOHANES D. G. RES. NOR. *H. coronatum.*
MON. NOW. BERGEN. *Leo cum bipenni, oram numi crux Dannebrogica ſecat.*

Hujus commatis numulos non eſt qvòd dubitemus fuiſſe Albos Danicos, qvos vilioris pretii *Hvitfeldius Chron. Dan. pag.* 1011. prodidit in Holſatia & conventu Lövenzovienſi anno 1495. rejectos. Cauſam facilè divinamus, qvòd Albi cum ſcillingis probitate non componi potuerint; Aut illis, qvos hîc depromſimus & ob commercia mutua fuiſſe ἰσοταλάντους Albis urbium Vendalicarum, qvæ anno 1502. & 1506, tempore Regis hujus ſuos procudi fecerunt Albos, **Blafferde** ſeu numos cavos & denarios, qvi eſſent graduum qvinq; cum qvarta ejusdem parte puri argenti & 54. jactus marcam argenti conficerent, haud diſſimiles: Pergunt namq; ſæpius laudatæ *Johannis Rentzel* Schedæ ſic narrare: Anno 1502. **do würden binnen Lübke Witte/ Blafferte und Penninge gemüntet/ welckere de van Hamborg darna** Anno 1506. **ock anhöven to müntende unde holden 5 Loth und 1 qvintin fins/ geſchrödet up de Lödige Marck 54 Worpe.**

34. *k.* JOH'⁎ D'⁎ G.* REX⁎ SW'⁎ ❀ *Trabes Oldenburgicæ, cum cruce pertranseunte ad oram usqve numi.*
MONETA * STOC*HO ❀ *In medio aversâ Corona conſpicitur.*

35. *k.* JOH⁎ D⁎ G⁎ REX⁎ SW⁎ *Scutum, in qvo Trabes, Oldenburgica Inſignia.*
MONETA STOCHO'. *Clypeus, in qvo Coronæ tres.*

Svecica hæc, qvæ Holmiæ cuſa ſunt, numismata, in primâ facie præ ſe ferunt Regis *Johannis* inſignia avita & Sveciæ Regis titulum, ut conſta-

ſtaret, qvòd is tunc Sveciæ monetæq; regni eſſet Dominus, unâ verò tribuſve coronis promiſcuè in averſo adhibitis, qvarum unica regni, ternæ trium regnorum ſeptentrionalium unitorum, ſine dubio, indicant inſignia.

No. 36. *k.* ✠ SIT. NOMEN. *Scutum, qvod Crux pertranſit.*
DNI. BENEDICTV ✱ *H. monaſticum coronatum.*

REGIS CHRISTIERNI II.

NUMI MAJORES.

No. 1. *c.* ✠ CHRISTIERNUS. DEI. GRACIA. REX DACIE. SVECIE. AC. NORVEG. *Rex trabeatus & coronatus ſedens in ſolio Regio, dextrâ ſceptrum liligerum, ſiniſtrâ orbem cum cruce præferens.*

XPS. IHS. ELEGI. ME. REGEM POPULO SUO: NORHVEIA TRN. *Inſignia Regnorum, Ducatuum Comitatûsq;, ut dicuntur, plena, ſcutum nempe coronatum, qvod ſecat crux Dannebrogica, in cujus angulis primò tres leones inſigne Regni Daniæ; ſecundò trés coronæ unionis regnorum inſigne; tertiò leo Norvagicus cum ſecuri, & qvartò locò draco, Vendalicum regnum deſignans. In ſcuti medio ſcutulum qvadripartitum, cujus primò locò bini leones Slesvigenſis Ducatûs: ſecundò, urticæ folium cum tribus clavis, Holſatiam denotans: tertiò cygnus Stormariam ſignificans provinciam, & qvartò demum rurſus duo illi leones Slesvigenſes. Huic ſcuto tertium & minimum eſt inſertum, cum binis trabibus Oldenburgicis. Juxta illa Æra Chriſtiana* 1516.

Qvi hîc affertur numus, licet uncialis ſit, thaleri tamen nomen non accipit, cum cuſus ſit anno 1516., qvo nondum thaleri nomen, qvà patet orbis, notum adhuc fuit, ſed ut diximus, anno 1519. cum argenteis in valle Joachimica cuſis uncialibus illud thaleri nomen ortum eſt, & ab omnibus Regibus ac Principibus ejusmodi numos poſtea procudentibus, ad hodiernos usq; dies propagatum eſt ac freqventatum. Ad exemplum itaq; Regis Johannis hunc numum eſſe percuſſum, non eſt qvòd dubitemus, cùm ejusdem ſit magnitudinis & ponderis, ſed verum eorum numorum nomen, ſtatim inſeqvens thalerorum propago, in totum obſcuraſſet, ſi laudata Imperatoris Ferdinandi conſtitutio monetalis anno 1559. idem ſub nomine Dännemärckiſche gantz Silbern Stück/ den Thalern an ihrer Größe gleich non detexiſſet, utpote qvi numi ſunt thaleris pondere & magnitudine æqvales. Inſcribtio numi ab utraq; parte præterea fermè coincidit cum ſeqventi, ejusdem qvi eſt characteris, ponderis & magnitudinis, niſi qvòd in averſa hujus verba exſtent hæc: NORHVEIA. TRN, qvæ partim explicata nobis dabunt regni Norvagiæ numuli, Rege *Johanne I.* cuſi, qvibus No. 30. & 31. contortè, exclusâ literâ G, inſcribitur: MONETA NORWEJ & JOHS D✱ G✱ R. NORWEJ. pro *Norvegi* ſeu *Norwegiæ*. Et in tantum numuli tales hoc nî explicaſſent, planè qvid illud NORHVEIA ſignificaret, nos latuiſſet; At cujusnam loci in Norvagia hæc ſit moneta ex contracto nomine, ut cenſetur urbis TRN., illuſtratu difficilius erit. Rectè verò ſi hario-

ſi hariolemur, nullius erit niſi TRoNdenſis, cùm ſiglæ hæ urbi aliàs nulli, cujus moneta tunc temporis maximè viguit in Norvagia, qvantum ſcimus, attribui poſſint. Trondenſes enim tractûs Nidroſiæ ab omni ævo fuerunt incolæ fortiſſimi, unde & in hunc usq; diem urbs eadem ab iis denominatur Trondheim/ i. e. Trondenſium manſio, qvemadmodum & Heim Norvagis adhuc appellatur manſio. Tribus qvandoq; verbis ſuam qvoq; licet indicare ſententiam, ſic tribus literis propter loci anguſtiam nomen urbis exprimere typi ſculptori hìc contigit. Nec minus luminis æra Chriſtiana 1516. inſcribtioni huic fœneratur, circa annum hunc qvippe cuſus eſt numus, qvo ſecundùm annales noſtros *Ericus*, nobili Valckendorfiorum proſapiâ ſatus, primùm Præpoſitus Roeskildenſis & Cancellarius Principis, Norvagiam nomine Patris gubernantis, poſtea Regis, *CHRISTIANI II.*, & demum Apoſtolicæ ſedis Legatus & Archiepiſcopus Nidroſienſis in Belgiâ commoratus eſt. Et Præſul is fuit, cui Nidroſiæ res numaria inprimis curæ & cordi fuit, teſtamur hìc numos ipſius perqvam nitidos, qvi ſub numeris 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. & 40. inſeqvuntur. Numus hic itaq; cum Archiepiſcopi ejusdem hìc elegantioribus narratur eſſe Belgici typi, in Norvagia tamen percuſſus, multum enim negotii Archiepiſcopo eidem circa annum 1515. qvo typus numi formatus eſſe creditur, & 1516, qvo numus hic rarioris magnitudinis procuſus eſt, nomine Regis *CHRISTIERNI II.* in Belgiâ alibiq; fuit commendatum, qvemadmodum ex epiſtola ipſius, qvam *Hvitfeldius Chron. Dan. p.* 1177. laudat ad Senatum Regni Daniæ Ultrajecti anno 1521. perſcribtam, diſpaleſcit.

No. 2. *c.* ✠ CHRISTIERNUS DEI. GRA. REX. DACIE. SVECIE. NORVE. *Imago Regis ſolio inſidentis.*

XPS. JHS. ELEGIT ME REGEM POPULO SUO 1523. *Integra Regnorum inſignia.*

Numisma hoc thalerum appellare non timeamus, & primum, qvi in Dania eſt cuſus, qvòd thaleros imitatus ſit magnitudine & pondere, qvi anno 1519. ex Jochims Thal nomen thaleri primùm adepti ſunt.

NUMI MODULI MEDIOCRIS.

No. 3. *b.* CHRISTIERN. DE. GRA. REX. DACIE. *Effigies Regis erecta ſtans, coronata & trabeam induta, ſub qva illa eſt cataphracta, dextrâ ſceptrum, ſiniſtrâ globum geſtans, inter pedes inſignia Oldenburgica.*

MONETA. NO. MALMOE. 1515. *Tres Leones in ſcuto coronato, pone qvod crux utring; apparet.*

4. *b.* CHRISTIERN DE' GR' REX DACIE. *Effigies Regis ejusdem habitûs & ſitûs, ac in priore.*

MONETA NO MALMOG. 1515. *Tres Leones in ſcuto coronato, cum cruce Dannebrogica.*

Senatu Regni Daniæ flagitante, Rex hic ob negotiationes cum urbibus Hanſeaticis mutuas initiò regiminis ſui conſtituit, ut noſtratis monetæ malleus civitatum prædictarum numismatis æqvaretur, ſic enim memo-

rant de Rege hoc *Chron. Dan. Hvitfeldii pag.* 1157: Hond ſkulde lade mynte god Mynt lige ved Stædernis. Et anno hoc, qvo numi priores ſub No. 3. & 4. ſunt percuſſi, Civitates Hanſeaticæ Lubeca, Hamburgum, Lunæburgum & Wismaria hanc, relatu *Johannis Rentzel, in ſchedis M. S.* toties laudatis, ſanciverunt conſtitutionem monetariam de ſcillingis ſimplicibus: Anno 1115. Do wordt eene Ordinancie gemacket twiſchen den veer Steden und wurden enckel Schillinge gemüntet/ unde holden 8 Loth fin Sülvers. Ita ut qvævis marca haberet in ſcillingis his 8 ſemuncias puri argenti, qvibus ad ſupplendum marcæ pondus 8 ſemunciæ addebantur cupri, ex qva mixtura ſcillingi tales cudebantur examinati & legitimi argenti. Qvi hic ſub numero 28. 29. 30. 31. adferuntur numi minoris moduli, ejusdem qvoq; ſunt commatis & ſimplices ſcillingi, majoris verò, ſub numero 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 15. 16. 18. 19. 22. 23. duplices cenſentur. Fabricari qvippe fecerunt Vendalicæ illæ urbes circa eadem tempora ſcillingos duplices, qvi eſſent $8\frac{1}{4}$ graduum puri argenti & 56. tales marcam argenti conficerent. Verba vernacula *Johannis Rentzel* in ſchedis laudatis ſic ſeſe habent: anno 1522 Do weren binnen Lübke gemüntet dubbelde Schillinge/ welcke darna anno 1523. to Wiſmar ock/ und anno 1524. to Hamborg und anno 1530. to Lüneborg ock gemüntet worden/ diße holden 8 Loth und 1. Qvintin finß/ ſchrödet up de Lödige Marck int erſte 56. Stücke. Sed vaga admodum in Septentrione, Rege hoc regnante, moneta velut oberravit, qvemadmodum ex gravaminibus Senatûs regni Daniæ apud *Hvitfeldium. pag.* 1137. patet, numos qvippe ſuos ære aliqvantum ſuffarcinatos, qvod memorat Hiſtoriographus idem circa annum 1519. pares eſſe voluit Rex urbium Vendalicarum numismatis melioris notæ.

No. 5. *g.* CRISTIERN' DE GR REX DACIE: *Duplex ſcutum, in interiori trabes Oldenburgicæ apparent, exterius ornamenta qvædam limborum inſtar ambiunt, utrumq; qvadrifariam ſecat crux Dannebrogica, ad oram usq; numi pertingens.*

MONETA: NOVA: MALMOG: 151Λ —: *Tres Leones in ſcuto.*

Numisma eſt ſui typi perqvam nitidus & ſingularis, qvem in conqvirendis numis patriis ſagaciores valdè expetunt.

6. *b.* CRISTIERN. D. G. REX. DACI'. *Rex coronatus & cataphractus, trabeam qvoq; indutus, erectô corpore ſtans, ſceptrum dextrâ, ſiniſtrâ globum tenens, cum inſignibus Domûs Oldenburgicæ in ſcuto inter pedes.*

MO. ARGENT. MALM' 1518. *Tres Leones in ſcuto coronato, cum cruce Dannebrogica hîc ornatiore.*

7. *b.* CRISTERNUS D. G. REX: DA'. *Regis eadem planè effigies, qvæ in præcedente.*

MO. ARGENT. MALM. 1518. *Itidem tres Leones, in ſcuto coronato, cum Cruce.*

8. *b.* CHRISTIERNUS DEI GRA. REX DACIE. *Effigies Regis, eôdem modô, qvô ſuprà.*

MONETA NOVA MALMOE 1525. *Tres Leones iidem.*

No. 9.

No. 9. *b.* CRISTI. DE. GR. REX NORVEG. *Insignia Oldenburgica in scuto interiori, exterius crux secat.*

MONETA NO. ARGENT. ASLOENS. 31. *In medio Leo cum bipenni.*

Numis hic unà cum truncato, qvi No. 24. hìc depromitur, ex ultimis videtur, qvos Rex *Christianus II.* ex Hollandia ad recuperandum Norvagiæ regnum sibi hæreditarium classe bellica Asloæ anno 1531. mense Novembri advectus ante captivitatem suam cudi jusserat, fortè ex argento censuali, qvod tunc temporis Norvagos sponte Regi dedisse annalium monumenta tradunt, qvemadmodum & memorant *Asloam* urbem in Norvagia fuisse antiqvam, olim à Rege *Haraldo Haardraade* circa annum 1049. præclarè fundatam, sed qvotqvot ibi vicorum ædiumq; sacrarum sese exseruerunt venusta monumenta, tot & rudera ex incendio, qvod urbs hæc anno 1567. & tandem anno 1624 est passa, è regione urbis Christianiæ, qvæ locò commodiori & auspiciis Glorioſissimi Regis *Christiani Qvarti* ibi postea est exædificata, terris sepulta jacent. Hìc in urbe antiqviori officina monetaria fuit admodum antiqva, ex qva etiam prodiit numus, qvem TAB. XXVIII. *No.* 70. adduximus, Philippi, Jarli seu Ducis Norvagiæ, qvi floruit anno 1204. Suis etiam tempore Regis *Johannis I.* anno 1483. privilegiis officina hæc gavisa est, ex qva prodiit nova hæc moneta, in cujus usum postea argenti fodinæ in eodem tractu, ut antea meminimus Sectionem VII. partis I. No. 9. ad montem **Golmsbiærg** indultu Regis *Christiani III.* anno 1539. indagatæ, at studio indefesso Glorioſissimi Regis *Christiani Qvarti* in loco Nomarchiæ **Sandsvær** vicino, & propter argenti copiam ingentem postea **Sølvsbiærgs Aas** i. e. jugum argenteum appellata, feliciter anno 1623. inventæ sunt, qvæ officinæ monetariæ Regiomonti, **Kongsbiærg** nobis dicti, penu perqvam fœcundum adhuc subministrant.

10. *g.* CHRISTIERNUS D. G. REX. DA. SVE. Z. NO. *Rex solio insidens.*

CHRISTOPHORUS COMES OLDENB. *Insignia Domûs Oldenburgicæ & Delmenhorstanæ alternatim posita in scuto qvadripartito.*

De aureo Rhenano Comitis Oldenburgici, *Christophori*, qvæ diximus, vide hic TAB. I. ad numos Regis *Christiani II.* aureos No. 2. Ejusdem magnitudinis hic est numus, at non typi. Qvi spissioris hìc No. 20. datur formaturæ ex argento, aurei Lubecensis pretium æqvasse Antiqvarii nostrates produnt, numus verò hic, ut admodum exilis, ita vilioris est pretii: Minutulos enim numos Comes idem fabricari fecit, ut non tantùm militibus suis stipendium esset justum, qvod in rebus commercandis sufficeret, sed & unà cum monetis jus Regis *CHRISTIERNI II.* ubiq; illustraretur. Verba Vernacula *Hvitfeldii Chron. Dan. p.* 1422. de monetis hisce sic jacent: **Græven lod og/ efter hans Hylding slaae Rinske Gylden og sinaa Mynt/ paa den ene Side stoed Kong Christierns Navn/ paa den anden Side hans eget/ at mand skulde deraf vide/ at hand ikke sig til beste havde foretaget samme Kriig.** Numi itaq; ætas non ultra homagium, qvod Comiti eidem anno 1534. nomine Captivi Regis *Christierni II.* Havniæ & Malmogiæ legimus præstitum, extendenda est; pòst enim *Hvitfeldius* meminit Comitem aureum Rhenensem minutulosq;

numos eadem inſcribtione cuſos voluiſſe, ut indicaret, ſe in Regis commodum & libertatem bellum hoc ſuſcepiſſe.

No. 11. *g.* CHRISTERNUS. D. G. REX DACI. 1535. *Rex in ſolio ſedens.*
CHRISTOPHORUS. COMES OLDENBVR. *Inſignia Oldenburgica & Delmenhorſtana in ſcuto qvadripartito & coronato.*

12. *g.* CHRISTERNVS. D. G. REX DACI. 1535. *Regis eadem effigies, ſolio ſcilicet inſidens.*
CHRISTHOPHORVS. COMES OLDENBV. *Eadem Inſignia in ſcuto coronato.*

13. *g.* CHRISTERNVS D. G. REX DACI. *Rex trabeatus, & capite coronato, ſolio inſidens, dextrâ ſceptrum, ſiniſtrâ globum cum cruce præfert.*
MONETA. NO. MALMOGENSIS XXXV. *Scutum coronatum, in cujus intermedio tres Leones ſiniſtrorſus, ut in plerisq; viſitur, currentes.*

Numerus XXXV. in averſa indicat æram numi, qvæ Chriſti erit annus trigeſimus qvintus ſupra milleſimum & qvingenteſimum, qvo Moneta Malmogienſium aliqvantum ſive penitus ſilere cœpit: Anno qvippe inſeqventi Malmogienſes, immunitatibus urbis qvidem ſervatis, ſeſe *Chriſtiano III.* regnorum habenas capeſſenti, dedere coacti ſunt, qvi poſt regna Septentrionis noſtri ad obſeqvium hoc anno redacta, rem monetariam novo Ordini novisq; legibus ſubjecit, adeò ut civitates ſub Rege eodem paulatim à moneta cudenda abſtinuerint, qvòd illarum numi probitati monetæ Regiæ, qvam Rex ab ipſis deſiderabat, reſpondere non poſſent. Præterea numi Malmogienſium juniores, qvantum ſcimus, non dantur, vero itaq; conſentaneum videtur Monetam Malmogiæ circa hæc tempora omnino eviluiſſe.

14. *g.* ✝ MO. CHRISTERNI DAN. SVE. NOR. REGIS. *Tres Leones in ſcuto coronato, & æra Chriſtiana - 35.*
IMMERITI CARCERIS APUD HOLSAT. A. 3. *Effigies Regis ſolio inſidentis.*

Numus qvoq; Comitis Oldenburgici eſſe cenſetur, qvi Propugnator ſtrenuus Regis Captivi *Chriſtierni II.* exſtitit, ob immeritam Regis in carcere Synderburgenſi Alſiæ detentionem anno 1535. ita percuſſus, fortaſſis ex argento cenſuali, qvod anno eodem, die Fabiani & Sebaſtiani, Ringſtadii in communi foro à ſubditis Sialandia exegit militiq; ſuo in mercedem diſtribuit. Varia datur numi averſæ interpretatio. Aut enim legendum fuerit: IMMERITI CARCERIS APUD HOLSAT. A. 3. h. e. aſſes tres, aut A. 3, ut ſignificet annis tribus vel annô tertiô, id qvod rectius nobis videtur, erat qvippe annus 1535., qvo cuſi ſunt numi Regis *Chriſtierni*, in cuſtodia tertius, utpote, qvi 1532. d. 26. Julii Sönderburgi illam ingreſſus fuit. Hinc anno 1549. d. 13. Februarii evolutis annis XVI. & 7. menſibus Calundeburgum in Sialandia translatus & cuſtodiæ multò laxiori potioreq; conditione traditur, anno 1559. die 22. Januarii ibidem in fata conceſſit.

No. 15. *h.* CRISTERNVS HERES NORVE. *Insignia Oldenburgica in scuto interiori, exteriùs Crux Dannebrogica ad oram usq; pertransit.*
℔ MONETA NOVA ASLOENS. 1535. *Leo coronatus cum bipenni, insignia Norvagiæ.*

Numo hoc subditi in Norvagia Asloenses confessi sunt regnum Norvagicum esse hæreditarium *Christierni II.*

16. *h.* CHRISTIERN. D. GR. REX DACIE. *Effigies Regis integra, eodem habitu & positu, quo antea.*
MONETA NOVA MALMOE. *Insignia Daniæ, tres illi Leones in clypeo coronato.*

17. *h.* CHRISTIRN. D. GR. REX DACI. *Effigies Regis memorata.*
MONETA NOVA MALMOE. *Tres item Leones.*

Numus est cæteris ejusdem magnitudinis spissior ideoq; valdè singularis, & rarus, quem 24. annos *Joh. Mulenius*, vir in conquirendis numis patriis quondam studiosissimus, se ambivisse etiam fatetur. *Class. 3. ser. 2. num. 15. Numism. Danic.*

18. *h.* CHRISTIERN DE GR REX DACIE. *Rex eodem positu, quo in prioribus.*
MONETA NOVA MALMOG. *Iidem tres Leones, in scuto coronato.*

19. *h.* CHRISTIEN DE GR REX DACIE. *Eadem icon.*
MONETA NOVA MALMOG. *Eadem insignia Danica.*

20. *h.* CHRTIERN DE GR REX DACIE. *Effigies integra Regis, ejusdem typi, qui in cæteris apparet.*
MONETA NOVA MALMOG. *Tres Leones, in scuto coronato.*

Numus est purioris argenti, crassus, ejusdem quidem cum cæteris magnitudinis, ob crassitiem verò longè rarior, quem, *Christophoro* Comite Oldenburgico & Lubecensibus curantibus, in Regis gratiam Malmogiæ prodiisse Antiqvarii nostrates perhibent, aureum Lubecensem qui tunc æqvabat.

21. *h.* CRISTIRN D. GR REX DACI. *Effigies Regis eodem positu.*
MONETA NOVA MALMOG. *Tres Leones, in scuto coronato.*

Numus itidem, qui inter rariores censetur, crassior, & argenti melioris, bonitate qvippe aliqvantulum cedens proximè nominato.

22. *h.* CRISTER REX NORVEG. *Duplex scutum, interius Domûs Oldenburgicæ insignia continet, exterius â Cruce Dannebrogica, cujus singulæ extremitates parvulâ transversâ secantur, qvadrifariam dividitur.*
MONETA. NO. ARGEN: ASLOEN. *Leo cum bipenni, insignia Norvagiæ, in scuto.*

23. *h. Idem numus, nisi qvòd imperitus moneta sculptor pro REX exaraverit RES.*

NUMI TRUNCATI.

No. 24. *Numus, Danicè* Klipping/ *cujus ab antica parte Regis effigies apparet. A poſtica Tres Leones.*

Numisma eſt truncum, noſtratibus inde Klipping dictum, & plus juſtò æroſum, de qvo *Hvitfeldius* méminit pag. 1137. circa annum 1519, qvo numos tales cuſos certò colligimus. Ejusdem formæ antea procuſos fuiſſe numos vero conſentaneum Antiqvarii noſtrates cenſent, qvemadmodum ad numos argenteos *Chriſtierni I.* truncos, hic diximus; Sed ut *Chriſtiernus II.* odia aliqvantum ſedaret, monetam iſtius ſpeciei probam, qvæ hic proximè ſubſeqvitur, in Norvagiam redux & regna ſua recuperaturus anno 1531. ſubſtituit. Et qvamvis numi prædicti, qvi vili materia erant, abrogati fuerint, qvemadmodum *Dyckmannus de monetis Svec. obſerv.* 23. memorat numos hos ſeu Klippingos in oppido Hedemora anno 1521. cuſos, Regis *Chriſtierni II.* haud diſſimiles, ejusdemq; valoris & ponderis cum Chriſtiernicis Danicis in Comitiis Sudercöpingenſibus anno 1523. rejectos eſſe, qvòd etiam priùs in Dania abrogati eſſent, tamen hæc non perſtiterunt diu, ut etiam *Chriſtiernus III.* Filiusq; ipſius *Fridericus II.* perrexerint numos qvadratos & obliqvos in marcis ſingulis, marcis binis & dimidiis marcis &c. ſecundùm bonitatem internam & externam procudere, cujus teſtes edicta ſevera Regum eorundem, ad numos tales infrà laudata, erunt.

25. *Numus inæqvalis figuræ, & ferè ſexangularis, optimi argenti & typi pro iis temporibus perelegantis, craſſiuſculus itidem, cujus in altero latere conſpicitur litera* C *coronatum, Regium nomen indicans, in poſtico autem Leo cum bipenni in ſcuto, & ſupra ſcutum annus Æræ Chriſtianæ* 1531. Magnitudinem habet numis ſemuncialibus Hiſpanicis parem.

26. *Numus oblongus, truncatus, & figura planæ ſingularis, craſſiuſculus etiam & metalli purioris. Anticum latus has literas retinuit partim integras:*

CHRISTIERN DE. GR. RE ꝛCIE. *Rex trabeatus, coronam capite geſtans, dextrâ verò ſceptrum, & ſiniſtrâ globum, cum inſignibus Oldenburgicis in clypeo inter pedes.*

In poſtico hæc videas:

MONETA NOVA MALMOG. *Tres præterea Leones in ſcuto coronato, ponè qvod Crux exſeritur.*

NUMI MINORES.

No. 27. *i.* CHRISTIERN. D. G. R. DAC. *In medio* C *coronatum.*

Ex alterâ parte:

Crux Dannebrogica ſcutum ad oram numi usq; pertranſiens.

28. *i.* CRISTIERN. D. G. REX. *C coronatum.*
MON. MALMOI. 1513. *Scutum à Cruce Dannebrogica qvadrifariam diviſum.*

No. 29. *i.* CRISTIANI DIE GRA REX: NORV. *Leo cum bipenni in ſcuto, à cujus utroq; latere numerus ternarius conſpicitur, indicans annum Chriſti trigeſimum tertium ſupra milleſimum qvingenteſimum.*

MONE NOVA BERGENSIS* *C. coronatum.*

30. *i.* CRISSTERNOS REX. *C. figurâ veteri monaſticâ.*

MONETA STO' HOL' *Scutum cum tribus coronis, & cruce extra ſcutum ad oram numi pertingente.*

NUMI EPISCOPALES.

No. 31. *b.* ✠ SANCTVS OLAWS* R'* NORVEG* 1518. *Scutum, in qvo crux, utrinq; ſecurim Norvagicam habens.*

ERICVS DEI* GRA ARCEP'S NID'SEN. *Inſignia ejusdem Archiepiſcopi gentilitia, Walckendorffiana ſcilicet, tres alæ & in medio roſa, in ſcuto, pone qvod crux prominet.*

32. *b.* S. OLAVS R.' NORVEGIE. *Effigies Regis cum bipenni.*

In poſtico:

ERICVS DEI GR. ARCEP. NIDSEN. *Inſignia Familiæ Walkendorfianæ.*

33. *b.* ✠ SANCTVS* OLAWS* R'* NORVEG'* 1519. *Scutum idem, cum ſecuribus & cruce.*

ERICVS DEI GRA ARC'EP'S NIDSEN. *Inſignia eadem gentilitia.*

34. *b.* ✠ SANCTVS⁘ OLAWS⁘ REX⁘ NORVEG'⁘ *Clypeus, in qvo apparet crux, utrinq; ſecuris Norvagica.*

ERICVS DEI⁘ GRA' ARC'EPS NID'SEN. *Inſignia ſæpius memorata.*

35. *b.* SANCTVS* OLAWS* REX* NORVEGIE ✠ *Idem ſcutum cum ſecuribus & cruce.*

ERICVS WALKEND'PS. ARC'. *Scutum cum Inſignibus Archiepiſcopi, qvod ambit circulus, à cruce qvadrifariam ſectus.*

Numus hic eſt major aliqvantùm cæteris, metalli etiam, qvàm minores Epiſcopales, melioris.

36. *Numulus bracteatus, cum inſignibus Valckendorfianis, absq; inſcribtione vel literis.*

Numismata hæc ſunt Archiepiſcopi Nidroſienſis, Magiſtri Erici, qvi loco nobili Valckendorffiorum prognatus, Apoſtolicæ ſedis Legatus fuit in Norvagia etiam vigilantiſſimus & vir multis ac magnis regni negotiis, qvemadmodum ad numum hîc numerô primum diximus, adhibitus Regiq; *Johanni* I. imprimis verò *Chriſtierno* II., ſub qvibus, anno 1512. electus, ſedit, inde perqvam carus eſt factus, ſed poſtea Regi huic certa de cauſa inviſus, in exilium abiit & Romæ exul mortuus eſt anno 1521. Ex ſerie numorum tanta ſatis percipimus, qvantum Archiepiſcopo eidem,

ad

ad gubernacula eccleſiarum in Norvagia ſedenti, fuerit curæ res numaria, ut etiam in exilio numis, qvi ſubſeqvuntur, jus ſuum illuſtrare conatus ſit.

No. 37. *b.* S. OLAWS. REX. NORVEGIE. *Regis ejusdem effigies integra, trabeata & coronata, cujus caput nimbo præterea circumdatum eſt, gerit manu dextrâ ſecurim, ſiniſtrâ globum, draconem humana qvaſi facie & coronatum pedibus calcans.*

ERICVS WALKENDORP. AR. EP. *N.* — *Eadem Inſignia Walkendorfiana.*

38. *b.* S. OLAWS. REX. NORWEGIE. *Regia eadem Effigies S. Olai, ſimilis planè priori.*

ERICVS WALKENDORP ARPS°N. *Inſignia Archiepiſcopi.*

39. *b.* S. OLAWS* R'* NORWEGIE — *S. Olai effigies eadem.*

ERIC WALKEND. A. N. *Inſignia eadem.*

Exortâ inter Regem regnorum Septentrionalium, *Chriſtiernum* II. & Archiepiſcopum hunc ſimultate magna, Præſul idem navi conſcenſa in Belgiam anno 1521. abiit, hinc anno eodem Romam tetendit, tutelam Pontificis Romani imploraturus. Numi itaq; hi contra *Chriſtiernum* II. non in Norvagia videntur eſſe cuſi, qvorum formaturæ ex incude peregrina prognatæ cenſentur: Auſus enim vix eſt Archi-Antiſtes hic, auxiliis Pontificis Romani deſtitutus, hos numorum fœtus ex incude indigena producere contra Regem vindicem.

40. *b.* ✠ SANCTUS OLAWS REX NORVGE. *Duæ ſecures cum Cruce.*

OLAWS DEI GR. ARCEP. NIDSEN. *Inſignia Archiepiſcopi, tria nempe lilia, in qvorum medio roſa, qvæ Lungorum ſunt.*

41. *b.* ✠ SANCTVS OLAWS REX NORVGE. *Eadem ſecures cum Cruce.*

OLAWS DEI GRA ARCEP. NIDSEN. *Eadem Archiepiſcopi Inſignia.*

42. *b.* ✠ SANCTVS: OLAWS: REX: NORVEG. *Secures duæ, in qvarum medio crux, ut in ſuperioribus.*

OLAWS DEI GRA ARCEP' NID'SEN. *Inſignia Lungorum cum Cruce.*

43. *g.* OLAW·S RE. NO. Olaus S. Rex *ſedens in throno arcuato dextra ſecurim Norvagicam tenens & ſiniſtrâ orbem cum cruce. Caput ipſi nimbo circumdato eſt coronatum & barba inferior rotunda, pedibus calcat Draconem, humano capite qvaſi inſignitum & regiè coronatum, qvemadmodum etiam fit in numis Archiepiſcopi Erici Walckendorffii jam jam allatis.*

OLAWS D. G. AR. NID. *Scutum in cruce liliata, numum totum tranſeunte, cui inſerta ſunt inſignia in qvadrum diſtincta. Primò Norvagiæ, crux cum binis ſecuribus. Secundò inſignia Lungorum familiæ. Tria lilia in triangulo ob roſam interiorem hærentia. Tertiò eadem inſignia Lungorum. Qvartò inſignia Norvagiæ repetita.*

Nidro-

Nidroſienſis Archiepiſcopi, *Olai Engelberti* è proſapia Lungorum, qvorum anteſignanus dicitur à Rege *Chriſtierno I.* nobilitatus, numismata ſunt, horum ultimum non è proletariis, ſed valde rarum eſt. Eosdem numos qvidam ad *Olaum* Archiepiſcopum, qvi anno 1477. ſedit, trahunt, ſed vix tum Præſulibus Eccleſiarum Boreæ noſtri numos ſuos inſignibus gentilitiis ſignare in more poſitum fuit, multo minus partitio illa inſignium inter familias nobiles, prout in numo hic ultimo, convenit ſeculo 15. & anno prædicto, in Septentrione noſtro. Unde rectiùs judicaverimus hos numos omnes ad Olaum Engelberti pertinere. Ulterius Nidroſienſem eumq; Lungiæ familiæ fuiſſe inſignia indicant, anno 1523. electum. Et qvoniam ſemper à partibus *Chriſtierni II.* ſtetit, homagium *Chriſtiano III.* Regi Daniæ electo denegavit, moxq; Ao. 1537. qvatuor navibus onuſtis portu Nidroſienſi ſolvit & exul in Belgiam confugit, tandem Liræ mortuus 1538. Videtur itaq; numisma, qvod hic eſt ultimum, in illis oris peregrinis cuſum apud Belgas contra *Chriſtianum III.* regimini Danico adſcitum. Ad exemplum anteceſſoris ſui, *Erici Valckendorfii*, in numo hoc Draconem facie humanâ & coronatum *Olao* Sancto, Patrono Eccleſiarum Nidroſienſium, pedibus calcandum præbuit.

REGIS FRIDERICI I.

NUMI MAJORES.

No. 1. *g.* FRIDERICVS ⁘ D: HOLSACIE° *Imago Ducis cataphracta, dextrâ gladium geſtantis, cum folio urticæ in clypeo inter genua.*

† ⁘ MONETA ⁘ NOVA ⁘ SLESVICENSIS ⁘ *Inſignia Ducatûs Slesvicenſis, duo ſcilicet Leones in clypeo, cujus dextrum latus lineola transverſa, ſiniſtrum circellus claudit, ſupra verò clypeum numeri 12. leguntur, annum Chriſtianum 1512. indicantes.*

Monetæ Slesvicenſis ſeu potius Slesvigenſis veſtigia ulterius retrò legere in hiſtoria patria contingere nobis haud potuit, qvàm ad Regis *Erici Glippingi* tempora & annum 1286. Ex antapocha enim Valdemari Ducis Slesvigenſis, ſeu Jutiæ Auſtralis, qvam Regi eidem in concilio Neoburgenſi, in Fionia anno eodem habito, dedit, conſtat, Ducem hunc nullam Slesvigæ procudere debuiſſe monetam, niſi Regis ejusdem nomine & titulo percuſſam, de qvibus vide *Joh. Iſac. Pontani hiſtor. rerum Dan. lib. VII. pag. 373.* Numisma ergo Regium hic antiqvius fuiſſe exercitum planè non dubitamus, cùm de eo ſub judicibus litem tunc fuiſſe percipiamus, omnia qvippe ſic Rex jure voluit procuſa. Præterea Epiſcopatum Slesvigenſem omnium aqvilonarium eſſe antiqviſſimum utpote circa annum 850. fundatum antiqvæ ſchedulæ, qvæ apud *J. A. Cypræum* exſtabant, diſertis verbis teſtantur, *Hiſtor.* ipſius *Eccl. Slesvic. & Holſatiæ cap.* III. *pag.* 19., qvibus citerioris ævi hiſtoriographi aſſentiuntur omnes. Itaq; ſatis antiqvam inter Septentrionales Slesvigenſem fuiſſe monetam vero non eſt abſimile, nec longe poſt penitus exſtirpatas idololatrias & bene conſtitutos Epiſcopatus in Dania monetæ officinæ ubiq; fuêre, qvemadmodum

per omnes provincias Daniæ factum esse evicimus. Facilis qvoq; *Ericus Glippingius* antecessoresq; ipsius in Septentrione nostro potentissimi in urbium desideria fuêre, ex qvarum officinis numismata qvàm plurima prodiêre, partim episcopalia, nam plerumq; Reges Episcopis partem in fructibus monetæ suæ concesserunt, ut de moneta Lundensi in Scania observavimus, qvæ omnia tamen sub auspicio monetæ Domini tituliq; ipsius certa lege procusa esse exinde colligimus, qvemadmodum indultu Regis *Friderici* I., tunc qvidem Ducis Slesvigæ & Holsatiæ, moneta nova hîc anno 1512. ex incude Slesvigensi prodiit. Et si fides annalibus Angliæ antiqvis, qvos *H. Spelmannus in Archæologia pag.* 242. laudat, adhibenda sit, qvod à Germanis Daniæ vicinis & Angliam occupantibus, (qvi nulli nisi Anglo-Saxones esse poterunt, *Spelmanno* eidem ab orientali illinc situ **Esterlings** appellati) ars purgandi, flandi & feriundi argenti primùm illuc pervenerit, monetam sanè Slesvigensem Septentrionalium antiqvissimam asseruerimus: In confesso qvoq; est Slesvigam, qvæ nomen suum à Slia fluvio sinuq; ibidem maris rectiùs **Wig**/ qvàm **Wick** dicto, qvemadmodum **Sleeſwig** & non **Sleswick** adhuc scribitur, nomen sortita & *J. A. Cypræo Hist. Eccl. Slesv. & Holsat*: *urbs olim ditissima & populosissima* est, Danis proximam esse & Danorum imperio à primordio Regni Daniæ fuisse subjectam, prout laudatus *Cypræus pag.* 55. observat. Nec Esterlingis, *qvi Waræo in Antiq. Hybern. cap.* 25. Ostmanni & *Cambdeno* Austmanni à situ item illis ortivo dicti sunt, ars numos cudendi innotuit, Hyberniam anno 937. sibi subjicientibus, ectypon enim talis numi Waræus ibidem monstrat. Præterea qvoq; patet ex Autore vitæ S. Eligii, qvem *Duschesne tom.* I. *p.* 628. citat, Galliam sub Rege Dagoberto anno 622. ex Saxonum gente suos habuisse monetarios probatissimos, qvi *Eloy* & *Thille* illic appellantur.

No. 2. *f.* MO. ARGE. FREDERI. DV. HOLT. *Insignia integra Ducis Holsatiæ qvadripartita, in qvorum medio clypeus cum trabibus Oldenburgicis.*

† DILEXIT: DNS: ANDREAM. 1514. *Effigies Andreæ, capite nimbô sanctitatis circumdato, dextrâ librum, sinistrâ crucem tenens, infrà insignia Oldenburgica*—.

FRIDERICI I. non tantùm Ducis Slesvigæ & Holsatiæ, sed etiam postea Regis Daniæ & Norvagiæ numos Vendalicis, qvi qvatuor fuerunt urbium, exstitisse ἰσοταλάντους, ex promissis, Senatui Regni Daniæ anno 1523. datis, liqvidò constat: Verba enim *Hvitfeldii* vernacula *Chron. Dan. pag.* 1201. hæc sunt: **Mynten ville vi giøre eens og lig ved vores Mynt/ og udi de Vendiſke Stæder.** Nulli itaq; dubitamus numum hunc, qvi, duos unciæ trientes haud excedens, probi argenti & anno 1514. cusus est, æqvasse marcam qvatuor urbium Vendalicarum, qvam ad peculiarem statum civitates eædem anno 1506. redegerunt numismatiq; exinde tali STATVS MARCE LVB'CE', uti memoravimus ad numos *Johannis* I. No. 4. 5. &c., inscribi ideò curarunt: paris qvippe ponderis & bonitatis est numus noster. Semisses item talis marcæ anno eodem Hamburgi procusos in Musèo hoc superesse vidimus, qvorum ab antica inscriptio hæc datur: MONETA. NOV. HAMBVRGEN. Area numi imagine Virginis

ginis Deiparæ Sanctæ Mariæ, nimbo qvæ tota est circumdata, insignita est, ad cujus pedes insignia Hamburgensia, urticæ clavatæ folio exornata, exstant; A postica verò exaratum SEMIS. MARCE. LVBECENSIS 1506. & trium urbium Vendalicarum, Lubecæ, Lunæburgi & Vismariæ insignia sibi invicem in scutis oppositа, qvorum intermedium urticæ folium clavatum occupat in scutulo. Patronus præterea loci, in qvo numus hic est percussus, in aversa numi additur, cùm & civitates singulæ, ut communis erat istius ævi superstitio, certum qvendam è Sanctis seu cœlitibus elegerint, cui cœtum suum, tanqvam Numini tutelari, offerrent, qvemadmodum in numis urbium qvarundam antiqvis adhuc videmus.

No. 3. *e.* FREDERICVS DEI GRA. SLESVICEN. ET HOLSAC. DUX. *Imago Ducis mitrati & paludati.*

MONETA. NOVA. ARGENTA. HUSEMEN. 1522. *Integra Holsatiæ & Slesvigæ Ducatuum insignia.*

Numisma est, qvod prodiit in Ducatu Slesvigensi ex vico Husem, qvi anno 1665 *Antonio Heimreich* Nord-Fresische Chronick pag. 284. ante annos tunc 200. fuit pagus perqvam populosus, nec dum, numo hoc cuso, civitatis jure dotatus, qvo tandem anno 1603. est gavisus. Numus itaq; tantæ magnitudinis & uncialis ponderis eò est rarior, qvò humiliori prognatus locò.

4. *e.* FRIDERICVS ET SOPHIA D. G. REX ET REGINA DANIE. *Regis & Reginæ icones coronatæ, se invicem aspicientes.*

℞ IN MANV DOMINI OMNIS POTESTAS TERRE. 1532. *In medio numi parvulus qvidam insignia Domûs Oldenburgicæ, bis plena, supportat in scuto qvadripartito, tres clypeos coronatos, cruce Dannebrogica, tribus Daniæ leonibus & bipennifero Norvagiæ leone insignitos supra se habens. In clypeis qvatuor ab utroq; parvuli latere inferioribus bini Leones Juttiam australem seu Ducatum Slesvigæ, Draco Sclaviam, Piscis Islandiam & Cygnus Stormariam denotant.*

Numi hi No. 3. & 4. unciales sub nomine Thaleri tunc sunt procusi ad exemplum ejus, qvi ex valle Joachimica Bohemiæ anno 1519. prodiit, à valle hac, qvæ Jochims Thal vocatur, Jochims Thaler denominatus, postea verò absolutè Thaler dictus, qvo nomine omnes Reges ac Principes ad hodiernos usq; dies eum procudi fecerunt. Ejusdem typi, qvi numero hic est qvartus, ex auro etiam datur numus inter aureos suò locò etiam describtus.

5. *e.* FRIDERICVS REX DACI. NOR. *Rex trabeatus solio insidens regio, dextrâ gladium, sinistrâ pomum aureum cruce insignitum tenens.*

MONETA. NOVA RIPENSIS. *Integra regnorum insignia.*

Numus est argenteus, singularis tunc magnitudinis & pondere duos unciæ trientes vix excedens, fortean ad exemplum marcæ prædictarum qvatvor urbium Vendalicarum, de qva ad numum hic No. 2. Aureus qvoq; datur, qvem antea inter numos aureos describtum suo locò videbis.

Primus hic eſt, qvem vidimus NOVA MONETA Ripis prodeuntem, antiqvâ monetâ, qvæ ſub Regibus priſcis inde à Rege *Chriſtophoro* I. anno 1252. & anno 1326. ſub Rege *Chriſtophoro* II., teſte *Hvitfeldio*, *Chron. Dan. fol.* 434., qvemadmodum ad numos aureos *Friderici* I. No. 2. & 3. TAB. I. hujus Sectionis partim meminimus, ibi minori formaturâ viguit, uti cenſemus, nunc abrogatâ, cùm ibi ante ſub Regibus proſapiæ Oldenburgicæ, prout in aliis Regni emporiis Nova gliſcebat Moneta, qvàm Rege *Friderico* I. regnorum habenas capeſſente, Monetæ Novæ, qvòd ſciamus, nullum exſtet veſtigium. Vires itaq; Novam Monetam, Rege *Friderico* I. ibi tunc ſumſiſſe, eſt qvòd credamus, ſingulari qvippe gratiâ Rex idem hanc Phunduſiorum urbem, qvæ fida ipſi ſemper præſtitit ſervitia, complexus eſt, immunitatibusq; exinde, ut diplomata diverſa Regis ejusdem, urbi huic gratioſè oblata, atteſtantur, dotavit, adeò ut etiam, Rege hoc electo, aureos ſuo nomine numos procudere civitati eidem licuerit, qvod nulli alii civitatum Daniæ ac Norvagiæ contigit, qvarum Monetæ Novæ anno hoc ſeqventiq; Havniæ in Sialandia, Nyburgi in Fionia, Aleburgi in Jutia, Croniæ ſeu Landscroniæ & Malmogiæ in Scania, Rotebyæ ſeu Rothneby in Bleckingia, Aslojæ vel Ansloyæ & Bergis in Norvagia, Wisbyæ item in Gothlandia tantum argenteæ ex incude ipſarum, veluti ex eqvo Trajano, ingenti ſerie prodierunt. Numi ſeqventes hujus rei ſunt teſtes, qvi annis ſubſeqventibus adeò freqventes hic non inveniuntur cuſi.

No. 6. *g.* FREDERICVS. ELECTVS. REX DAC'E. *Imago Regia, cataphracta, gladium dextrâ tenens, ſupra genua inſignia Holſatiæ, urticæ folium ſcilicet clavatum.*

DEO DUC. MILITE. TRIUMPHANT. 23. *Tres Leones in ſcuto, pone qvod crux utrinq; usq; ad oram numi prominet.*

Numus hic anno 1523. cuſus eſt, qvo Rex *Fridericus I.* rerum in Dania potitus eſt, & Havnia Malmogiaq; conditione æqvâ poteſtati illius ſubjectæ ſunt, *Deo Duce & Milite triumfante.*

7. *g.* FREDERIC: D: G: DVX HOLSACIE : *Effigies Regia cataphracta, inter genua habens clypeum cum folio urticæ.*

† MONETA: NOVA: SLESWICENS. *Scutum cum inſignibus Slesvicenſibus, duobus Leonibus, ſupra ſcutum verò 25.*

Argenti purioris eſt, & probè conſervatus.

8. *g.* FRIDERIC. D. G. DVX. HOLSACIE. *Effigies cataphracta Regis, dextrâ gladium geſtantis, cum folio urticæ, in clypeo inter genua.*

MONETA NOVA SLESVICENSIS. *Duo Leones, inſignia Slesvigæ. 26.*

Numus optimi argenti.

9. *g.* FREDERIC. D. G. DVX HOLSACI. *Imago Regia, cataphracta, ad genua usq; exſtans, infrà folium urticæ in ſcuto.*

MONETA NOVA SLESVICENSIS. *Inſignia Holſatiæ. 27.*

No. 10. *g.* FREDERICVS. REX. DACIE. *Insignia Oldenburgica, cum corona.*
MONE. NOVA. HAFNENS. *Tres Leones in scuto, supra scutum* 28. *ex utroq; latere* ✠

11. *f.* FRIDERICVS. D. G. REX° DANIE ET NOR. *Effigies coronati Regis.* 1532.
MONE. NOVA HAFNIENSIS. *Tres Leones in scuto coronato.*

12. *f.* FRIDERIC. D. G. REX DA. E. N. *Rex solio insidens, coronatus, inter pedes insignia Oldenburgica.*
✠ MONETA NOVA HAFNIENSIS. 32. *Insignia Daniæ, tres qvæ sunt Leones, in clypeo coronato.*

13. *g.* FRIDERIC. D. G. REX. DA. E. NO. *Eadem Regis effigies.*
✠ MONETA NOVA HAFNIENSIS. 32. *Tres Leones in scuto coronato.*

Numisma est urbis Havnienſis, qvæ à portu insigni primùm HAFFN, postea verò ab affluentibus mercibus Kiøbenhavn dicta, sed ut exteris urbibusq; Vendalicis moneta melius, cujus urbis esset, innotesceret, sculptor typi Germanicè in aversa numi hic exaravit: MONETA NOVA KOPHAGEN, aliàs etiam KOPENHAGEN. Numi enim hi pari passu & valore cum numismatis urbium Vendalicarum, utpote qvi jussu Regio, ut antea probavimus, deberent esse Vendalicis ἰσότιμοι, ambulabant. Variis emporium hoc castellumq; ipsius crevit nominibus, de qvibus vide qvæ ad numum argenteum *Johannis* I. No. hic 3. attulimus. Præterea insignium urbis Havniæ prima ornamenta Lunula, hic incuriâ, ut credimus, sculptoris decrescens, qvam sibi crescentem cum felici stellula urbs hæc ejusq; incolæ exoptavêre, addita sunt, in fauſtum omen numiq; characterem: qvippe eodem tempore, qvô numus hic est percussus, in vetustis sigillis ejusdem urbis, qvæ nobis in *Describtione Insulæ Samsoæ* seu Sami Balthicæ *P. Resenius* ab anno 1429. usq; ad annum 1572. &c. depromsit, lunam crescentem habebis omnino expressam.

14. *g.* FRIDERIC. D. G. DVX: HOLSACIE: *Effigies Regis cataphracta, inter genua urticæ folium in scuto.*
✠ MONETA: NOVA: SLESVICENSIS. *Tres Leones in clypeo,* 1533.

15. *g.* FREDERICVS. D. G. REX DA. Z. N. *Solio insidentis Regis effigies.*
MONETA NOVA MALMOGENSIS. *Tres Leones.*

NUMI MEDIOCRIS MODULI.

No. 16. *i.* FREDERIC9 ELECT9 REX DACIE. *Effigies Regis cataphracta, cum insignibus Oldenburgicis inter pedes.*
MONE. NOVA RIPENSIS. 1524. *Tres Leones in clypeo coronato.*

No. 17. *i.* FREDE. D: G: REX DACIE HERES NOR. *Eadem inſignia Oldenb.*

MONE. NOVA RIPENSIS. 1524. *Tres Leones in ſcuto, pone quod crux eminet utrinq;.*

18. *i.* FREDERICVS REX DACI. 1524. *Inſignia Oldenburgica.*
MONETA. NOVA RIPENSIS. *Tres Leones.*

19. *i.* FREDERICVS REX DACIE. *Inſignia Oldenburgica.*
MONETA NOVI MALMO. 1524. *Tres Leones.*

20. *i.* FREDERICVS D. G. REX DACI. *Inſignia Oldenburgica.*
MONETA NOVA KOPHAGEN. 24. ✠ *Tres Leones, Daniæ inſignia.*

21. *i.* FREDERICVS REX DACI. *Inſignia Oldenburgica, cum cruce Dannebrogica.*
MONE. NOVA. HAFNENS. 24. *Tres Leones in ſcuto, ſupra ſcutum* ✠

22. *i.* FREDERICVS. D. G. REX. DACI. *Inſignia Oldenburgica in ſcuto, cum* ✠ *à dextro & * à ſiniſtro latere, ſupra ſcutum verò numeri 24.*
MONE. NOVA. KOPE.HAGEN. *Tres Leones, cum Cruce Dannebrogica pone ſcutum.*

23. *i.* FREDERICVS REX DACI. *Inſignia Oldenburgica, cum corona & cruce Dannebrogica.*
MONE. NOVA. KOPHAGEN 24. *Tres Leones, & ſupra ſcutum* ✠

24. *i.* FREDERICVS: REX DACI. *Inſignia Domûs Oldenburgica.*
MONE. NOVA. HAFNENS. *Tres Leones in ſcuto, cum corona, inter quam & ſcutum numeri 24. ponuntur, à latere autem dextro* ✠ *& â ſiniſtro ſtellula.*

25. *i.* FREDERICVS REX DACIE 1524. *Inſignia Oldenburgica.*
✠ MONETA: NOVA: ALEBORG. *Tres Leones.*

26. *i.* FREDERICV. D. G. REX DACIE. *Inſignia Oldenburgica, cruce utrinq; prominente pone ſcutum coronatum.*
MONETA NOV. LANSKRON. 1524. *Tres Leones in clypeo, Daniæ inſignia.*

27. *i.* FREDERICV. REX DAC. 1524. *Inſignia Oldenburgica.*
MONETA NOV. LANDESKRON. *Tres Leones.*

28. *i.* FRIDERICVS E' REX DACIE. *Inſignia Oldenburgica in ſcuto coronato.*
MONETA NOVA LANSKRO. 1524. *Tres Leones.*

29. *i.* FREDERICV. D. G. REX DACIE. *Inſignia Oldenburgica.*
MONETA NOV. LANSKRO. 1525. *Tres Leones.*

De

De urbe Landscrone, Geographis noſtratibus Coronia dictâ, ejusq; incunabulis diximus ad ſigillum Fraternitatis S. Canuti Landescrone in Scania hic Part. 2. Sect. III. No. 95., numum hunc aliqvantum illuſtratura, qvô verò annô poteſtas numos cudendi eidem urbi obtigerit, non adeò ſatis nobis eſt conſpicuum, colligimus certò eidem urbi immunitatem hanc non multum temporis poſt jus civitatis à Rege *Erico Pomerano*, qvi urbis ejusdem anno 1413. magnus fuit Fundator, datum, gratioſè collatam fuiſſe. Voluit præterea Rex, ut urbs hæc emporio celebri Malmogiæ eſſet privilegiis par, ubi tempore Regis Chriſtophori Bavari moneta fuit ſatis præclarè exercita, cujus rei teſtis nobis erit *Hvitfeldius* noſtras *Chron. Dan. pag.* 644. qvemadmodum & urbs hæc nomen ſortita eſt maximè præcellens, qvæ regionis appellatur corona, adeò ut vero ſimile ſit eam omnibus, qvæ cuiqvam emporio competit, munitam fuiſſe immunitatibus.

No. 30. *i.* FREDERICVS REX DACIE. 1525. *Eadem inſignia Oldenb.*
✠ MONETA: NOVA: ALEBORG. *Tres Leones.*

31. *i.* FREDERICVS REX DACIE. *Eadem inſignia Oldenburgica.*
MONETA. NOVA ALBORGENS 1525. *Tres Leones.*

32. *i.* FREDERICVS. D. G. REX. D. *Clypeus geminus, interior inſignia Oldenburgica continet, exterior crucem Dannebrogicam, ad oram numi pertingentem, ſupra verò hos numeros 25.*
MONETA * NOVA * KOPHAGENS * *Tres Leones in ſcuto, ſine corona.*
Numus eſt craſſior, & purioris argenti.

33. *i.* FREDERICVS REX DACI. *Inſignia Oldenburgica, & crux memorata.*
MONE. NOVA. HAFNIENS. 1525. *Tres Leones in ſcuto, ſupra qvod ✠ apparent.*

34. *i.* FREDERICVS: D: G: REX: DACI * *Trabes Oldenburg. in ſcuto, ſine corona.*
MONETA NOVA MALM. 1. 5. 2. 5. *Scutum cum tribus Leonibus, coronâ & cruce.*

35. *i.* FREDERIC. D. G. REX DACIE. *Inſignia Oldenburgica.*
MONETA NO. MALM. 25. *Tres Leones.*

36. *i.* FREDERICVS ° DEI. GRA: R. DA. NOR * GI. *Inſignia Oldenburgica in clypeo interiori, exteriorem crux usq; ad oram numi utrinq; tranſit.*
MONETA NOVA ANSLOJENSIS. 1525. *Leo cum bipenni.*

37. *i.* FREDERICVS. DEI. GRA. REX. DA. NORGI. *Inſignia Oldenburgica & crux eodem modo, qvo ſupra.*
MONETA NOVA ANSLOJENSIS. 1525. *Inſignia eadem Norvagica.*

No. 38.

No. 38. *b.* † SEVERIN † ƆC † NORBIŦS *Ejusdem insignia.*
† AGNE DEI MISERERE MEI. *Agnus vexillifer, insigne Gothlandiæ.*

39. *b. Idem planè typus in numo crassо argenti purioris.*

Et qvamvis *Strelovius Chronic. Guthilandorum pag.* 16. circa annum mundi 2264. gentis ac familiæ insigne Amalonicæ fuisse ovem albam, Amalonicam dictam, in campo rubro & lilium ex tergo ejus exsurgens, qvod insigne Thielvarum Guthi, Insulæ eponymi filium toti insulæ commune feciſſe referat, qvod paulò immutatum, uti in numis hisce videmus; attamen qvia documenta nulla producit, nec aliqvo modo probatum hoc dedit, verba nobis tantùm dediſſe credimus. Ponamus, qvod asserit, superesse sigilla cum agno & lilio, aliqvot seculorum ætatem præferentia, num ideo ante Christum natum hæc insignia gentis Amalonicæ fuisse manifestum sit? Agnum interim in clypeo Gothlandiæ ab antiqvo gestatum fuisse, facilè concedimus, propter ovium ac agnorum eximiam copiam, qvi divitias insulæ ac provinciæ hujus hodienum etiam efficiunt, qvemadmodum Faeröenses insulas ab ovibus nomen statim sortitas fuisse novimus. Igitur insulæ Gothlandicæ hæc insignia data esse colligimus, qvòd ovium fœtura excellens insulam hanc illustret, vexillumq; illud locò lilii prædicti deinde fortè ab Ecclesiasticis agno additum, qvi Dei esse censebatur, & insignia fausiora, Regibus Septentrionis nostri, præsertim *Erico Pomerano*, cùm insulam illam teneret, Visburgumq; arcem ibi exædificaret, anno 1411. rata & grata. Insignia itaq; Gothlandiæ non tantam, ut calculum suum ponit *Strelovius*, sapiunt antiqvitatem, & multò minus moneta celeberrimæ urbis Visbyæ ibidem, qvæ primùm post Arconam, emporium in Rugia percelebre, à Rege *Waldemaro* I anno 1167. destructam, cœpit mercibus & mercatoribus confluentibus ita abundare, ut numis indigenis, in lucrum etiam suum, carere non voluerit, tantis deinde crescens opibus per mercaturam, ut æqviparari vix hodie possit alia. Nihil ideò est, qvòd emporii Visbyensis prima incrementa cum *Strelovio* ad annum Christi 897. referamus, aliàs *Adamus Bremenſis*, *Helmoldus* & post eos *Arnoldus* tam præclaram civitatem suis temporibus non omisissent, ut nominis alicujus non videatur hæc urbs fuisse ante seculum XII, qvo Henricus Leo, Dux Bavarorum & Saxonum anno 1159. septimo nempe Imperatoris Friderici Barbarossæ, diploma concessit, (qvod *P. Lambecius* in Orig & Histor. Hamburg. producit) ut Visbya jure civitatis ac emporii gaudere posset tali, qvale Avus Henrici Leonis, Lotharius Imperator cæteris Civitatibus donaverat. Et inde facilè colligitur urbem Visbyam in initiis tunc constitutam fuisse. Et qvamvis laudata privilegia Henrici Leonis nil dicant de moneta, eam tamen Rex Daniæ *Valdemarus* III. seu IV., Visbyensibus anno 1361. inter alia confirmat, qvemadmodum suam temporibus priscis, nostratibus **af Arilds Tid**/ uti verba diplomatis jacent, propriam usurpaverant, memorante *Hvitfeldio Chron. Dan. pag.* 524. & 525. Unde & inter antiqvissimos Septentrionis nostri numos meritò Visbyenses recensentur, qvamvis nulli his antiqviores sese nobis obtulerint. Numi sunt hi rariores, qvorum aversæ nomen Severini Norby ejusq; insignia gentilitia præ se ferunt. Eqves is fuit per-

perqvam ſtrenuus, Regis *Chriſtierni II.* Præfectus maris Danici, qvi nomine Regis Gothlandiam inq; ea urbem Visbyam & arcem Visburgum tenuit, indefeſſus Regis, poſtea exulis, terrâ mariq; vindex; At qvoniam obſidiis Visbya ejusq; arx hinc inde a Svecis & Lubecenſibus fuerunt afflictatæ, tandem Severinum ſpes ſua eſt fruſtrata, itaq; ſponte Gothlandiam totam Daniæ Regi *Friderico I.* Anno 1525. conceſſit, Præfectus Sölvitzburgi in Bleckingia factus, cujus tamen inſignia hîc numus No. 43. in Gothlandia anno 1526. cuſus exhibet poſt inſulam hanc Regi memorato traditam, id qvod ſingulare admodum, factum fortean, ut ſummam numariam, qvam militi ſuo ibi adhuc debebat, expleret. Curâ namq; tanti Viri monetam in Gothlandia exercitam fuiſſe hîc facilè colligitur, ut militibus ſuis, qvorum multas aluit cohortes, juſtum nomine ſuo erogaret ſtipendium. Plura de numis Gothlandicis & Severini Norby vide hîc ad numos No. 51. 52. & 53. Reperta qvoq; ad urbem Visbyam anno 1676. numismata variarum gentium, qvibus Muſeum Regium abundat, qvædam illorum cava ſunt, numis Henrici Leonis, à qvo civitas hæc immunitates ſuas adepta eſt, haud abſimilia, leone inſignita; Dantur præterea eodem tempore eruti numi merè Arabici, circa medium ſeculi IX, prout ex Symbolis Dynaſtarum patet, cuſi, ab Arabicis verò Græcisq; mercatoribus vix illuc allati, prout *Strelovius* laudatus nobis perſvadere annititur. Arabes enim & Aſiaticos ac Græcos mercatores ulto citroq; in ſeptentrionem ſuas merces attuliſſe ac mare Balthicum ingreſſos eſſe, nondum apud fide dignos autores legimus, eo qvi ſcribſerunt tempore. Tales itaq; numos peregrinos non ſolùm piraticâ, ſed etiam per mercatores ſeptentrionalium eò coïneantes olim acqviſitos ac conſervatos fuiſſe vero ſimile eſt. Pulcrè interim numos illos explicat *Dr. Janus Birckerodius*, Epiſcopus Aalburgenſis, in ſua *de priſcâ Septentrionalium mercaturâ Diſſertatione*. Numi ſunt argenti puri & perfecti, ejusdem typi numorum qvoq; magnus numerus Nidroſiæ haud ita pridem repertus eſt, qvi collati cum Gothlandicis iſtis ejusdem ſcribturæ, moduli ac incudis fuerunt, ut uno eodemq; tempore hos populos ſeptentrionales ut piraticæ ita qvoq; mercaturæ Græcæ & Arabicæ operam dediſſe concludere liceat. Obſervatu qvoq; dignum ex *Adamo Bremenſi* & *Snorronis Sturlæi Chronico*, omne illud iter majoribus noſtris aut Conſtantinopolim aut in Aſiam per mare Balthicum captum fuiſſe ita, ut primùm Ruſſiam appellerent, per Ruſſiam deinde Græciam ingrederentur, ex qva trajiciebant tandem in Aſiam & Africam. Accuratiſſimè *Chronic. Snorronis Sturlæi* hæc annotavit circa annum 1030. pag. 334: Hinc & regiones ſeptentrionales & Germania inferior promiſcuè omnes per Ruſſiam iter capiebant ad merces ex Africa vel Aſia transvehendas. Haud tamen negamus poſtea eos aliò modò & aliâ viâ iter ſuum inſtituiſſe, prout nunc in more poſitum eſt. Rectè itaq; annotavit *Strelovius* Ruſſis qvidem peculiarem eccleſiam inter Visbyenſes conceſſam, nam illi proxenetæ erant, qvorum officiò & Græcas & Africanas & Aſiaticas merces noſtri obtinebant, qvæ cauſa qvoq; fuit Hanſeaticis apud Ruſſos emporium ſuum conſtituendi, ut illi potius merces diſtraherent, qvàm ut Ruſſi deferrent & lucrum illud Balthicis eriperent, unde eſt qvòd *Crantzius* in ſua *Vandalia* nobiſcum miretur de Græcis.

No. 40. *i.* FREDERIC. D. G. REX. DACI. *Insignia Oldenburgica cum cruce ponè scutum utrinq; eminente.*
MONE. NOVA ROTE*BI. 25. *Tres Leones & supra idem scutum aliud minus cum insignibus* Severini Norby.

41. *i.* FREDERIC. D. G. REX DACIE. *Eadem insignia Oldenburgica in cruce.*
MONE. NOVA RADENBV. *Tres itidem Leones in scuto, cum insignibus Severini Norby supra scutum.*

42. *i.* FRIDERIC. D. G. REX DACI. *Eadem Insignia Oldenb. cum cruce.*
MONE. NOVA ROTENBI, 25. *Scutum, cum tribus Leonibus & parvo scuto insignia Severini Norby continente.*

Qvæ de Eqvite hoc Severino Norby, Regis *Christierni II.* strenuo vindice, cujus insignia gentilitia in numorum aversis apponuntur, diximus, videbis ad numismata Gothlandica hic numerò 38. & 39. allata, numos hos partim illustrantia. Tenebat is nomine Regis *Christierni II.*, jam exulis, Gothlandiam, qvam post varios conflictûs tandem sponte annò 1525. concessit Regi *Friderico I.*, ut per vitæ tempus fieret Sölvitzburgi Præfectus in Bleckingia, provinciâ ad austrum Scaniæ proximâ, & militi suo salarium residuum solveret, prout annalium monumenta patria nobis tradunt. Ex numis percipimus Severinum unà jure numos cudendi dotatum fuisse, & monetam in oppido ejusdem provinciæ Rotenbya exercuisse, fortè ex argento censuali, qvod Rex militibus Norbyensibus locô stipendii persolvere tenebatur, qvemadmodum insequens numus idem indicare videtur, anno 1526. qvamvis Visbyæ sit cusus.

43. *i* AGNE DEI MISERERE MEI. *Agnus idem cum vexillo.*
MONETA WISBEENSIS. *Insignia Severini Norbye. 26.*

44. *i.* FREDERIC. D. G. REX DACIE. *Insignia Oldenburgica, cum corona & cruce Dannebrogica.*
MONETA NO. MALM* 26. *Tres Leones in scuto.*

45. *i.* FREDERICVS REX DACIE. *Insignia Oldenburgica coronata.*
MONETA. NO. MAL. 28. *Tres Leones.*

46. *i.* FREDERIC. D: G: REX: DACIE. *Insignia Oldenburgica.*
MONETA. NOV MALM. 1525. *Tres Leones.*

47. *i.* FREDERICVS D. G. REX DACI. *Eadem Insignia.*
MONETA NO. MALM. 1528. *Tres Leones.*

48. *b.* FREDERICVS. DEI. GRA* REX. NORV. *Insignia Oldenburgica in clypeo interiori, exteriorem crux Dannebrogica utrinq; usq; ad oram numi pertransit.*
MONETA* NOVA* ANSLOJENSIS* * 1528. *Leo cum bipenni, in scuto.*

No. 49. *h.* FREDRIC. DEI. GRA. REX NORVEG. ♔ *Leo cum bipenni, in ſcuto, & ſupra ſcutum* 1.5.30.
MON NOV. BERGEN. *Tres Leones, in ſcuto coronato, pone qvod crux.*

NUMI MINORES.

No. 50. *k.* FREDERICVS DE. GR. REX D. *Trabes Oldenburgicæ in ſcuto, pone qvod crux.*
MONETA NOVA HAFNENSI' *Tres Leones in ſcuto*, 23.

51. *k.* AGNE: DEI: MISERERE: ME: *Agnus cum vexillo, inſignia Gothlandiæ.*
MONETA: WISBEENSIS: *Clypeus cum trabe duplici, & ad latera clypei hi numeri inverſi &c.*

52. *k.* AGNE: DEI: MI: MEI: ɔc: *Agnus vexillifer.*
MONETA. WISBWE: *Eadem inſignia, ſcil. trabes duæ exiliores in clypeo. Minor hic aliqvantùm eſt priore.*

Moneta hæc urbis Wisbyæ in Gothlandia eſt earum, qvas adhuc vidimus, primùm cuſa, uti ex inverſis numeris &c percipimus, anno 1523. Ejusdem fermè numi meminit *Strelovius Chronic. Guthiland. pag. 245*, anno eodem, at nomine Severini Norby circa agnum vexilliferum additò. Verba vernacula ſic ibi jacent: **Aar 1523. lod Søfren Norby ſlaa Pendinge/ paa den ene Side det Aaldenborgſke Vaaben/ og paa den anden Side et Lamb med hans Navn om.** Antiqviorem verò monetam in Gothlandia exſtitiſſe ex allatis ad numos hic No. 38. 39. & 40. &c. pateſcit. Urbs hæc eſt, qvæ in Gothlandia inde ab anno 1150., uti memimus, civitate præclarâ dotata, emporium poſtea exſtitit omnium gentium commerciis qvondam celebratiſſimum, leges enim urbs eadem tulit commerciis maritimis, æqvè atq; apud Rhodios olim factum, qvas Hollandiæ urbes obſervatu dignas adhuc æſtimant, atq; Wisbyæ primùm Tabulæ hydrographicæ diligenti nautarum obſervatione, relatu *Joh. Iſacii Pontani in Daniæ deſcribtione Chorographica pag.* 734., adnotatæ ſunt. Et reſtant ampliſſimæ hujus urbis ſtructuræ artificioſiſſimæ rudera foresq; ac feneſtræ ferreæ: Plateæ qvoqvè publicæ ibi crepidine olim obductæ fuêre, merces pariter ac mercatores ipſos ab injuria cœli facilè defendentes, qvæ omnia fortunam civitatis priorem ſatis indicant.

53. *l.* AGNE DEI MISERERE MEI. *Agnus vexillifer, & ante agnum hæc figura ✠, qvam calicem benedictum eſſe credibile eſt.*
MONETA CIVITATIS. *Lilii caulis, cujus folia & flores tam in ſummitate, qvàm à radice ſe explicant.*

Numus hic eſt præ cæteris exiguus, at puri argenti. Niſi Gothlandiæ inſignia cum inſcribtione ſolita nobis detexiſſent, cujusnam civitatis moneta hæc eſſet, nos planè latuiſſet, nec ullius ibi eſſe poterit, niſi urbis Visbyæ, cùm nulla ibi exſtiterit, præter qvàm illa commerciis qvondam percelebris. Itaq; ex incude civitatis ejusdem numum hunc prodiiſſe certò

colligimus, insignibus in aversa, ut putamus, ipsius urbis, caule nempe liligero, insignitum, addit enim *Strelovius in Chron. Guthiland.* Gentis Amalonicæ insigne in Gothlandia fuisse lilium, qvod hic caulescens & ubertim præflorens, urbis tunc florentissimæ memoriam inculcat. Absolutè Visbya hic in numi latere aversò civitas appellatur, omnium gentium commerciis post urbes Julinum in Usedomia & Arconam in Rugia famâ mercaturæ celebres à Rege Daniæ *Valdemaro I.* eversas, tunc celeberrima, qvemadmodum Roma καθ' ἐξοχὴν dicebatur **Urbs**, qvòd solito more condita esset. Sic & *Stephanius de urbibus:* Ἐλέγετο δὲ καθ' ἐξοχὴν πολις (Αλεξανδρεία) ὡς καὶ ἐπὶ Ρώμης λέγετο ἄστυ. Et urbem qvoq; *Virgilius Æneid 2.* civitatem dixit, prout in numo nostro fit.

No. 54. *k.* o AGNE DEI MISERERE MEI. *Agnus cum vexillo.*
ɔc SEVERINɔc NORBVI. *Insignia ejusdem viri.*

55. *k.* FREDERICVS REX DACI. 1525. *Insignia Oldenburgica.*
MON. NOV. RIPENSIS. *Tres Leones.*

56. *k.* FREDERICVS. D. G. REX DACI. *Insignia Domûs Oldenburgicæ.*
MO. NOV. ALEBORGEN. 1528. *Tres Leones.*

57. *k.* FREDERICVS D. G. REX DACI. 1528. *Eadem insignia.*
MONETA: NOVA: ALBORG. *Tres Leones.*

58. *k.* FREDERICVS REX DACI. 1528. *Insignia Oldenburgica.*
MON. NOV. RIPENSIS. *Tres Leones.*

59. *k.* FREDERICVS REX DACIE. 1528. *Eadem Insignia Oldenburgica.*
MONETA: NOVA: RIPENSIS ✠ *Tres Leones.*

60. *k.* FRED. D: G: REX DACIE o HERES NOR ✠ *Eadem insignia.*
MONE. NOVA. RIPENSIS. 1528. *Tres Leones in clypeo coronato.*

61. *k.* MONETA NOVA RIPENSIS 1528. *Tres Leones in scuto coronato.*
MONETA: NOVA: RIPENSIS. ✠ *Tres Leones in scuto, sine corona.*

62. FREDERIC9 EL'CT9 REX DACIE. *Regis effigies, infra qvam ad genua insignia Oldenburgica.*
MONE NOVA RIPENSIS. 1528. *Tres Leones in clypeo coronato, pone qvem crux utring; prodit.*

63. *k.* FRERIC. D. G. REX D. *Clypeus, qvem qvadrifariam secat crux ad oram numi pertransiens.*
MONET. NO. MAL. 28. *Litera Regii nominis F coronata.*
Numus crassiusculus.

64. *k.* FRERIC° D. G. REX D' *Similis clypeus priori, cruce exserta.*
MONE. NOVA KOPEH'.* *Eadem litera initialis nominis Regii, cum corona & lunula.*
Numus itidem crassiusculus.

No. 65. ℔. FREDRIC. DEI. GRA. REX. NORV. 1530. *Leo cum bipenni.*
MON. NOV. BERGEN. *Tres Leones in ſcuto coronato, pone qvod crux utringꝫ eminet.*

66. ℔. FREDRIC. DEI. GRA. REX. NOR. *Scutum coronatum, in qvo Leo cum bipenni.*
MON. NOVA BERGEN. *Trabes Oldenburgicæ in ſcuto, pone qvod crux prominet.*

67. ℔. FREDRIC. DEI. GRA. REX NORI. *Inſigne Norvagiæ, Leo cum bipenni.*
MON. NOV. BERGEN. *Inſignia Oldenburgica.*

68. ℔. FREDERIC. D. G. REX DAC. *Inſignia Oldenburgica.*
MONET. NOV AELBORG. *Tres Leones.*

69. ℔. FREDERICVS. R. DACIE. *Inſignia Domûs Oldenburgicæ.*
MONETA NOV. NIBORG. *Tres Leones in cruce.*

Diu qvidem & inde ab *Erico Pomerano*, regnorum Septentrionalium Rege, qvantum ſcimus, civitas Otthinienſis ſola in Fionia privilegium cudendi numos ſartum tenuit, donec ſub Rege *Friderico I.* etiam Nyborgenſibus jus illud dari cœpit. Nyburgum in Fionia eſt urbs in maritimis ad ſinum Balthicum eminens, cæterarum, ſi Otthiniam exceperis, ibi facilè princeps, ex qva communis in Sialandiam datur trajectus, ideoq; juſtæ munitionis vallo incincta eſt, qvæ circa annum 1175. à Canuto Præbeslai filio Laalandiæ Duce exædificari cœpta, vetus Regum ac Parlamenti Danici poſtea exſtitit ſedes præclara.

70. FREDERICVS. I. CHRIS. I. FI. D. G. *Regis mitrati & paludati Icon.*
DANNIÆ. NOR. VAN. GOT. &c. REX. DVX. S. H. D. CO. OLD. ET DEL.
In medio.
Ao. COR. 1523. REGN 10. OBIIT. 1533. ÆT. S. 73.

Numus valdè elegans, ſingularis magnitudinis & ſummæ raritatis eſt, cineribus Regis piiſſimi conſecratus. Fuſiles præterea hic dantur numi eximiæ magnitudinis, qvi cavitatem qvandam induerunt ex modulo, cui infuſi ſunt. In Dania æqve ac in Germania ſerò ad numos argenteos aut aureos, qvi cuſi fuêre, alicujus magnitudinis proceſſerunt Regum ac Principum monetarii & qvidem circa initium ſeculi XVI. primùm tentarunt majores numos in auro & argento procudere, ita tamen ut illo ſeculo fermè toto numos vix ultra unciam argenti & auri continentes non percuſſerint. Argentei thaleri dicti ſunt, uti diximus, a valle Joachimica, aut Silbern Stücke & Dicke Pfenninge/ aurei verò Löthige und zweylöthige hohe Golder/ qvemadmodum eos appellat *Modeſtinus Fachſen* im Probierbuch.

REGIS CHRISTIANI III.

NUMI MAJORES.

Unciales.

No. 1. *c.* CRISTIANUS ✣ D ✣ G ✣ REX ✣ DANIE ✣ ET ✣ NORWE ✣ *Imago Regia ſceptrigera.*
MONETA: NOVA: REGNI: DANIE: *Integra regnorum inſignia. 37.*

2. *c.* CRISTIA * D* G. REX. DANI. DVX. SL. Z. HOL* ⁎. *Effigies Regis cataphracta, ſine coronâ.*
MO. DVCATVV. SLESVIC ∴ Z. ∴ HOL ∴ *Inſignia regnorum integra.* 45.

3. *c.* CHRITIANVS. 3. D: G. DANIE. NORWEGIE ♣ *Effigies Regis coronata & ſceptrigera.*
WANDALORVM. GOTHORUMQVE REX. 1546. *Leo cum bipenni.*

4. *c.* CHRISTIA. 3. D: G. REX. DANI. NOR. DUX SL. ⁎ *Imago Regia.* 1547.
MO. DUCATU. SLESVICE. Z. HOLSA. *Integra Regnorum Inſignia.*

Semunciales.

5. *c.* CRISTIAN. D. G. E. REX. DACIE. *Icon Regis.*
⁎ MONETA. NOVA REGNI DACIE. *Tres Leones.* 1535.

6. *c.* ⁎ CRISTIAN. D. G. E. RE⁎ DACIE. 1535. *Icon Regis.*
⁎ MONETA. NOVA. REGNI. DACIE. *Tres Leones in ſcuto coronato.*

7. *c.* CHRISTIA. D. G. REX. DANI. DVX. SL. ♣ *Eadem effigies.*
MO. DVCATV. SLESVICE. Z. HO ♣ *Eadem inſignia.* 45.

8. *c.* CHRISTIA. 3. D. G. REX DANI NOR DUX SL ♣ *Regis effigies* 1547.
MO. DUCATU. SLESVICE Z. HOLSA. *Integra regnorum inſignia.*

Didrachmales.

No. 9. *g.* CHRISTIANUS D. G. DVX HOLSACI. *Effigies Ducis cataphracta usq; ad genua, inter quæ Holſatiæ inſignia, urticæ folium clavatum in ſcuto.*
MONET. NOVA ⁝ SLESVICENSIS 1534. *Duo Leones in clypeo, inſigne Ducatûs Slesvigenſis.*

No. 10. *g.* ✻ CRISTIAN9 D. G. E. REX. DACIE. *Icon Regis* 1535.
✻ MONETA NOVA REGNI DACIE. *Insigna Daniæ, tres Leones in scuto coronato.*

11. *g.* ✻ CRISTIAN9 D. G. E. REX. DACIE. *Icon Regis* 1535.
✻ MONETA. NOVA REGNI DACIE. *Insignia, tres Leones in scuto coronato.*

12. *g.* ✻ CRISTIAN. D. G. E. REX. DACIE. *Regis icon.* 1535.
MONETA. NOVA. REGNI. DACIE. *Tres illi Leones.*

13. *h.* CHRISTIAN9 D. G. E. REX. DAC. *Regis imago.*
✻ MONETA NOVA REGNI DA. *Regni insignia, tres Leones 35.*
Purioris hic est argenti & bonæ notæ.

14. *h.* CRISTIAN9 D. G. E. REX DACI.x *Eadem imago Regia.*
✻ MONETA: NOVA: REGNI: DAC.X *Eadem Regni Insignia. 35.*
Purioris etiam hic est metalli.

15. *g.* CHRISTIANVS. D. G. DANIE. *Leones tres in clypeo prædicto, pone quem crux utrinq; eminet.*
NORWEGIE SLAVO. GOTOR. Q. REX †
I. MARCK DANSKE. 1541.

16. *g.* ✻ CHRISTIANVS 3. D. G. DANIE NOR. *Leo coronatus cum bipenni, in scuto, item coronâ impositâ. Insignia sunt Norvagica.*
✻ WEGIE VANDA. GOTORUM. Q. REX.
I. MARCK DANSKE. 1543.

17. *g. Ejusdem planè formæ & literaturæ alius anno* 1546. *percussus.*

18. *g.* CHRISTIANVS 3. D. G. DANIE. NOR. *Leo cum bipenni in scuto coronato.*
WEGIE✣ VANDA✣ GOTORUM✣ Q✣ REX ✻
I. MARCK DANSKE. 1544.

19. *g.* CHRITIANVS. 3. D: G. DANIE. *Leones tres.*
✻ NORWEGIE. SLAVO. GOTOR. Q. REX.
I. MARCK DANSKE. 1544.

20. *g.* ✻ CHRISTIANVS 3. D. G. DANI. NOR. *Leo coronatus cum bipenni.*
✻ WEGIE. VANDA. GOTORUM Q. REX.
I. MARCK DANSKE. 1544.

21. *g.* CHRISTIANVS 3. D. G. DANIE. NOR. ✻ *Leo cum bipenni.*
WEGIE. VANDA. GOTORUM. Q. REX ✻
I. MARCK DANSKE. 1545.

No. 22. g. CHRISTIA. D. G. REX. DANI. DVX·· S. Z. H. *Effigies Regis, ut ſuprà.*
MO. DVCATV.. SLESVICE.. Z.. HOLSA ⁎ *Inſignia ſæpiùs memorata.* 45.

Novam qvidem & bonitate inſignem Regni Daciæ, ut eſt in numis, Daniæ verò potius, & Ducatûs Slesvicenſis monetam tum fuiſſe conſtitutam ex inſcribtionibus numismatum antecedentium, majoris qvi hic ſunt moduli, patet, at qvamvis Rex hic initiô regni ſui Anteceſſoresq; ipſius Potentiſſimi monetam ſuam cum illa Imperii Romani urbiumq; Hanſeaticarum æqvalem eſſe voluerint, attamen, qvoad numos minutiores & maximâ ex parte truncatos, vaga veluti oberravit diutiùs. Malum hoc partim pullulaſſe nobis videtur non ſaltem ex civitatibus Daniæ & Norvagiæ, qvibus jus ab antiqvo erat monetam cudendi, verùm etiam ex Epiſcopis, qvi diu numismatis Regii partem ſibi ex gratia Regum aſſervarunt: Illi igitur dum certabant cum civitatibus, qvis monetam pejorem lucri gratiâ progignere poſſet, nihil Regi *Chriſtiano* III. initiô regiminis ſui profuit monetam in melius reſtituere; Pontificiâ verò doctrinâ è regnis ſuis penitus extrusâ & ſic Epiſcoporum autoritate ac potentiâ abolitâ, numos in regnis procuravit melioris notæ, qvemadmodum hic præſertim ex numis No. 15. 16. &c. tutò concludimus Regem hunc in Dania anno 1541. & anno 1543. in Norvagia novam & adeò accuratam regnorum inſtituiſſe monetam & ea probitate, ut civitates memoratæ, qvibus jus monetæ adhuc relictum erat, tunc ſuas numorum fœturas ulterius producere paulatim & ſub Filio ipſius, Rege *Friderico II.*, penitus deſierint, qvòd illarum numismata reſpondere non poſſent probitati Monetæ Regiæ, qvam Reges ab ipſis deſiderabant. Thaleros, qvi hic Imperiales, Rege *Chriſtiano III.*, luci exponuntur, cuſos etiam fuiſſe ante Regis ejusdem tempora ad exemplum urbium Hanſeaticarum, duabus valentes marcis, *Chriſtianus Oſterſen* in ſuo *Gloſſario Juridico-Danico pag. 553.* nobis detexit, qvos poſt aliqvot annos tempore Regis ejusdem aſſeverat tres confeciſſe marcas Danicas, qvarum qvæq;, antea in Dania & Norvagia nomine marcæ inſignita, qvantum ſcimus, vix cuſa, ſedecim ſcillingorum Danicorum tunc erat. Marcæ autem qvadrantes ſeu qvatuor ſcillingos, marcas item ſingulas, binas dimidiasq; in numis obliqvis ſeu truncatis, Rege hoc regni habenas capeſſente, antea qvidem percuſſas fuiſſe, teſtes ſunt numi, qvi trunci hic ſeqvuntur, & mandatum Regis ejusdem ao. 1535. qvòd in Archivis Regiis exaratum latet, ubi ſic verba jacent: **Klippinger/ ſom ere myntede paa 4 Skilling/ halve Marcker/ Marcker til 2. Marcker/** ſed nec nomine nec probitate eâdem cum marcis illis dimidiisq; &c., qvæ ab anno 1541. cuſæ hic exſtant, fuêre, cùm Jutiæ incolæ hoſce truncatos, & Scanienſes non minus rotundos, qvi octo & qvatuor ſcillingorum erant, qvàm truncos rejecerint, qvod illuceſcit ex M. SS. mandatis ſeveris, qvibus ſubditi illi anno 1535. etiam conſtringebantur numos eosdem pro mercibus ſolutos accipere. Novo itaq; & accuratiori ordini novisq; legibus prædictis annis totam rem monetariam ſubjecit Rex Prudentiſſimus, qvi ab obolo ad aſſem, ab aſſe ad duos aſſes, à duorum aſſium moneta ad qvatuor, à qvatuor ad octo, ab octo ad marcas integras annis memoratis ſeqventibusq; juſtè procedi cu-

curavit, teſtibus hic numis ipſius, probitate perqvàm inſignibus. Tres ergo marcæ Danicæ eo tempore valuerunt numum uncialem vel 48. Scillingos Danicos, in civitatibus verò Hanſeaticis thalerus idem conficiebat duas marcas Lubecenſes ſeu 32. Scillingos, tertiâ itaq; parte hic calculum certum ponimus Scillingos Danicos viliores tunc fuiſſe cuſos.

No. 23. *g.* CHRISTIANVS D. G. DANIE. *Tres Leones.*
NORWEGIE. SLAVO. GOTHOR. Q. REX
I. MARCK DANSKE. 1546.

24. *g.* CHRISTIANVS 3. D. G. DANIE. *Inſignia Daniæ.*
NORWEGIE. SLAVO. GOTOR. Q. REX.
I. MARCK DANSKE. 1554.

25. *g.* CHRISTIANVS. 3. D: G. DANIE. *Tres Leones.*
* NORWEGIE. SLAVO. GOTO. Q. REX.
I. MARCK DANSKE. 1555.

26. *h.* CRISTIANI D. G. ELECT. REX DAC. *Imago Regis.*
MONETA NOVA ARHVSIENSIS. *Tres Leones* 35.

27. *h.* CRISTIANVS. D: G. ELECT. REX DACIE. *Imago Regis dimidia, infra qvam æra* 35.
MONETA: NOVA: ARHVSIENSIS. *Tres Leones in ſcuto coronato.*

28. *h.* CRISTIANI: D: G. ELECT: REX DACIE. *Imago Regia.*
MONETA'. NOVA. ARHVSIENSIS. 3. *Leones.* 35.

29. *h.* CHRISTIANVS: D: G: ELECT. REX. DA. *Imago Regia.*
MONETA. NOVA. ARHVSIENSI * *Tres Leones* 35.

Prodiêre numismata hæc ex civitate, qvæ olim Harudum fuit, hodie Arhuſia dicta, cujus ἔτυμον videbis ad numum cavum hic Tab. XXVII. No. 39. Hoc circiter loco in Cimbrica ſua Cherſoneſo *Charudes* ſeu *Harudes* Phunduſiis conterminos agnovit qvondam *Ptolemæus*, ut potius manſio hæc Harudum, Harudia, jam Arhuſia, ſit appellata. Civitas eſt maritima, qvæ anno 1102. ex tractu ſuperiori Lysbergico ad littus proximum, forſan commerciorum gratiâ, translata fuit, teſte *Hvitfeldio Chron. Epiſc. Dan. p.* 99.

30. *h.* CHRIST. D. G. ELECT. REX DAC. *Effigies Regis.*
MONETA NOVA HAFNIENSIS. *Inſignia Daniæ.* 35.

31. *h.* CRISTIANI D: G: ELECT: REX: DACI. *Imago Regia.*
MONETA: NOVA: HAFNIENSIS * *Tres Leones.* 35.

32. *h.* CRISTIANVS D. G. ELECT. REX DA. *Imago Regia.*
MONETA NOVA ROSKILDENSIS. *Tres Leones.* 35.

No. 33. *b.* CRISTIANVS. D. G. ELECT. REX DA: *Icon Regis.*
✻ MONETA. NOVA ROCILDNSI. *Tres Leones in ſcuto coronato.* 35.

34. *b.* CRISTIANVS D: G: ELECT. REX DAC. *Eadem icon.*
MONETA. NOVA. ROSCILDNS ✻ *Eadem inſignia.* 35.

35. *b.* CRISTIANVS D: G: ELECT. REX DA: *Eadem icon.*
MONETA. NOVA. ROSCILDNSI ✻ *Inſignia eadem.* 35.

36. *b.* CRISTIANI: D: G: ELECT: REX: DACE: *Regia icon.*
MONETA. NOVA. ROSCILDNSIS ✻ *Iidem tres Leones* 35.

37. *b.* CRISTIANVS D G. ELECT. REX DAC. *Imago Regia.*
MONETA. NOAV ROSKILDNSI ✻ *Tres Leones.* 35.

38. *b.* CRISTIANVS. D. G. ELECT. REX: DACIE. *Regia effigies pari modo.*
MONETA. NOVA. ROSKILDNSIS. ✻ *Tres Leones Danici.* 35.

Numismata hæc ſunt nova, &, qvod ſciamus, noviſſima, qvæ ex perqvam antiqva Roeskildiæ officinâ procuſa ſunt, ſiluit qvippe poſtea moneta Roeskildenſis & non diu poſt omnium Daniæ urbium, rationem ejus pete ex iis, qvæ ſuprà diximus ad numos Regis hujus majores. Ex antiqviſſimis in Dania hic exſtitit officina monetaria, cujus monetarius primus, qvi in Hiſtoriarum patriarum monumentis M.S., Rege *Waldemaro I.*, circa annum 1203. nominatur, qvantum nobis innotuit, fuit *Gerhardus Monetarius*, in annalibus verò impreſſis *Magiſter Johannes*, tempore Regis *Chriſtophori I.* ibi anno 1245. degens.

39. *b.* CRISTIANI. D. G. ELECT. REX DACI. *Regis effigies.*
✻ MONETA NOVA RIPENSIS ∴ *Tres Leones in ſcuto coronato.* 35.

40. *b.* CRISTERN✠ D✠ G✠ HERES NORVE. *Scutum geminum, qvod utrumq; crux qvadrifariam divisit.*
MONETA NOVA✠ ASLOENSIS✠ 1535. *Leo cum bipenni in ſcuto, Inſignia Norvagiæ.*

41. *i* AGNE: DEI: MISERERE: ME: *Inſignia Gothlandiæ, Agnus cum labaro, ante ſe calicem habens.*
MONETA: WISBEENSIS: *Trabs in ſcuto, inſignia Severini Norby.* 35.

42. *i.* CHRISTIANUS D. G. REX. DACIE ET N. *Regis effigies coronata, usq; ad genua repræſentata.*
✻ MONETA: NOVA: ARHVSI: 36. *Tria inſignia Daniæ, Norvagiæ, & Dannebrogæ, ſibi invicem oppoſita, inter qvæ litera C. R. D. denotantes Chriſtianum Regem Daniæ.*

43. *b.* CRISTIANVS: D.G. REX: DACIE: ET N. *Regis icon ſceptrigera, coronata, ad genua proſtans.*

MO-

MONETA: NOVA: ARHUSIENSIS 36. ✠ *Eadem eſt poſtica atq; in numo proximè præcedenti, cum literis C. R.D. eodem modò poſita.*
Numi ſunt elegantioris typi, qvi ex urbe illa Harudum prodiêre.

No. 44. *i.* CHRISTIANI. D. G. REX DANIE. ET. NO✱ *Imago Regia cataphracta.*
MONETA: NOVA: HAFNIENSIS. 36. *Inſignia Daniæ, Norvagiæ & Dannebrogæ, cum literis C. R. D. circa ſcuta ſparſis.*

45. *i.* CHRISTIANI. D. G. REX DANIE. ET. N. *Eadem imago.*
MONETA: NOVA: HAFNIENSIS. 36. *Eadem inſignia, cum literis C. R. D.*

46. *k.* ✱ CRISTIANI. D. G. REX DANIE. ET. N. *Icon Regia.*
✱ MONETA. NOVA. HAFNIENSI. *Tres Leones.* 36.

47. *i.* ✱ CRISTIANI. D. G. REX DANIE. ET. N. *Eadem icon.*
✱ MONETA. NOVA HAFNIENSIS. *Tres Leones.* 36.

48. *k.* CRISTIAN. D. G. REX DACIE. ET: N. *Effigies coronati Regis, usq; ad genua.*
✱ MONETA NOVA RIPENSIS: 36: *Inſignia Daniæ, Norvagiæ & Dannebrogæ, cum literis C. R. D.*

49. *i.* CRISTIAN. D. G. REX. DANIE. ET. N. *Icon Regis.*
MONETA NOVA RIPENSIS. *Tres Leones.* 36.

50. *i.* ✠ o AGNE: DEI: MISERERE: M. *Inſignia Gothlandiæ.*
✠ : MONETA: WISBEENSIS: *Memorati ſæpius Severini ſcutum cum trabe, & ara 36.*

51. *i.* CRISTIANI. DIE. GRA. REX NORVIE. *Leo cum bipenni.* 37.
MONE. NOVA. BERGENSIS. C. *coronatum in ſcuto, cum cruce ad oram numi protenſa.*

52. *h.* CRISTIANVS D. G. DVX HOLSACIE. *Ejusdem effigies, infrà urticæ folium, Holſatiæ inſigne, in ſcutulo.*
✱ MONETA° NOVA° SLESVICENSIS. 37. *Duo in ſcuto Leones, Ducatûs Slesvigæ inſignia.*

53. *h.* CHRISTIANVS D. G. DANIE. *Tres Leones.*
NORWE. SLAVO. GOTORQ. REX
8. SKILLINCK DANSKE. 1541.

Ante Regem *Chriſtianum III.* in regno Daniæ obſervare non potuimus Danicorum Scillingorum nec marcarum monetam nomine pretii cuſâm, omnis enim moneta Danica in hiſtoriarum monumentis diu per marcas & ſcillingos fuit numerata in denariis, qvamvis non adeò probi argenti, ideoq; **Penninge** i. e. in denariis cuivis ſummæ addebatur, qvi magnitudine & pondere hodiernos aſſes Lubecenſes plerumq; excedebant. Neq; enim majores ulli ad nos ab antiqvis pervenerunt. Nec dum Rege

Chri-

Chriſtierno I. in theſauro Prænobilis Fœminæ Eliſæ ſororisq; ipſius, anno 1468. marca numerabatur niſi in denariis Danicis, verba vernacula *Hvitfeldii* ſunt *Chron. Dan. p.* 919: **Atten hundrede Marck Danſke Penninge.** Primi Lubecenſes, Hamburgenſes, Lunæburgenſes & Wismarienſes circa annum 1350. de moneta pactis qvibusdam ſe invicem alligarunt & ſcillingorum nomen numis impoſuerunt, fabricando tales, qvi eſſent argenti ferè puri, utpote qvindecim graduum, 15. **Löthige.** Qvot ſcillingi tales marcam argenti conſtituere deberent, ſimul etiam edixerunt, qvâ ratione ſcillingi primi civitatum harum pondere drachmam unam cum octava parte drachmæ & amplius continere debuerunt, ut ſeptem tales ſcillingi hodiernum uncialem numum Imperialem æqvarent, circa illa tempora etiam Denarii, Albi & **Blafferte** nomina cœperunt eſſe numorum tunc uſitatorum in civitatibus iisdem, hinc & **der vier Städte Müntze** dicebantur. Nec memoratæ urbes prius numum marcæ nomine produxerunt, qvam anno 1506. Reliqvæ tamen Provinciæ & regna Septentrionis noſtri antiqvum obtinuêre & vix ullos numos niſi denarios & perpaucos groſſos ſeu denarios grandiores, de qvibus diximus ad numos Regis *Erici Pomerani* hic Tab. XXVIII. No. 62. usq; ad 65. cudi fecerunt usq; ad Regum *Johannis I.* & *Chriſtierni II.* tempora, qvorum uterq; monetas majoris accuratioris q; typi procudi fecit, in qvibus ſine dubio marcæ & ſcillingi æqvè ac in illis Civitatum Hanſeaticarum computati ſunt. Qvippe Rex *Chriſtiernus II.* poſt Patrem regni gubernacula capeſſens, monetam Danicam cum illa Civitatum Vendalicarum Senatui Regni Daniæ ſic flagitanti ſtatim æqvalem promiſit, qvemadmodum & ex Regis *Chriſtiani III.* mandatis, antea laudatis, patet marcas & ſcillingos ab anno 1535. in truncis rotundisq; Daniæ numis numeratos fuiſſe, nomine autem pretii niſi ab anno 1541. vix ſignatos, adeò ut Danici ſcillingi marcæq;, nomine pretii ſignatæ, Rege *Chriſtiano III.*, in regnis hiſce, primùm anno 1541. & deinceps percuſſæ fuerint, qvarum qvæq; erat ſedecim ſcillingorum Danicorum, & uti tres marcæ Danicæ numum uncialem tunc conficiebant, ita & 48. Scillingi, qvi tertiâ parte viliores qvàm Lubecenſes cuſi ſunt, qvippe 32. Lubecenſes eodem tempore valebant Thalerum Imperialem ſeu Joachimicum, uti ad numos Regis hujus unciales qvoq; meminimus. Qvos verò ſcillingos in Dania circa annum 1259. nominatos & allegatos obſervavimus ex *Chron. Epiſc. Hvitfeldii* & antiqvo qvodam Indice vectigalium *Erici* Regis, exiſtimamus fuiſſe ſcillingos groſſos & Anglicos, cùm numi eorumq; nomina, antiqvitus in Dania uſitatorum, plerumq; fuerint Anglica.

No. 54. *i.* CHRISTIANVS. D. G. DANIE. *Tres Leones.*

* NORWE. SLAVO. GOTOR. Q. REX.

4. SKILLINCK DANSKE. 1541.

55. *i.* CHRISTIANVS 3. D. G. DANIE. *Tres Leones in ſcuto coronato cum cruce.*

NORWEGIE VANDA. GOTO. Q. REX. *

* I * SKILLINCK. DANSKE * *42*

Pri-

Primus hic eſt Regum Daniæ & Norvagiæ, qvi Nomini ſuo *Numerum* illum *ordinalem* (ut Grammaticis dicitur) addi in numis ac diplomatis juſſit, & vix prius, qvantum ſcimus, qvàm anno hoc illum additum in numis hujus aut alius Regis Daniæ ac Norvagiæ obſervari potuit.

No. 56. *i.* CHRISTIANVS D. G. DANIE. *Tres Leones.*
NORW. SLAVO. GOTOR. Q. REX.
4. SKILLINCK DANSKE. 1544.

57. *i.* CHRISTIANVS. D. G. DANIE. *Tres Leones.*
NORWEGIE. VANDA. GOTO. Q. REX.
I. SKILLINCK DANSKE. 1544.

58. *i.* CHRISTIANVS✠ D✠ G✠ DACIE. *Tres Leones.*
NORWE. SLAVO. GOTOR. Q. REX✠
I. SKILLINCK DANSKE. 1544.
Probioris eſt argenti.

59 *i.* CHRISTIANVS 3. D. G. DANIE. *Tres Leones.*
NORWEGIE. VANDA. GOTO. Q. REX.
I SKILLINCK. DANSKE- 44.

60. *h.* CHRISTIA. 3. D. G. *Inſignia Daniæ, Norvagiæ & Dannebrogæ, ſibi invicem in ſcuto ità oppoſita, ut in area numi triangulus conficiatur, trinis trifoliis conſpicuus.*
DANIE. NOR. VANDA. GO. Q. REX.
II. SKILLING DANSKE 45.
Numus eſt perqvam nitidus, qvi ſuum commendat artificem.

61. *i.* CHRISTIANVS. 3. D. G. DANIE. *Tres Leones.*
✠ NORWEGIE. VANDA. GOTO. Q. REX.
I. SKILLINCK DANSKE. 45.

62. *h.* CRISTIANI D: G. DANIE. *Tres Leones in ſcuto coronato.*
NORWE. SLAVO. GOTOR. REX: ✝.
4. SKILLINCK DANSKE✠ 1646✠

63. *i.* CRISTIANVS. 3. D: G. DANIE. NOR. *Leo cum bipenni.*
VEGIE. VANDA. GOTO. Q. REX.
I. SKILLINCK DANSKE 46.

64. *i.* CHRISTIANVS 3. D. G. DANIE. *Idem Leo Norvagicus.*
NORVEGIE. VANDA. GOTO. Q. REX.
I. SKILLINCK DANSKE. 46.

65. *l.* I. PENNING. 46. *Tres Leones.*

No. 66. *i.* CRISTIANVS. D. G. DANIE. *Tres Leones, more ſolito.*
* NORVEGIE VANDA GOTO. Q. REX:
I. SKILLINCK DANSKE 47.

67. *i.* CHRISTIANVS. 3. D. G. DANIE. *Tres Leones, in ſcuto cum cruce ſolita.*
NORVEGIE. VANDA. GOTO. Q. REX.
I. SKILLINCK. DANSKE. 48.

68. *i.* CHRISTIANVS. 3. D. G. DANIE. *Tres Leones.*
NORVEGIE. VANDA. GOTO. Q. REX.
I. SKILLINCK DANSKE. 49.

69. *i.* CHRISTIANVS. 3. D. G. DANIE. *Tres Leones, in clypeo coronato, pone qvem crux eminet utrinqve.*
NORVEGIE. VANDA. GOTO. Q. REX.
I. SKILLINC DANSKE 50.

70. *i.* CHRISTIANVS. 3. D. G. DANIE. *Tres itidem Leones.*
NORVEGIE. VANDA. GOTO: Q. REX
I SKILLINCK. DANSKE. 51

71. *i.* CHRISTIANVS. 3. D. G DANIE. *Tres Leones, cum cruce ſolita.*
NORVEGIE. VANDA. GOTO. Q. REX.
I. SKILLINCK. DANSKE. 52.

72. *i.* CHRISTIANVS 3. D. G. DANIÆ. *Tres Leones.*
NORWEGIE VANDA GOTO Q. REX
I. SKILLINCK DANSKE 54.

73. *i.* CRISTIANVS. D. G. DANOR. REX. *Tres Leones.* 54.
MONE. NO. INSVLÆ GOTLANDT. *Agnus cum vexillo, ante illum calix.*

74. *i.* CRISTIA D. G DANOR. REX *Tres Leones.* 54.
MONE: NO: INSULÆ GOTLAN *Agnus cum vexillio & calice.*

75. *i.* CRISTIA D. G DANOR. REX * *Leones tres* 54.
MONE: NO: INSULÆ. GOTLA.--- *Idem Agnus Gothlandicus, cum calice & vexillo.*

76. *i.* CRISTIANVS. 3. D. G. DANIE. *Tres Leones Danici.*
NORWEGIE. VANDA. GOTO. Q. REX. *
I. SKILLINCK DANSKE. 55.

77. *b.* CHRISTIANVS. 3. D. G. DANIE. *Tres Leones.*
* NORWEGIE. VANDA. GOTO. Q. REX.
II. SKILLINCK DANSKE. 56.

78. *i.* CHRISTIANVS 3. D. G. DANIE. *Tres Leones in clypeo coronâ insigni, pone qvem crux Dannebrogica eminet utrinqve.*
* NORWEGIE VANDA GOTO. Q. REX.
I. SKILLINCK DANSKE. 56.

79. *h.* CHRISTIANVS 3. D. G. DANI. *Tres Leones.*
NORWEGIE. VANDA. GOTOR. Q. REX. †
II. SKILLINCK DANSKE 57.

80. *h.* CRISTIANVS 3. D. G, DANIE. *Tres Leones, in clypeo coronato, pone qvem crux eminet utrinqve.*
* NORWEGIE. VANDA. GOTOR. Q. REX.
II. SKILLINCK DANSKE. 58.

81. *i.* CHRISTIANVS. 3. D. G. DANIE. *Tres Leones.*
NORVEGIE VANDA. GOTO. Q. REX. *
I. SKILLINCK DANSKE. 58.

82. *h.* CHRISTIANVS 3. D. G. DANIE. *Tres Leones.*
NORWEGIE VANDA. GOTOR. Q. REX:
II. SKILLINCK DANSKE. 59.

83. *i* CHRISTIANVS 3. DANIE. *Tres Leones.*
NORWEGIE. VANDA. GOTO. Q. REX.
I. SKILLINCK.

84. *k.* CHRISTIA. D. G. DAN. REX. *Tres Leones.*
MON. INSVLÆ. GOTHL. *Agnus cum vexillo.*

85. *l.* x. AGNE: DEI: MI. MEI: *Insignia prædicta Gothlandica.*
: MONETA WISBVIE. *Insignia Severini Norby.*

86. *k* CHRISTIA. D. G. DANOR. REX. *Tres Leones.*
* MONE. NO. INSVLÆ GOTLA. *Agnus cum vexillo & calice.*

87. *l.* CHRISTIANUS. D. G. *Scutum, qvod crux secat.*
* DANIE NORWEGI. REX. *C. coronatum.*

88. *k Numus cavus cum C. coronato.*

Mulenio noſtrati in numismatis Danorum, ab illuſtri *Tho. Bartholino* editis, en Blaffert/ minima moneta, nempe duodecima pars tunc ſolidi Danici.

NUMI TRUNCATI.

Majoris moduli.

89. *Numus truncatus & cæteris ſpisſior, in cujus antica clypeus coronatus, in qvo apparet C. coronâ insigne, medium cujus artificioſè oſtendit trifolium, & æra Chriſtiana 35. Poſtica eſt planè raſa.*

No. 90. *Numus itidem truncatus probioris argenti, cum C. in cujus intermedio trifolium, infra urticæ folium clavatum, 35. Aversa est rasa.*

91. *Numus truncatus, argenti puri, qvi ab antica habet C, in cujus medio etiam trifolium emicat, à postica æram 35.*

Numi, qvi hic depromuntur, noſtratibus **Klippinger** dicti, qvòd, prout ſub forfice primo ceciderant, ita cuſi ſolverentur, omnes urticæ trifolio clavato, inſignibus illis Holſatiæ, (de qvorum ſenio vide qvæ adduximus ad numum Regis *Johannis I.* hic TAB. I. No. 5. & æreolum TAB. XXV. No. 19.) ſunt ſignati. Cudi hos fecit *Chriſtianus III.* Anno 1535., qvemadmodum ex binis numeris in numis pateſcit, tunc Dux Holſatiæ regna Daniæ & Norvagiæ juſto titulo occupaturus, ut confeſtim haberet ſtipendium militibus ſolvendum, namq; cùm opus qvandoq; eſſet accelerari ſolutionem, ne turbas illi Martis pulli cierent, numi tales rudi & aſpera formâ, ut diximus, prodiêre, qvi, Daniâ jam à Rege hoc in totum expugnatâ, tantâ copiâ & forſan minori probitate profluxerunt, ut ſubditi ſecundùm valorem conſtitutum eos accipere in Jutia & Scania recuſaverint, metuentes, ne non iſtius formaturæ moneta plus juſtò æroſa, qvemadmodum *Chriſtierni II.* tempore, eſſet, qvæ ubiq; in Dania ideo malè audivit & abrogata oberravit. Hinc illa, qvæ ad numismata antecedentia laudavimus, mandata Regia anno eodem promulgata, qvæ jubent truncos hos numos in marcis ſingulis, binis, dimidiis qvatuorq; ſcillingis ubiq; in regno eſſe probos.

REGIS FRIDERICI II.

NUMI MAJORIS MODULI.

No. 1. *e* FRIDERICUS. 2. D. G. DANIE. *Tres Leones.*
NORVEGIE. SLAVO. GOTOR. Q. REX.
3. MARCK DANSKE. 1560.

2. *e* FRIDERICUS. 2. D. G. DANIE: *Tres Leones.*
NORVEGIE. SLAVO. GOTOR. Q. REX.
3. MARCK DANSKE. LXIII.
Qvi numeri deſignant æram Chriſtianam 1563.

3. *e Alius* ejusdem pretii.

4. *e* FRIDERICVS. 2. D. G. DA. NOR.
SLA. GOT. Q. REX: *Imago Regia* 1572.
DEUS REFUGIUM ET FIDUCIA MEA. *Integra Regnorum Inſignia.*

Patris veſtigiis inſiſtens Rex hic eodem modo probam in regnis ſuis voluit haberi monetam, exſtant enim de ea ipſius mandata etiam ſèvera, & rei teſtes hic qvoq; ſunt numi ejusdem Regis perqvàm nitidi, certa probitate & pondere cuſi. Primâ qvi hic ſerie depromuntur ſub numero 1. & 2. ſunt Thaleri Imperiales anno 1560. & 1563. percuſſi, qvibus in-

inſcribtum 3. MARCK DANSKE, ut inde conſtaret tres marcas Danicas, qvemadmodum Regis *Chriſtiani III.* tempore, adhuc valuiſſe numum uncialem, qvi in Regis *Friderici II.* mandato, qvod Paulo Fechtel, Monetario Regio, anno 1562. d. 1. Septembris datum erat, Jochums-Daler eſt, & ſecundùm edictum idem qvindecim graduum argenti puri, ita ut octo tales cum additamento conficerent marcam examinati & legitimi argenti. Numus autem uncialis ſeu thalerus, qvi No. qvartus inſeqvitur & eadem probitate anno 1572. procuſus, duas tantùm marcas Danicas valuiſſe cenſetur, voluit qvippe Rex ille Prudentiſſimus, eodem anno, ut moneta ſua cum illa civitatum Hanſeaticarum exactè æqvalis & ejusdem valoris eſſet, ne res numaria in commerciis mutuis confunderetur, hinc etiam mandato juſtè conſtituit, qvòd duo aſſes Danici numerarentur locò unius Lubicenſis, pro unâ Lubicenſi duæ Danicæ marcæ & thalerus poſtea valeret duabus marcis ſeu 32. Scillingis, more Germanorum, ut dicitur in Chronicis *Friderici II.* à *Hvitfeldio* M. S. S. pag. 588. Verba ibi vernacula hæc ſunt: Hand lod (anno 1572.) giore Forordning og omſette denne Mynt / at tho Danſke Skilling ſkulde efter den Tydſke Viis regnes for een / tho Mark for een og Daleren for tho Mark eller 32. Skilling. Qvomodo Thalerus ad antiqviorem in Dania valorem recurrebat, qvem duas marcas antea & aliqvandiu, regnante *Chriſtiano III.* confeciſſe laudatus *Chriſt. Oſterſen in Gloſſario Juridico-Danico pag.* 553. nobis expoſuit. Ne verò extranei ex numis hiſce, præſertim minoribus, qvi uberiori pretio, qvàm ut locò unius aſſis Lubecenſis duo Danici darentur, antea erant cuſi, eos recudendo lucrum captarent, interdixit Rex anno prædicto numos hos regno poſtea exportari, qvemadmodum laudata *Friderici II. Chronica* à *Hvitfeldio* conſcribta pag. 589. atteſtantur. Scillingus qvippe Danicus tertia qvidem parte minor Lubicenſi tunc erat, uti antea ad aſſes Regis *Chriſtiani III.* ſub No. 53. &c. demonſtravimus, duplicatus verò, anteqvam locò unius Lubicenſis, juſſu regio, duo Danici ſolverentur, tertiâ parte melior qvàm Lubicenſis ſimplex ejus temporis exiſtebat: Monetam namq; regiam, qvantum obſervare potuimus inde ab anno 1541. Regis *Chriſtiani* III. tempore usq; ad annum 1572. immutatam legimus Prægnantem itaq; cauſam habuit Rex vetare, ne moneta hæc iisdem temporibus cuſa regno ſuo exportaretur.

N·o 5. *f.* FRIDERICUS✠ 2✠ D✠ G✠ DANIE. *Tres Leones in ſcuto.*
NORVEGIE. SLAVO. GOTOR. Q. REX.✠
1. MARCK DANSKE. 1559.
Numus probi argenti.

6. *f.* FRIDERICUS. 2. D. G. DANIE. *Tres Leones in ſcuto coronato.*
✠ NORVEGIE. SLAVO. GOTOR. Q. REX.
1. MARCK DANSKE. 1560.

7. *f.* FRIDERICVS. 2. D. G. DANIE. *Tres Leones.*
✠ NORVEGIE. SLAVO. GOTOR. Q. REX.
1. MARCK DANSKE. 1561.

No. 8. *i.* FRIDERICVS. 2.D. G. DANIE. *Insignia Daniæ.*
* NORWEGIE. SLAVO. GOTOR. Q. REX.
I. MARCK DANSKE. 1562.

9. *f.* FRIDERICVS 2. D. G. DANIE. *Tres Leones.*
* NORWEGIE. SLAVO. GOO. Q. REX
I. MARCK DANSKE. 1563.

10 *f.* FRIDERICVS 2. D. G. DANI. *Tres Leones in scuto coronato.*
* NORWEGIE. SLAVO. GOTOR. Q. REX.
I MARCK. DANSKE. 1563.

11. *f.* FRIDERICVS. 2. D. G. DANIE. *Itidem tres Leones in scuto.*
*NORWEGIE. SLAVO. GOTOR. Q. REX.
I. MARCK DANSKE 1563.

12. *f.* FRIDERICVS 2. D: G: DANIE. *Tres Leones in scuto.*
NORWEGIE. SLAVO: GOTOR: Q: REX: &.
I. MARCK DANSKE 1. 5. 8. 3.
Numus elegantioris typi, & ornamentis in utraqve facie insignis.

13. *f.* FRIDERICVS. 2. D. G. DANIE. *Prædicti Leones in clypeo memorato.*
* NORWEGIE. GOTO. Q. REX.
I. MARCK DANSKE. 1583.

NUMI MEDIOCRIS MODULI.

14. *i.* FRIDERIC. II. D. G. DANIE. *Folium urticæ, qvod Holsatiæ insignia repræsentat.*
MO. DUCATU. SLES. HOLSA. *Duo Leones, Slesvigæ Ducatus Insignia.*

15. *i* FRIDERIC. II. D. G. DANIE. *Eadem Holsatiæ insignia.*
MO. DUCATU. SLES. Z. HOLSA. *Iidem Leones bini Slesvigenses.*

16. *i* FRIDERIC. II. D. G. REX. DANIE* *Folium urticæ, cum clavis tribus, in scuto peculiaris figuræ, qvalis hæc ferè ❁, cruce insuper & variis ornamentis conspicuo.*
MO. DUCATU. SL2S. Z. HOLSA.* *Duo Leones in scuto.*
Solidi erunt duplices Schlesvigâ-Holsati, qvos *Mulenius* nostras inter numismata sua desideravit.

17. *h.* FRIDERICVS. 2. D. G. DANIÆ ET NORVEGIÆ Z. REX. *Effigies Regis.*
SOPHIA KINNIGIN ZU DENNEMARCK Z. *Effigies Reginæ.*

No. 18. *i.* FRIDERICVS. II. D. G. R. DA. *Effigies Regis.*
SOPHIA. D. G. REGINA. DANI. *Effigies Reginæ.*

19. *i* FRIDERICVS. D. G. DAN. NORV. REX. *F. coronatum, ſub qvo inſignia Familiæ Bildorum, in medio ſcuti* B.
MONET. NOVA INSULÆ GOTL. *Agnus vexillifer, Gothlandiæ inſigne.*

Facilè colligitur ex antica & poſtica Numi facie, eum curâ *Jani Bilde*, qvi Gothlandiæ Præfectus fuit, tempore belli ſeptennalis, qvod *Fridericus* II. contra Svecos geſſit, cuſum fuiſſe, id qvod literæ B. ſatis clarè in ſcuto prædicto indicant. Vir fuit eximius, qvem *Chronica Gothlandica* laude extollunt pag. 271.

20. *i.* FRIDERICVS 2. D: G. DAIE. *Tres Leones in ſcuto ſolito.*
* NORVEGIE. VANDA. GOTO. Q. REX*
II. SKILLINCK DANSKE 59.

21. *i.* FRIDERICVS. 2. D. G. DANIE. *Tres Leones.*
NORWEGIE. VANDA. GOTOR. Q. REX.
II. SKILLINCK DANSKE. 60.

22. *i.* FRIDERICVS 2. D. G. DANIE. *Tres Leones.*
* NORVEG SLAVO GOTOR. Q. REX.
8. SKILLINCK DANSKE 1560.

23. *i.* FRIDERICVS. 2. D. G. DANIE. *Tres Leones.*
NORWEG SLAVO GOTOR. Q. REX.
8. SKILLINCK DANSKE. 1561.

24. *h.* FRIDERICVS. 2. D. G. DANIE. *F. in ſcuto coronato & elegantiori, ponè qvod crux utring; usq; ad oram numi pertranſit.*
+ NORWEG. SLAVO. GOTOR Q. REX.
8. SKILLINCK DANSKE 1561.

25. *i.* FRIDERICVS. 2. D. G. DANIE. *Tres item Leones.*
* NORWEGIE. VANDA. GOTOR. Q. REX.
II. SKILLINCK DANSKE 61.

26. *i.* FRIDERICVS. 2. D. G. DANIE. *Tres Leones modô ſolitô.*
* NORWEGIE. VANDA. GOTOR. Q. REX.
II. SKILLINCK DANSKE. 62.

27. *i.* FRIDERICVS. 2. D. G. DANIE. *Tres Leones.*
NORWEGIE. SLAVO. GOTOR. Q. REX.
8. SKILLINCK DANSKE. 1563.

No. 28.

No. 28. *b.* FRIDERICVS. 2. D. G. DANIE. *Tres itidem Leones.*
NORWEGIE. SLAVO. GOTOR. Q. REX.
8. SKILLING. DANSKE. 1563.

29. *b.* FRIDERICVS. D. G. DANIE. *Tres Leones.*
NORWEGIE. SLAVO. GOTO. Q. REX.
8. SKILLINCK DANSKE 1563.

30. *i.* FRIDERICVS 2. D. G. DANIÆ. *Leones tres.*
* NORWEGIE. VANDA GOTOR Q. REX.
II. SKILLINCK DANSKE 63.

31. *b.* FRIDERICVS 2. D. G. DANIE. *F. in ſcuto eleganti ponè qvod crux utrinq; usq; ad oram numi prominet.*
✠ NORWEGIE. SLAVO. GOTOR. Q. REX.
4. SKILLINCK DANSKE. 1573.

32. *b.* FRIDERICVS 2. D. G. DANIE. *Tres Leones.*
NORWEGIE. SLAVO. GOTOR. Q. REX.
4. SKILLINCK DANSKE.* 1575*

33. *b.* FRIDERICVS. 2. D. G. DANIE. *F. in clypeo coronato cum cruce.*
NORVEGIE* SLAVO* GOTOR* Q* REX*
4. SKILLINCK* DANSKE. 1575*

34. *i.* FRIDERICVS 2. D. G. DANIE. *Tres Leones.*
NORWEGIE. SLAVO. GOTOR. Q. REX.
II. SKILLINCK. DANSKE. 1575.

35. *i.* FRIDERI. D. G. REX DAN* F. *coronatum, cum anno æræ Chriſtianæ* 75. *In poſtica numi facie hæ notæ* FZ *apparent.*

36. *b.* FRIDERICVS. 2. D. G. DANI. F. *coronatum.*
NOR. SLAVO. GOTOR· Q. REX.
8. SKILLINCK DANSKE 1578.

37. *i.* FRIDERICVS D. G. DANIE. *F. in ſcuto elegantiori, pone qvod crux utrinq; pertranſit.*
✠ NORWEGIE. SLAVO. GOTO. Q. REX.
8. SKILLINCK. DANSKE. 1579.

38. *b.* FRIDERICVS. 2. D. G. DANIE. *Tres Leones in ſcuto.*
NORWEGIE. SLAVO8 GOTOROM. Q. REX.
8. SKILLINK DANSKE 1582.

Numus eſt admodum nitidus, & probioris argenti. Monetam qvippe Danicam hoc anno, qvo numus hic eſt cuſus, in melius reſtitutam & mutatam eſſe, non eſt qvòd dubitemus, cùm *Chronica Guthilandica Strelovii* pag. 283. tradant edictum Regium in dicaſterio Guthilandiæ anno 1582. d. 29. Martii promulgatum eſſe, qvo Rex ſubditis notum eſſe voluit,

luit, qvòd uncialis numus ſeu thalerus Imperialis deberet poſthac valere qvatuor marcas, antea trium marcarum Danicarum pretium æqvans.

No. 39. *g.* FRIDERICUS. 2. D. G. DANIE. *Tres Leones.*
✠ NORWEGIE. SLAVO. ♀ GOTO. Q. REX.
8. SKILLINCK DANSKE. 1582.

40. *h. Alius ejusdem ferè typi* 1584.

41. *i.* FRIDERICVS. 2. D. G. DANIE. *Tres Leones.*
NORWEGIE. VANDA. ♀ GOTORO. Q. REX.
I. SKILLINCK. DANSKE. 82.
Numus eſt melioris notæ.

42. *h.* FRIDERICVS. 2. D. G. DANIE. *Tres Leones.*
✠ NORWEGIE. SLAVO. GOTO. Q. REX.
8. SKILLINCK DANSKE 1583.

43. *i.* FRIDERICVS 2. D. G. DANIÆ. *Prædicti Leones tres, Daniæ inſignia.*
✠ NORWEGIE. VANDA. GOTO. Q. REX.
II. SKILLINCK DANSKE. 83.

44. *i.* FRIDERICVS 2. D. G. *Crux in ſcuto puro, numulum ſecans.*
✠ DANIE NORWEGIE. REX. F. *coronatum, cum æra Chriſtiana* 82.

45. *k. Similis planè numus, anni* 83.

46. *h.* FRIDERICVS 2. D: G. DANIE. *Tres Leones in ſcuto.*
NORWEGIE. SLAVO: GOTO: Q: REX ✠
8. SKILLINCK DANSKE. 1584.
Numus elegantior, & purioris argenti.

47. *h. Planè ſimilis alter, anni* 1585.

48. *i.* FRIDERICVS 2. D: G. DANIE. *Tres Leones.*
NORVEGIE. VAND. GOTO: Q. REX✠
II. SKILLINCK DANSKE. 85✱

NUMI MINORIS MODULI.

49. *k.* FRIDERICVS. 2. D. G. DANIE. *Prædicti Leones tres, Daniæ inſignia, in ſcuto coronato, pone qvod crux utrinqve usq; ad oram numi eminet.*
✱ NORWEGIE. VANDA GOTOR. Q. REX.
I. SKILLINCK DANSKE. 62.

50. *k.* FRIDERICVS 2. D. G. DANIE. *Leones tres, more ſolitô.*
✱ NORWEGIE. VANDA. GOTOR. Q. REX.
I. SKILLINCK DANSKE 63.

No. 51. *k.* FRIDERICVS. 2. D. G. DANIE. *Tres Leones.*
NORWEGIE. VANDA. GOTO. Q. REX.
1. SKILLINCK DANSKE. 63

52. *k.* FRIDERICVS. 2. D. G. DANIE. *Tres Leones.*
NORWEGIE. VANDA. GOTO. Q. REX.
8. SKILLINK DANSKE 63.

53. *i.* FRIDERICVS. 2. D. G. DANIE. *Tres Leones in ſcuto coronato, pone qvod crux utrinq; prominet usq; ad oram numi.*
NORWEGIE. VANDA. GOTO. Q. REX.
I. SKILLINCK DANSKE. 70.

54. *k.* FRIDERICVS 2. D. G. DANIE. *Tres Leones in ſcuto decoro, pone qvod crux extremitatibus eleganter in modum lilii dilatatis, utrinq; ad oram numi usqve prodit.*
NORVEGIE. VAND. & GOTO: Q: REX.
1. SKILLINCK DANSKE 82.
Numulus eſt nitidioris metalli & formaturæ.

55. *k. Idem ejusdem fermè typi anno prædicto percuſſus.*

56. *k.* FRIDERICVS. 2. D. G. DANIE. *Tres Leones ut ſuprà.*
& NORWEGIE. VAND. GOTO. Q. REX.
1. SKILLINCK DANSKE. 83.

57. *k. Idem, niſi aliqvantum majoris ſit typi, eodem anno cuſus.*

58. *l.* FRIDERIC. D. G. REX DA. *In area numi* F. *coronatum, utrinq; numeri* 76., *æram Chriſtianam & cujusnam ſit Regis denotantes.*
MONETA NOVA BERGEN. *Inſignia Norvagica.*
Ultimus hic numus videtur, qvem ex ſua Bergenſes emisêre officinâ monetariâ, aliæ civitates paulatim ſub Rege *Chriſtiano III.* monetâ abſtinuerunt. Atq; ſic monetæ civitatum ſub *Friderico II.* penitus eviluerunt.

59. *l. Numulus exiguus & tenuiſſimus, in antica facie inſignia Norvagica præferens, Leonem ſcil. cum bipenni in ſcuto. In poſtica hanc inſcriptionem.*
MONETA. NOVA. BERGEN. *

60. *m. Numulus cavus, cum* F. *coronato.*

NUMI TRUNCATI ET FORMÆ QVADRATÆ, Majoris qvi ſunt moduli.

61. F. *coronatum, ſigla regii nominis, in clypeo coronato.*
II. MARCK 1563. *In circulo.*

Qvam-

Qvamvis numi trunci, Rege *Chriſtiano III.*, in marcis binis, ſingulis ac dimidiis etiam numerati fuerint, qvemadmodum mandatum ipſius, ad Regis ejusdem numos truncatos laudatum, nos docet, vix prius tamen, qvantum nobis innotuit, nomine pretii, qvàm regnante in Dania *Friderico II.* ſignati inveniantur. Bellum anno 1563. Rex hic contra Svecos paraturus numos truncos & qvadros, qvemadmodum Potentiſſimi ipſius Anteceſſores, ſecundùm legem numariam cuſos voluit, ut ſtatim qvoq; haberet, qvod militibus ſuis ſtipendii locò daret, ne extranei numos meliores regno exportarent. Truncatos omnes adeò exactæ non fuiſſe probitatis inde tutò colligimus, qvòd etiam edicta MSS. Regis *Friderici II.*, anno 1563. & 1564. data, in Archivis exſtent, qvibus ſubditi omnes in Regnis Daniæ & Norvagiæ tenebantur numos eosdem juxta valorem conſtitutum ubiq; ſolutos accipere, dari verò ejusdem formaturæ numos, qvi purioris ſunt argenti, numismata eadem hic teſtamur. Et ne Rex ille juſtiſſimus videretur ſubditis ſuis numos hoſce injuſtè obtrudiſſe, mandavit anno 1564. die 15. & 18. Aprilis eosdem ſibi in ſubſidia numaria belli numerari, qvos ſecundùm conſtitutum eorum pretium rotundis numis ſe poſthac ſolvendo refuſurum eſſe promiſit, qvemadmodum verba mandatorum ipſius MSS. in Archivis Regiis jacent.

No. 62. F. *coronatum in ſcuto prædicto.*
.I. GOLT GVLDE *6*3*

Ex numo hocce argenteo, qvi inæqvalis ſeu neglectæ eſt formaturæ, colligimus Regem *Fridericum II.* hoc anno etiam cudi feciſſe in auro numisma tale, id qvod valdè deſideramus, qvemadmodum hìc inter aureos numos ejusdem Regis aureum videmus anno 1584. cuſum inſcribtione hac: GOLD. GULDEN.

63. *Alius Aureus truncatus, cum* F. *coronato in ſcutulo, & ærâ Chriſtianâ* 1563. *in altero latere, in altero autem Fortunam globo inſiſtentem repræſentans.*

Ejusdem eſt typi, cujus hìc in auro etiam datur.

64. F. *inſcuto coronato* 63. *& in altera parte,*
I. MARCK.

65. F. *coronatum & in poſtica:*
I. MARCK. 1563.

66. *F. coronatum, ſigla Regii nominis, in clypeo coronato.*
IIII. MARCK. 1564. *in circulo.*

Numus eſt rarò obvius, in cujus area poſtica per IIII. MARCK. 1564. intelligendum cenſemus marcas has eſſe *Danicas*, nam qvia anno priori Rex ille cudi fecit numum trium marcarum inſcribtione, uti ex uncialibus numis Regis ejusdem hic allatis percipimus, ideò etiam hæ marcæ de Danicis intelligendæ veniunt, & qvia numus ille trium marcarum habet pondus imperialis unius, hic numus qvatuor marcarum habebit pondus unciæ & unius tertiæ. Idem eſt numisma, qvod *Mulenius* noſtras, vir in conqvirendis numis Danicis ſagaciſſimus, diu ambivit.

No. 67.

No. 67. F. *in ſcuto coronato.*
II. MARCK. 1564.
Numus craſſior cæteris.

68. F. *coronatum⌣.*
I. MARCK 1564.

69. F. *coronatum⌣* 64.
I. MARCK.
Numus eſt purioris argenti.

70. F. *in ſcuto coronato.*
I. MARCK. 1565.

Numi truncati minoris moduli.

71. F. *coronatum⌣.*
4. SKILLINCK. 63.

72. F. *in ſcuto coronato.*
4. SKILLI. ₀63.

73. *Tres Leones in ſcuto.*
II. SKILLI. 64.

74. *Tres Leones in ſimili ſcuto coronato.*
II. SKILLI. 1565.

75. *Iidem tres Leones in clypeo cum corona⌣.*
II. SKILLI. 65.

76. *Iidem tres Leones.*
II. SKILLI* 1565*

Seqvitur numus eximiæ raritatis MAGNI, Daniæ Principis, Epiſcopi Oſilienſis &c. ac poſtea Livoniæ Regis:

77. *k.* MA. D. G. EPS. OSI. C. E. RE. *Eſt Ducis MAGNI, Regis* Friderici II. *qvi fuit Frater, icon pileum inſignem induta.*
MN° ARENSBORCH ₀64. *Aqvila, qvæ volitare amittitur, Oſiliæ aut Arensburgi inſigne.*

Numisma hoc, qvòd minoris ſit moduli, inſcribtionem ſortitum eſt contractiorem, adeò ut nos planè lateret, cujusnam eſſet incudis, niſi æra Chriſtiana officinæq; monetariæ locus atq; inſulæ ſimul inſigne expreſſius adeſſent. Anno qvippe 1560. & in illo Inſulæ Oſiliæ loco percipimus ex annalibus patriis Daniæ illum Principem, nomine MAGNUM, ſedem ſuam primùm fixiſſe, qvi filius natu minor Regis Daniæ *Chriſtiani III.*, ideoq; etiam Hæres Norvagiæ, Dux Slesvigæ & Holſatiæ, Oſilienſem ac Curonienſem Diœceſes, aliqvot millibus Joachimicorum à Fratre, Rege *Friderico II.*, emtas, anno eodem compenſationis locò acceperat, qvi-

qvibus poſtea Revalienſis qvoq; ſtatim ultrò acceſſit. Hinc & *Joh. Piſtorius* rer. Polon. pag. 67. & 72. memorat, illum ipſum Ducem eorundem *Epiſcopatuum titulos ſibi uſurpaſſe*, Habſaliæ Epiſcopatûs ſede in Wichia, Livoniæ Provinciâ, Arensburgum in Oſilia translatâ: Datur enim numisma ejusdem Principis, alius typi, qvod ex antica iconem ipſius elegantiorem hac inſcribtione: MAGNVS. D. G. E. O. C. W. RE. ex poſtica aqvilam qvaſi volitaturam, cui circumſcribtum: MONE. NOVA. HAPSAL. 62. exhibet, ſic fortè aqvilâ cuſum in memoriam ejus, qvòd annô hôc ſedes Epiſcopalis, qvæ olim Hapſaliæ fuit, Arensburgi, cujus aqvila etiam cenſetur eſſe inſigne, ſit inſtituta. Princeps aliàs fuit magni nominis, qvi à Moſcorum ſive Ruſſorum Cæſare anno 1570. Livoniæ Rex, teſte *Thuano* Hiſt. lib. 45. p. 938. etiam renunciatus duxit Mariam Moſcorum Imperatoris Conſobrinam & Piltenii anno 1583. d. 18. Maji improlis fatis conceſſit.

REGIS CHRISTIANI IV.

NUMI MAJORIS MODULI.

IMPERIALIS QVADRUPEX, cum tali inſcribtione:

No. 1. CHRISTIANVS IIII. D. G. DANI NOR &c. REX. *Effigies Regis coronata, cum ſymbolo:* REGNA FIRMAT PIETAS.
BENEDICTIO. DOMINI. DIVITES: ✻: FACIT ❁ *Inſignia Norvagica, Leo cum bipenni* 1645. P. G.
Inſignis craſitudinis numus eſt.

2. IMPERIALIS TRIPLEX. CHRISTIANVS. IIII. D. G. DAN. NO. V. G. REX. D. S. H. S. D. OL. ET D. 1642. *Regis coronati effigies, circa effigiem verò ſymbolum Regium:* REGNA FIRMAT PIETAS.
à parte alterâ:
BENEDICTIO DOMINI DIVITES. FACIT. *Integra Regnorum Daniæ inſignia—.*
Exſtat qvidem argenti fodina in Norvagia, ex qvâ magna argenti copia eruta eſt, qvæ *Benedictio Domini*, Germanicè Gottes Segen/ ideò vocata eſt; ſed abſit, Regem Piiſſimum ſententiâ hâc aureâ huc reſpexiſſe; qvin potius eâ profeſſus ſit meram Benedictionem Domini divites facere, qvamvis ex argento tali hunc aliosq; numos percuſſos eſſe notiſſimum ſit.

DUPLICES IMPERIALES:

3. CHRISTIANVS. IIII.D. G. DANIE. *Effigies Regis juvenis cum corona.*
NORWEGI. VAN. GOT. REX. 1597. *Plena Regnorum inſignia.*

4. *Effigies Regia, cum ſubſcribto titulo:* CHRISTIANVS. IIII. D. G. DAN: NO: V. GO: REX. D. S. H. S. D. C. OL. ET. D. 1626. *In circulo ſymbolum:* REGNA FIRMAT PIETAS.

BENEDICTIO DOMINI DIVITES FACIT. *Regnorum integra insignia*.

No. 5. CHRISTIANUS. IIII. D. G. DANI. NORV. REX. *Imago Regia, circa qvam:* REGNA FIRMAT PIETAS.
BENEDICTIO. DOMINI. DIVITES. FACIT. *Insignia Norvagia.* 1631.

6. *Effigies Regia, sub qva titulus:* CHRISTIANUS. IIII. D. G. DAN. N. V. G. REX. D. S. H. S. D. C. OL. ET. D. 1632. *Circa caput Regium:* REGNA FIRMAT PIETAS.
BENEDICTIO DOMINI DIVITES FACIT. *Integra Regnorum Insignia*.

7. CHRISTIANVS IIII. D. G. DANI. NOR. &c. REX ✠ *Regis imago, circa qvam symbolum:* REGNA FIRMAT PIETAS.
BENEDICTIO DOMINI DIVITES ✠ FACIT ✠ *Leo coronatus cum bipenni.* 1638.

8. CHRISTIANUS. 4. D. G. DAN. N. V. G. REX. *Effigies Regia, sub qva Daniæ insignia, 3. Leones, circa caput autem:* REGNA FIRMAT PIETAS.
MON. NOV. GLUCKSTADENSIS. 1641. *Typus fortunæ insidentis globo.*

9. CHRISTIANVS. IIII. D. G. DANIE. NOR. &c. REX. *Imago Regis, circa qvam symbolum:* REGNA FIRMAT PIETAS.
BENEDICTIO. DOMINI. DIVITES. FACIT. *Leo Norvagicus cum bipenni,* 1641.

10. *Regis coronati effigies, sub qvâ titulus:* CHRISTIANVS. IIII. D. G. DAN. NO. V. G. REX. D. S. H. S. D. C. OL. ET D. 1642. *Circa effigiem autem symbolum:* REGNA FIRMAT PIETAS.
BENEDICTIO. DOMINI. DIVITES. FACIT. *Integra Regnorum Insignia*.

11. CHRISTIANVS. IIII. D. G. DANI. NOR. &c. REX. *Imago Regis, cum symbolo:* REGNA FIRMAT PIETAS.
BENEDICTIO. DOMINI. DIVITES. FACIT. *Leo cum bipenni.* 1646.

12, CHRISTIANVS. IIII. D. G. DAN. NOR. V. G. REX. *Effigies Regia, & symbolum:* REGNA FIRMAT PIETAS.
BENEDICTIO. DOMINI. DIVITES. FACIT. *Leo Norvagicus* 1647.

13. *Ejusdem typi alius* 1649.

∴ Primus hic est Regum nostrorum, qvi, qvantum observare potuimus qvadruplices, triplices ac duplices Imperiales cudi fecit, cujus simplices, jam hic seqvuntur serie uberiori.

UNCIALES SIMPLICES:

14. CHRISTIANVS. 4. D. G. PRI ET ELECT. REX. DAN. Z. *Effigies Regis*

gis, jam propemodum ephebi, (natus enim erat anno 1577. d. 12 Aprilis, inter horam qvartam & qvintam poſtmeridianam, adſcendente cœli Libra,) *cum catenâ aureâ circa collum.*

REGNA FIRMAT PIETAS. 1590. *Regnorum tota Inſignia.*

15. CHRISTIANVS IIII. D. G. DANIE. *Imago Regia, ſub qva* 1596.
NORVE. VANDAL. GOTHO. Q. REX. *Inſignia Dania, Tres Leones cum novem cordibus.*

16. CHRISTIANVS IIII. D. G. DANIE. *Tres Leones.*
NORWEGIÆ. SLAVO. GOTORUM. Q. REX.
IIII. MARCK DANSKE. 1596.

Qvantæ curæ Regi huic, qvi plusqvam ſeculum dimidium ad gubernacula regnorum ſedit, moneta patria fuerit, ex nitidioris metalli & elegantioris formaturæ numis, immensâ copiâ ejusdem Regis tempore cuſis, qvi vicinarum gentium monetas probitate omnino ſuperant, clarè evidenterq; dignoſcitur. Attamen, Rege hoc regnante, moneta non minus varia in numis minoribus exſtitit, ſtante & probitate & pondere Thaleri imperialis nomine, qvi inde ab anno 1582., uti memoravimus, qvatuor valuit marcis Danicis, qvemadmodum, Rege hoc habenas regnorum capeſſente etiam totidem marcas anno 1596. numum uncialem æqvaſſe hic videmus, qvippe cujus averſæ impreſſum legimus IIII. MARCK DANSKE, i. e. qvatuor marcæ Danicæ, qvarum qvæq; erat ſedecim ſcillingorum Danicorum, *Mulenio* noſtrati *in numismatis Dan. Sec. IX.* qvia thaleri imperialis erat pars, *marca imperialis* dicta, qvemadmodum noſtratibus inde in hunc usq; diem **en Rigs-Mark** appellatur, verùm marca hæc cum cæteris, poſtea cuſis, multas paſſa eſt mutationes in ſcillingis æſtimata, id qvod infrà dabimus. Nec minus thaleri imperialis pretium in marcis, & ſcillingis inprimis, mutatum eſſe ex ſtatutis monetariis ejusdem Regis percipimus: Anno nempe 1605. thalerum imperialem, qvi qvatuor erat marcarum & ſic 64. aſſium Danicorum ad pretium 66. ſcillingorum ejusdem monetæ ſeu 33. Lubecenſium elatum legimus, ſecundùm qvos etiam marca thaleri imperialis erat computanda in ſcillingis, qvartam thaleri partem exæqvans: Verba mandati regii, anno eodem d. 17. Martii promulgati, hæc ſunt: **At en Rixdaler ſkal gielde 33 Lybſkilling/ eller 66 ß. Danſke/ og at en Marck Stykke Danſke Mynt ſkal gielde halfiyttende Skilling Danſke/ og fire Marck Danſke ligeſaa meget paa en Rixdaler.** Ex qvibus ſatis clarè conſtat marcam imperialem ſeu Danicam, in cujus averſa parte exaratum conſpicimus I. MARCK DANSKE valuiſſe ſedecim aſſes Danicos cum dimidio. Ita ex edicto memorato ſentimus eſſe ſtatutum, ne thaleri hi, qvi majori pretio in civitatibus Hanſeaticis venerunt, regnis hiſce exportarentur. Nec interdictum hoc in tantum valuit, qvin extranei ſuum inde captaverint lucrum, thalero imperiali in civitatibus prædictis ad majus pretium elato, hinc anno 1609. die 3. Febr. Rex Prudentiſſimus thalerum ſuum ad 68. ſcillingos Danicos adſcendere juſſit, marcâ computatâ ſecundùm qvartam partem thaleri integri & ſic Marca Danica fuit 17. aſſium Danicorum. Verba Regii edicti vernacula ſic jacent: **At en hver Daler ſkal her epther udi vore Ri-**

ger

ger Danmark og Norge gielde fire og trediuffue Skilling Lybſch/ eller tredſindstiuffe og othe Skilling Danſke. Skal og fire Marck Danſke gielde lige ved en Rigsdaler/ saa att en hver Marck Danſke skal gielde ſytten Skilling Danſke. Tantum non per totam Germaniam detrimento monetæ minutioris, ex corruptelis orto, ulterius gliſcente idem Thalerus in Dania & Norvagia anno 1610. d. 3. Aprilis 74. aſſium Danicorum eſſe cœpit, ut etiam marca Danica, qvadrans qvæ erat Joachimici thaleri ad 18½ ſcillingos adærata fuerit. Nec adhuc malo rei monetariæ ſatis caveri potuit, Thalero imperiali in regnis hiſce anno 1616. d. 4. Julii ad pretium 80 aſſium Danicorum adacto & conſeqventer qvadrante ipſius, marcâ Danicâ, ad aſſium 20 valorem, qvin anno 1618. die 1. Maji, ſtante pro eo tempore marcæ valore priſtino, thalerus ad pretium 84. aſſium Danicorum adæqvanda fuerit, donec tandem anno 1619. d. 16. Novembr. Thalerus Joachimicus 96. aſſes Danicos, ſecundùm mandatum regium, effecerit & ſic. ſcillingi Danici ad dimidium Lubecenſium deceſſerint, in qvo diſcrimine ferè adhuc ſunt & marcæ Danicæ, qvæ noſtratibus Slette Marker dicuntur, i. e. marcæ ſimplices, perſiſtunt, qvarum ſex inde ab anno 1621. & 1622. thalerum imperialem in ſcillingis æqvarunt & adhuc in marcis & ſcillingis ſic conficiunt.

No. 17. CHRISTIANUS. IIII. D. G. DANIÆ. *Effigies Regis coronati.*
NORVEGI. VAN. GOT. REX. *Regnorum plena inſignia.*

18. CHRISTIANUS IIII. D. G. DA. N. V. G. REX. *Effigies Regis inſidentis ſolio, ſupra qvem votivum hoc:* VIVAT ET VALEAT. 1603.
MONETA. NO. REGNI. DANIÆ. *Inſignia Regnorum.*

19. CHRISTIANUS. IIII. D: G: D: NO: VA: GO: Q: REX. *Effigies Regis ſtantis cum ſceptro in dextra, & globo in ſiniſtra manu, infrà adſcripto anno* 1608.
DUX. SCHL: HOL: STOR: ET. DIT: CO: I: OL: ET: DE: *Inſignia regnorum integra, regni Daniæ ſcilicet in medio, & circa hæc reliqva regnorum, Ducatuum & Provinciarum in tredecim clypeis minoribus, unà cum ſymbolo:* REGNA FIRMAT PIETAS.

20. CHRISTIANUS. IIII. D: G: DANI. NOR: VAN: GOT: REX. *Effigies Regis loricati, erecto corpore ſtantis, cum ſceptro & globo.* 1609.
DUX. SLESVI. HOLS: STORM: ET: DITM: COMES. IN. OLDE. ET. DE. *Omnia regnorum inſigna, cum ſymbolo:* REGNA FIRMAT PIETAS.

21. CHRISTIANUS. IIII. D. G: D: NO: VA: GO: Q: REX. *Regis eodem ſitu ac habitu, atq; in præcedentibus.* 1610.
DUX. SCHL: HOL: STOR: ET: DIT: CO: I: OL: ET: DE: *Inſignia Regnorum integra cum ſymbolo, uti in præcedentibus.*

22. CHRISTIANUS. IIII. D. G. D. NO. VA. GO. REX. *Rex erecto corpore* 1618.
DUX. SCHLE. HOL. STORM. ET. DIT. CO. IN. OL. ET. DE. *Regnorum Inſigna cum ſymbolo:* REGNA FIRMAT PIETAS.

No. 23. *Ejusdem planè typi alius*, 1619. *percussus.*

Annus hic est, qvi in numo hoc unciali exstat, ultimus, qvo thaleri imperialis in assibus Danicis, ut diximus, die 16. Novembris mutatio contigit, thalerusq; hic ad 96. asses adæratus est, qvemadmodum & in eodem pretio etiamnum persistit.

24. *Alius typi ejusdem*, 1620. *cusus.*

25. CHRISTIANUS. 4. D. G. DAN. NOR. V. G. R. *Effigies Regis integra cum insignibus Daniæ.*

MO. NO. CIVI. GLUCKSTADENSIS. 623. *Typus fortunæ insistentis globo.*

Primus est numus, qvem observare potuimus Tychopoli in argento cusum, qvemadmodum eum antea describtum adduximus inter aureos Sectionis hujus TAB. IV. No. 21., ut exinde nobis colligere licuerit civitatis Gluckstadensis, munimento suo anno 1620. primùm firmatæ, officinam monetariam primo hujus typi numismati incunabula sua debere.

26. *Imago Regia, sub qvâ*: CHRISTIANUS IIII. D. G. DAN. NO. V. G. REX. D. S. H. S. D. C. OL. ET. D. 1624. *Supra caput Regis*: REGNA FIRMAT PIETAS.

BENEDICTIO. DOMINI. DIVITES. FACIT. *Integra Regum Daniæ insignia.*

27. *Ejusdem typi alius* 1624. *cusus.*

28. 29. 30. *Ejusdem typi dantur alii, annis* 1625. 1626. & 1627. *percussi.*

31. *In area numi cum hoc adjecto:* QVID NON PRO RELIGIONE. AO. 1627. ❁

MONET: R: D: N: VIC: PHIL: REINH: C: S: *Insignia plena Comitis Solmensis, vel, ut in annalibus nostris dicitur, Rheni in scuto coronato.*

32. 1627. *Ad oram numi:* QVID NON PRO RELIGIONE.

MONET: R: D: N: VIC: PHIL: REINH: C: S: ❁ *Eadem insignia.*

33. *In circumferentia numi:* QVID NON PRO RELIGIONE. ❁

MONET: REGIS: DAN: NORW. VICARII: PHILIP: REINH: COM: S: *Insignia Comitis ejusdem* & 1627. *ab utraq; scuti elegantioris parte.*

34. *Circa siglam Regii nominis ad numi oram:* QVID NON PRO RELIGIONE. AO. 1627.

MONET: R: D: N: VIC: PHIL: REINH: C: S: *Insignia Comitis Rheni.*

Qvatuor hi, qvi præcedunt, numi unciales, anno dicto cusi, partim ex C. coronato, partim ex inscribtionibus dignoscuntur, plures in discrimine hoc dari, nondum nobis innotuit, qvantâ verò copiâ & cujus curâ unciales hi producti fuerint, diversi typi eorundem testantur. *Philippus Rheinhardus*, cujus mentio injicitur in numismatis hisce, qvemadmodum ex titulo insignibusq; patet, fuit is, qvi Comes Solmensis & in bello (, qvod Rex *Christianus IV.* contra Cæsarianos pro libertate civium & religione vera, tunc periclitantibus, nomine Ordinum circuli inferioris Saxoniæ anno 1625., tot Principum precibus & legationibus fatigatus, susceperit,) Regis Vicarius, anno 1626. d. 17. Augusti ex prælio apud Lutteram in monte Barenberg, post fortiter editam stragem, reliqva suorum manu masculè defensus, jussu Regis, Gvelpherbytum se recepit; Cæsariani verò nescientes, an ipsis victoriæ plus qvàm prædæ contigisset, mox adoriri eum non sunt ausi, qvorum præterea multa millia, postea munimen hoc oppugnantium, anno 1627. morti dedit; At ne militi præsidiario interim stipendium deesset, Ducis Brunsvici, qvi biduo post conflictum ad Lutteram Saxonicæ Societati (sic narrante *Joh. Cluvero Epitom. histor pag.* 750.) renunciavit, utensilia argentea Comes memoratus corripuit, ex qvibus Menstrua illa Colloqvia, Germanis Monatliche Unterredungen/ anno 1694. Lipsiæ impressa, numos hosce unciales anno 1627. cusos esse pag. 219. tradunt. Dantur etiam Comitis Solmensis, uti dicuntur, ducati, in qvorum antica facie effatum illud: QVID NON PRO RELIGIONE, & annus 1627. circa regiam siglam *Christiani Qvarti*, in postica verò eorum conspicimus insignia Comitis ejusdem plena, hac inscribtione: MONE. REGIS. DAN. NOR. VICAR. PHI. REIN. C. S. Triplices autem ducatos ejusdem fermè monetæ ex suppellectilibus Ducis Brunsvici aureis percussos esse laudata qvoq; colloqvia menstrua nobis locò citatò detexerunt.

No. 35. *Effigies Regis, sub qva titulus:* CHRISTIANUS IIII. D. G. DAN. N. V. G. REX. D. S. H. S. D. C. OL. ET. D. 1627. *Circa faciem Regis symbolum.* REGNA FIRMAT PIETAS.

BENEDICTIO. DOMINI. DIVITES. FACIT. *Regnorum tota insignia.*

36. *Eadem Regis effigies, cum subscribto titulo:* CHRISTIANUS. IIII. D. G. DAN. NORV. V. G. REX. D. S. H. S. D. C. OLD. ET. D. 1628. *circa caput Regium:* REGNA FIRMAT PIETAS.

BENEDICTIO. DOMINI. DIVITES. FACIT. *Integra Regnorum Insignia.*

37. CHRISTIANUS. IIII. D. G. DAN. N. V. GO. Q. REX. *Imago Regia, cum insignibus Daniæ.*

MON. NO. CIVI. GLUCKSTADE. 1629. *Typus fortunæ insistentis globo.*

38. CHRISTIANUS. IIII. D. G. DANIE. NOR. REX. *Effigies Regis cum symbolo:* REGNA FIRMAT PIETAS.

BENEDICTIO. DOMINI. DIVITES. FACIT. *Leo Norvagicus* 1630.

No. 39. 40. *Alii ejusdem typi.* 1631. & 1632.

41. *Idem* 1633. *cusus.*

42. *Effigies Regis, sub qvâ titulus :* CHRISTIANUS. IIII. D. G. DAN. N. V. G. REX. D. S. H. S. D. C. OL. ET D. 1631. *Circa faciem Regis symbolum :* REGNA FIRMAT PIETAS.
BENEDICTIO. DOMINI. DIVITES. FACIT. *Regnorum tota Insignia.*

43. *Alius ejusdem typi, anno* 1632.

44. 45. *Et adhuc alii planè similes, ann.* 1634. & 1637. *percussi.*

46. CHRISTIANUS. IIII. D. G. DAN. NOR. ET. REX. *Facies Regis cum symbolo.*
BENEDICTIO. DOMINI. DIVITES. FACIT. *Leo Norvagicus* 1634.

47. 48. 49. 50. *Alii ejusdem planè typi* 1635. 1636. 1637. & 1638.

51. *Ejusdem typi adhuc alii,* 1639. & 1640.

52. CHRISTIANUS IIII. D. G. DANI. NOR. V. G. Q. REX. *Effigies Regis cum symbolo : sub qva Daniæ Insignia.*
MONET. NOV. GLUCKSTADENSIS. 1640. *Fortuna globo insistens.*

53. *Ejusdem typi alius,* 1642.

54. CHRISTIANVS IIII. D. G. DANI. NOR. REX. *Effigies Regis cum symbolo.*
BENEDICTIO. DOMINI. DIVITES. FACIT. *Leo cum bipenni* 1641.

55. 56. 57. *Alii ejusdem typi anno* 1642. 1643. & 1644. *cusi.*

58. 59. 60. *Adhuc alii simili typo percussi, anno* 1645. 1646. & 1648.

61. CHRISTIANUS: IIII: D: G: DAN: N: V: G: Q: REX. *Icon Regis, sub qva Insignia Daniæ, & circa caput symbolum :* REGNA FIRMAT PIETAS.
MON: NOV: GLUCKSTADENSIS 1641 ✠ *Fortunæ typus.*

62. *Idem anno* 1644. *percussus.*

63. CHRISTIANUS. IIII. D. G. DANI. N. V. G. REX. *Symbolum Regis circa effigiem ipsius, sub qva Daniæ Insignia.*
MON. NOV. GLUCKSTADENSIS. 1645. *Typus Fortunæ.*

64. 65. *Similis monetæ alii, anno* 1646. & 1647. *procusi.*

66. *Facies Regis, sub qva :* CHRISTIANUS. IIII. D. G. DAN. NO. V. G. REX. D. S. H. S. D. C. OL. ET. D. 1646.
BENEDICTIO. DOMINI. DIVITES. FACIT. *Integra Regum Daniæ Insignia.*

No. 67. *Alius ejusdem typi* 1647.

68. CHRISTIANVS. IIII. D. G. DANI. NOR. REX. *Imago Regia cum ſymbolo.*
BENEDICTIO. DOMINI. DIVITES. FACIT. *Leo Norvagicus.* 1647.

69. *Idem anno* 1648. *percuſſus.*

70. *Effigies Regis, ſub cujus pectore Inſignia Daniæ in clypeo, circa caput:* REGNA FIRMAT PIETAS.
MON: NOV: GLVCKSTADENSIS. 1648 ✠ *Fortunæ typus, qvalis in cæteris conſpicitur.*

71. CHRISTIANUS. 4. D. G. DAN. N. VA. G. REX. *Rex eqvo inſidens, ſub qvo:* REGNA FIRMAT PIETAS.
DUX. SCH. HOLS. ST. DIT. COM. IN. OLD. E. D. *Regnorum tota Inſignia.*

Cujus magnitudinis ſeu moduli numi hi, qvi unciales præcedunt, ſint, literulâ denotare ſuperſedimus, cùm parem extraneis, ubiq; notum, habeant modulum.

THALERI CURRENTES, ſit olim dicti, ejusdem qvi ſunt moduli cum uncialibus memoratis.

72. CHRISTIANVS. IIII. D. G. DANI. NOR. REX. *Effigies Regis coronati.*
BENEDICTIO. DOMINI. DIVITES. FACIT. *Leo cum bipenni.* 1628.

73. *Alius ejusdem typi* 1629.

Ut verò, poſt tantas in regnis hiſce numorum antea factas mutationes, in commerciis ſubditorum ratus & immutabilis haberetur ſtatus & curſus numorum, conſtituit præterea Rex ille prudentiſſimus anno 1619. die 16. Novembris, ut poſthac in omnibus mercatorum transactionibus &, uti dicimus, cambiis, moneta omnino valeret, qvæ in edicto illo monetario Regi appellatur **En viß current Mynt og Kiøbmands-Pendinge** i. e. *moneta, qvæ dicebatur uſualis & in commerciis*, ut ita dicamus, *currens*, qvam in thaleris tunc cuſam nondum obſervare nobis licuit, niſi illa fuerit, cujus *Chriſtianus Oſterſen in Gloſſario Juridico-Danico pag.* 191. ſic meminit: **En Currant Daler er 5 ſlette Marck** / i. e. *thalerus currens eſt qvinq; marcarum ſimplicium*, qvalem puri argenti poſtea anno 1628. & 1629. côdem pretiô, qvinq; nempe marcis ſimplicibus, qvarum ſingulæ 16. aſſes hodie Danicos conficiunt, valentem & in Norvagia cuſum hic No. 72. & 73. depromſimus, qvem marcis qvatuor aut ſcillingis Danicis octoginta antea numeratum eſſe ex mandato memorato percipimus, ita ut marca talis Danica, laudato *Oſterſen* **en Currant Marck** etiam dicta, viginti aſſes valuerit. Verba conſtitutionis monetariæ addere juvat ex paragrapho 8. **For det ſiðſte / paa det og udi Handel / Veꝛſel / Kiøb oc Sal / ſaadan aarlig Myntes Forandring ikke ſkal foraarſage nogen Vidtløftighed og Irring mellem de Handlende / meden at di maa vide og hafue en viß current Mynt og Kiøbmands-Pendinge /**

hvor-

hvorefter de sig i Kiøb og Sal kunde have at rette/ da ville vi og naadigst hermed have forordnet/ at ald Handel/ Kiøb og Sal skal efter denne Dag beregnes paa Skillinger/ Danske Mark-Stykker/ eller og paa Daler/ bereignet til fire Danske Marck-Stykker eller fire sindstiuffue Skilling Danske. Qvomodo Mercatores suum ad Albim adhuc etiam habent Thalerum, ein Kauffmans-Thaler dictum, in assibus Lubecensibus numerô 33. numerandum.

CORONATI INTEGRI, vulgò DUPLICES.

N. 74. *c.* CHRISTIANUS. IIII. D. G. DANIÆ. *Effigies cataphracta & coronati Regis erecto corpore, dextrâ sceptrum, sinistrâ gladium, quo accinctus est Rex, apprehendens.*

NORVEGI. VANDALO. GOTHORUM. Q. REX. 1618. *Corona cum symbolo Regio* REGNA FIRMAT PIETAS, *& sub eâ:* CORONA DANICA.

Ne verò detrimentum majus monetæ patriæ ab extraneis, qvi, probos auferendo numos, adulterinos & ad formam præsertim marcarum Danicarum factos regnis hisce importarunt, incumberet, qvemadmodum ex interdictis monetariis jam jamq; laudandis illuceſcit, Rex ille Prudentissimus, *Christianus IV.* 1618. die 12. Julii rem monetariam novo ordini novisq; legibus subjecit, secundùm qvas numos egregios in regnis suis procuravit; anno qvippe eodem probitate illud insigne numisma, cui hîc CORONA DANICA inscribitur, ex officina regia primùm prodiit, in constitutionibus monetariis, en Dansk Crone/ sive en heel Sølv-Crone i. e. *Corona Danica*, vel *in argento integra*, vulgo post pretii mutationem en dobbelt Crone i. e. *coronatus duplex* appellatum. Dispescuit præterea Rex hic, omnium rerum qvi fuit tantùm non experientissimus, anno 1619. die 8. Aprilis monetam suam in auream, argenteam & cupream, & Coronam argenteam inprimis in suas justè divisit partes, qvemadmodum edictum ejus monetarium anno & die memorato editum nos docet; verba constitutionis vernacula sunt hæc: At lade mønte/ først dobbelte Croner af got Guld ꝛc. Dernest af got Sølf/ efterskrevne Mønt/ som er heele/ halffue og Ort af Croner/ saa og halfue Orts-Daler/ fire Skillinger/ to Skillinger og eniste Skillinger ꝛc. Udi ligemaade ville vi lade mønte efterskrefne Kaaber Mønt/ af got reent Kaaber/ som ere Hvider ꝛc. saa og Blafferter ꝛc. Adeò ut inde nobis etiam percipere liceat Regem jussisse numos suos purioris esse metalli, edixit enim hîc eos cudendos esse af got Guld/ af got Sølv/ af got Kaaber procedendumq; esse in auro à Coronato Duplici, tres thaleros imperiales exæqvaturo, ad Coronam in argento integram seu Danicam, imperialem ejusq; dimidium, sive ut mandatum Regis ejusdem anno 1618. d. 12. Julii calculum etiam ponit, centum & viginti sex asses Danicos valituram, inde ad ejusdem coronæ dimidiam, tres marcas imperiales, coronatiq; qvadrantem, sesqvi marcam ejusdem monetæ æqvaturum, & sic conseqventer ad coronæ integræ partes minores usq; ad assem Danicum, omnes legitimi & examinati argenti exstituras; ita etiam 12 numi, qvorum singuli coronæ qvadrantis erant

dimidii, confecerunt coronam integram, 8 verò Imperialem: Viginti item qvatuor numi, ex qvibus unusqvisq; qvatuor erat ſolidorum Danicorum, conſtituerunt Coronam eandem, ſedecim autem Thalerum Joachimicum: 48. aſſes duplices ejusdem monetæ Coronam & 32. Thalerum prædictum, qvemadmodum etiam aſſes ſimplices numerò 96. Coronam & 64. Imperialem valuerunt, minutas verò partes aſsis in cupro ſincero item eſſe percutiendas, prout edicta laudata nobis hunc pro tempore numorum ſtatum detexerunt, fortean ad exemplum Principum & Statuum Circuli Saxoniæ inferioris, qvi in concilio per Legatos ſuos Lunæburgi anno 1616. d. 14. Julii monetam ſuam ita in melius reſtitutam voluerunt, ut illa ubiq; eſſet argentea, etiam in minutiis, absq; albis & denariis, qvi ex ære puro procuderentur. Verba Receſsûs ejusdem MS. Art. III. ſic ſe habent: **Die kleinen Müntze aus lauterem Silber/ doch mit dem erlangten Thaler Zuſatz gemüntzet** &c. Art. IV. **Da auch die Dreyer und Pfenninge aus Silber ohne mercklichen Schaden füglich nicht zu müntzen/ ſo könten etwa dieſelben aus lauterm Kupfer gemüntzet werden.** Nec diu egregium hoc numisma *Corona* illa *Danica* hòc conſtitit pretiò, qvin anno 1625. d. 4. Maji qvoad valorem ſuum mutata fuerit, poſtea centum & viginti octo ſolidos Danicos exæqvans, ſeu thaleros duos, qvi ſimplices nobis dicuntur, & ſecundùm eundem computum partes ipſius. **En heel Sølv Crone /** mandat Rex, **af vores egen Mynt/ ſkal gielde to Slette Daler / eller otte Marck Danſke / hver Marck beregnet til 16 Skilling Danſke / en halff Crone ſkal gielde fire Marck** &c. in qvo pretio diſcrimineq; corona hæc cum ſuis partibus perſiſtit.

No. 75. *c. Idem ejusdem typi* 1619.

76. *g. Idem, ſed crasſior* 1624.

77. *g. Idem* 1628.

CORONATI DIMIDII, ſeu Thaleri ſimplices.

78. *c.* CHRISTIANUS. IIII. D. G. DANIE. *Rex erecto corpore & eodem poſitu, qvo in coronatis antecedentibus.*
NORWEGI. VANDALO. GOTORU. Q. REX.* *Corona, ſuprà 1618, infrà* R. F. P. *literæ qvoq; ſunt, qvæ ſymbolum denotant regium.*

Coronatus dimidius numisma hoc ubiq; in edictis monetariis appellatur, ideoq; perperam integri coronati nomen vulgò ſortitum eſt, cùm tantùm dimidii pretium exæqvet, thalerum nempe ſimplicem, qvatuor qvi eſt marcarum Danicarum, uti antea hic partim memoravimus adcoronati integri deſcribtionem.

79. *c.* CHRISTIANVS. IIII. D. G. DANIA. *Regis eadem effigies.*
NORVEG: VANDAL. GOTO: Q: REX. *x.* 1619. *ſupra Coronam, infrà.* R. F. P.

Obſervantur adhuc duo, alius qvi ſunt typi.

80. *c.* CHRISTIANVS IIII D: G: DANI. *Eadem Regis effigies.*

NOR-

NORVEGI. VANDALOR: GOTORU: Q. REX. 1620. *Corona, infra qvam* R. F. P.

No. 81. *e.* CHRISTIANVS IIII. D. G. DANIÆ. *Effigies Regis.*
NORVEG. WANDAL. GOTOR. Q. REX. *Corona* 1620. R. F. P.

82. 83. *e. Alii ejusdem typi* 1621. & 1624.

84. *e.* CHRISTIANUS. IIII. D. G. DANIA. *Effigies Regis erecto corpore.*
NORVEGI: VANDALO: GOTORU: Q: REX * *Corona*, 1621. & *hæ literæ* R. F. P.

85. *e.* CHRISTIANUS. IIII. D. G. DANIA. *Eadem icon.*
NORVEG. VANDAL. GOTOR. Q. REX. & *avicula qvædam. Supra coronam* 1621., *infrà* R. F. P.

Aviculâ in numo hocce ſimilis eidem, qvæ in coronato aureo, à nobis hic TAB. VII. No. 29. memorato, conſpicitur, cenſetur, qvæ upupæ ſpeciem exhibet. Numi qvippe non tantùm aurei ſed & argentei ſic inſigniti inveniuntur in perennem memoriam Viri Conſultiſſimi, *Michaelis Wibe*, qvi Havniæ Conſul Monetæ Regiæ etiam pro tempore Cuſtos fuit ſagaciſſimus, upupam in ſcuto pro inſignibus admodum decoris portans.

86. *e.* CHRISTIANUS IIII. D: G: DANI. NO: V: G: REX. *Integra Regnorum Inſignia, ſed non, ut in cæteris, diviſa in multis clypeis, at in unum majorem collecta.*
BENEDICTIO. DOMINI. DIVITES. FACIT. *Corona operta, ſupra qvam* R. F. P. *infrà* 1624.

87. *g.* CHRISTIANUS. IIII. D. G. DANI. *Imago Regia erectô corpore.*
NORVEG. VANDAL: GOTOR. Q. REX. 1624. *Corona operta.* R. F. P. *Numus eſt craſſior.*

88. *g. Idem anno* 1625. *cuſus.*

89. *e.* CHRISTIAN. IIII. D. G. *Regis icon, coronâ opertâ coronata.*
* NOR: VAND: GOTO. Q. REX. 1624. *Corona item operta.* R. F. P.
Numus eſt ſpiſſior, qvi nomine Coronati dimidii Norvagici venit, titulô Daniæ hic omiſſô.

THALERI IMPERIALES DIMIDII.

90. *e.* CHRISTIANVS IIII. D. G. DANI. *Tres Leones in clypeo coronato, pone qvem crux utrinqve prodit usq; ad oram numi.*
* NORWEGI. VANDA. GOTHORUM. Q. REX.
II. MARCK DANSKE 1604.

Qvatuor enim marcis Danicis numus uncialis, ſeu Joachimicus thalerus, tunc temporis æſtimatus eſt in Dania, &, qvemadmodum antea memi-nimus, ita cuſus eſt, ut ſic II. MARCÆ DANICÆ, qvas numus locô pretii

tii in averſa præfert, effecerint tunc Imperialem dimidium. Aſt marcâ Danicâ ſeu imperiali, qvæ nobis dicitur **en Rigsmark**/ qvia thaleri imperialis pars & qvidem qvarta fuit, ad 20 aſſes hodie Danicos redactâ, marcas qvoq; qvæ hîc ſunt duæ, ſecundùm valorem, colligimus computum eundem accepiſſe, hinc & *Mulenius* noſtras in *numismatis Danor. ſer. X.* non minus rectè ſtatuit marcas has duas jam valere marcis Danicis cum dimidia binis, qvarum ſingulæ ſedecim ſunt aſſium hodie Danicorum.

N. 91. *f.* CHRISTIANUS. D. G. DAN. N. V. G. R. *Imago Regia, cum inſignibus Daniæ.*
MON. NO. CIVI. GLUCKSTA. 1623. *Typus fortunæ.*

Clarè ſatis teſtantur edicta Regis hujus monetaria, qvâ curâ qvaq; probitate ſuam cum illa Imperii Romani monetam exactè æqvalem eſſe voluit, hinc etiam in regnis hiſce eorumq; provinciis conterminis thalerum ſuum, qvi imperialis eſt, partibus ſubjecit novis, juſſitq; hoc anno ab integro ad dimidium imperialem & ſic, qvod conſeqvens erat, ad qvartam octavamq; usq; ad decimam ſextam numi uncialis partes cudendo eſſe procedendum, omnes probi examinatiq; argenti, prout ex nitida earum ſerie hic pateſcit, nec antiqviores hacce ejusdem typi monetas obſervare potuimus. Anno itaq; 1623. non tantùm Tychopoli in Stormaria, ſed & in Norvagia has imperialis partes probitate ſua inſignes primùm procuſas luciq; expoſitas fuiſſe colligimus, cùm etiam detur qvarta Imperialis pars eodem anno in Norvagia cuſa.

92. *f. Ejusdem typi alius* 1625.

93. *f.* CHRISTIANUS 4. D. G. D. N: V: G: *Effigies Regis.*
MO. NO. CIVI. GLUCKSTAD. 623. *Fortunæ typus globo inſiſtentis.*

94. *f. Facies Regis, ſub qvâ:* CHRISTIANUS. IIII. D. G. D. N. V. G. REX. 1624. *Circa caput.* REGNA FIRMAT PIETAS.
BENEDICTIO. DOMINI. DIVITES. FACIT. *Integra Regnorum Inſignia.*

95. 96. 97. *f. Ejusdem typi alii, anno* 1627. 1628. & 1631. *cuſi.*

98. *f.* CHRISTIANUS. IIII. D. G. DANI. NOR. REX. *Imago Regia, cum ſymbolo:* REGNA FIRMAT PIETAS.
BENEDICTIO. DOMINI. DIVITES. FACIT. *Leo cum bipenni* 1629.

99. *f. Alius ejusdem typi* 1630.

100. *f. Adhuc alius planè ſimilis* 1631.

101. *f. Effigies Regis, ſub qva titulus:* CHRISTIANUS. IIII. D. G. D. N. V. G. REX. 1632. *Ad ſuperiorem numi oram.* REGNA FIRMAT PIETAS.
BENEDICTIO. DOMINI. DIVITES. FACIT. *Integra Regnorum Inſignia.*

102. *f.* CHRISTIANVS. IIII. D. G. DANI. NOR. REX. *Imago Regia, cum ſymbolo:*

BENE-

BENEDICTIO. DOMINI. DIVITES. FACIT. *Insignia Norvagiæ.* 1633.

No. 103. 104. 105. 106. *f. Alii ejusdem typi, annis* 1634. 1637. 1638. & 1640. *percussi.*

107. 108. 109. 110. 111. 112. *f. Similes quoad typum & inscriptionem prodierunt annis* 1641. 1642. 1644. 1646. 1647. & 1648.

113. *f.* CHRISTIANUS. IIII. D. G. DANI. N. V. G. Q. REX. *Regis effigies & symbolum, infra pectus Regis 3. Leones in scuto:*
MON. NOV. GLUCKSTADENSIS. 1645. *Typus Fortunæ.*

114 *f.* CHRISTIANUS: IIII: D: G: DAN: N: V: G: Q: REX. *Regis effigies dimidiata cum insignibus Daniæ, infra pectus positis, & symbolo:*
REGNA FIRMAT PIETAS.
MON: NOV: GLUCKSTADENSIS: 1645. *Fortunæ typus.*

THALERI CURRENTES DIMIDII.

115. *f.* CHRISTIANUS. IIII. D. G. DAN. NOR. REX.. *Effigies Regis.*
BENEDICTIO. DOMINI. DIVITES. FACIT. *Leo Norvagicus* 1628.

116. *f. Idem* 1629.

De moneta hac, qvæ justè in suas qvoq; divisa est partes, vide qvæ suprà memoravimus ad thaleros ejusdem commatis integros No. 72. & 73.

CORONATI QVADRANTES, qvi Thaleri simplicis nunc vocantur dimidii.

117. *g.* CHRISTIANUS. IIII. D. G. DANI. *Effigies Regis erecto corpore stantis cum sceptro.*
NORVEG: VANDAL: GOTO: Q. REX. *Corona cum literis* R. F. P. & *anno* 1618.

118. *g.* CHRISTIANVS. IIII. D. G. DANI. *Eadem Regis effigies.*
* NORVEGI* VANDAL: GOTORV: Q. REX. *Corona,* R. F. P. & 1618.

119. *f.* CHRISTIANUS. IIII. D. G. DANI. *Effigies Regis eodem modo.*
NORVEGI. VANDAL: GOTOR. Q. REX. *Corona, cum* R. F. P. 1618.

120. *f. Similis typi alius* 1619.

121. *f.* CHRISTIANUS. IIII. D. G. DANI. *Eadem icon.*
* NORVEGI: VANDALO: GOTORU: Q. REX. *Corona, cum literis Symboli Regis* R. F. P. 1621.

No. 122. *f.* CHRISTIANVS IIII. D. G. DANI. *Regis effigies ſtantis erecto corpore.*
NORVEG. VANDAL: GOTO: Q. REX ✻ *Corona, ſupra quam* 1621. *infrà* R. F. P.

123. *f.* CHRISTIANVS. IIII: D: G. DANIA. *Rex ſtans eodem habitu.*
NORVEG. VANDAL. GOTOR. Q. REX. *Corona, cum æra* 16.2.1. & R. F. P.

124. CHRISTIANVS. IIII. D. G. DANI. *Imago Regia erecto corpore.*
NORVE. VANDAL: GOTOR. Q. REX. 1624. *Corona* R. F. P.
Numus eſt ſpiſſior, ideoq; paulò minoris circumferentiæ.

MARCÆ in Dania olim BINÆ, poſtea ad minus pretium adactæ.

125. *f.* ✠ II. MARCK: DANSKE: 1644.
✻✠✻ IUSTUS יְהוָה IUDEX. ✻ /' ✻.

126. 127. 128. *f. Ejusdem typi alii, anno* 1645. 1646. & 1647. *cuſi.*
Sunt numi, qvos unà cum ſeqventibus ejusdem commatis, minoris qvi ſunt pretii, apophtegmate hoc: JUSTUS יְהוָה JUDEX. Rex glorioſiſſimus *Chriſtianus IV.* ob inopinatam & injuſtam Svecorum anno 1643. in Holſatiam & mox anno 1644. in Cimbriam irruptionem, inſignitos voluit, cœlum effato eodem de vindicta tantæ perfidiæ ſollicitans, teſte *Adam. Oleario in Chron. Holſat. l. 2. c. 4.* In edictis monetariis nomine **en Ny to Marck Stycke** veniunt numi hi, ſinguli duabus marcis Danicis, prout inſcribuntur, valentes, mortuo verò Rege hoc anni 1648. die 23. Febr., ſecundùm Senatûs interregni Daniæ conſultum anno eodem d. 12. Martii octava parte minores ſunt æſtimati.

NUMI MEDIOCRIS MODULI.

129. *g.* CHRISTIANVS IIII. D. G. DANIÆ. *Tres Leones in clypeo coronato, utrinq; ad oram numi crux prominet.*
NORVEGIÆ. SLAVO. GOTTOR. Q. REX.
I. MARCK DANSKE 1.5.9.6.

Marca hæc cum inſeqventibus, anno 1602. 1604. 1606. 1607. & 1608. cuſis, eſt illa, qvæ qvarta, uti diximus, olim in Dania thaleri imperialis pars varias in aſſibus Danicis & pretio ſuo æſtimationes eſt paſſa, qvarum ad Imperialem Regis hujus, hic numero 16. depromtum, meminimus, donec tandem anno 1618. die 1. Maji deſiit eſſe qvadrans thaleri ejusdem, cujus cauſa antea appellabatur **en Rigs-Marck**/ unde anno 1619. d. 16. Novembris ad viginti hodie aſſes Danicos adærata, qvartam partem thaleri currentis, noſtratibus **en Currant-Daler** ſecundùm edictum illud monetarium æqvavit, thalero eodem qvatuor marcas iſtas ſeu octoginta aſſes valente. Ejusdem monetæ diverſi exiſtunt typi, ex qvibus anno 1609. 1612.

1612. 1613. 1614. 1615. 1616. 1617. 1618. 1627. & 1628., partim qvi purioris argenti ſunt, numi iidem fuerunt procuſi, eosdem verò omnes hic deſcribere ſuperſedemus, cùm ubiq; obvii ſint, itaq; rariores puriorisq; argenti hic depromſiſſe ſat erit. Tales & qvi ejusdem pretii anno 1628. thaleri currentis qvadrantes ſunt percuſſi numi *Chriſtiano Oſterſſen in Gloſſario Juridico-Danico* rectè vocantur **en Currant Marck/et 20ß. Danſke** i. e. *marca currens viginti eſt aſſium Danicorum*, in qvo pretio numi tales adhuc perſiſtunt. Ut verò numus exiſteret cuſus, qvi marcis hiſce, pretiò imminutis, æqvalis eſſet, conſtituit Rex idem ſeqventem anno 1644. cudendum, viginti aſſes Danicos exæqvaturum, cujus inſcribtio eſt hæc:

XX. SKILLING. DANSKE. 1644. in poſtica: * JUSTUS יְהוָה JUDEX. * ר *

No. 130. *g.* CHRISTIANVS. IIII. D. G. DANIÆ. *Tres Leones in clypeo coronato, utrinq; ad oram numi crux prominet.*
NORVEGIÆ. SLAVO. GOTOR. Q. REX.
8. SKILLINCK. DANSKE. 1596.
Dimidia eſt prædictæ marcæ pars.

131. *g.* CHRISTIANVS. IIII. D. G. DANI. *Tres Leones, in ſcuto coronato, pone qvod crux usq; ad numi orbem eminet.*
* NORWEGI. VANDA. GOTHO. Q. REX.
I. MARCK DANSKE. 1602.

132. *g.* CHRISTIANVS. IV. D. G. DANI. NOR. VAN. GO. REX. *Crux Dannebrogica elegantior hic ornatiorqve qvàm in cæteris conſpicitur, qvatuor inprimis coronis, qvibus ſingulæ extremitates ornantur, conſpicua, & in qvatuor angulis totidem clypeis minoribus, qvorum primus tres Leones & corda novem, inſignia Daniæ, ſecundus Leonem Norvagicum cum bipenni, tertius Leonem cum novem cordibus, Cimbriam noſtram qvi repræſentat & qvartus Draconem, vetuſtum Slavorum Wandalorumq; inſigne, continet. Qvintus adhuc clypeus medium crucis ornat, in qvo trabes duæ, inſignia Familiæ Oldenburgicæ, viſuntur, numeri qvoq; anni Chriſtiani* 1602.
DUX. SCHLES. HOLS. STOR. DIT. COM. IN. OLDE. ET. DEL.
Reliqva Ducatuum atq; Provinciarum inſignia clypeis octo.

Numus eſt puriſſimi argenti & elegantiæ, ut dictum eſt, ſingularis, qvadrantibus thaleri imperialis accenſetur, firmo ſuo, qvamvis inter veteres, æſtimationis talo ſtans, cùm qvartam ſuo pondere & probitate expleat thaleri prædicti partem.

133. *h.* CHRISTIANVS. IV. D. G. *Elephas, cujus dorſo impoſita eſt turris militibus repleta, ante qvam Æthiops in collo, vexillumqve pone turrim eminet affixum, dorſuale literâ C. coronatâ inſignitum eſt.*
* DANI. NORVEG. VANDA. GOTHO. REX.
VIII. SOLIDI. 1603.

Nu-

Numus eſt, qvi non tantùm argenteus, verùm etiam aureus in liberalitatem Regis populo Hamburgi anno 1603. eſt ſparſus, die 30. Octobris, cum Majeſtati Ejus Senatus Populusq; urbis ejusdem homagium præſtitiſſent. Hujus typi datur etiam numulus, qvatuor ſolidorum.

134. *g.* CHRISTIANVS IIII. D. G. DANI. *Idem Leones Danici in ſcuto coronato, cum cruce Dannebrogica, pone ſcutum eminente.*

* NORWEGI. VANDA. GOTHORUM. Q. REX.

1. MARCK DANSKE 1604.

135. *g.* CHRISTIANUS. IIII. D. G. DANI. *Regis icon, ſupra qvam corona aperta.*

* NORWEG. WANDA. GOTORVM. Q. REX.

1. MARCK DANS. 1606. *Tres Leones, qvibus novem interſeruntur corda in ſcuto.*

136. *g.* *Ejusdem typi alius, anno* 1607.

137. *g.* CHRISTIANVS: D. G. DANIÆ. 1608. *Regis icon coronata & cataphracta.*

NORVE: VAND. GOTO: Q. REX.

1. MARCK DANSK. *Tres Leones, qvibus corda novem intercurrunt in ſcuto, hinc laurûs ramô, illinc palmæ exornato.*

138. *h.* CHRISTIANUS. IIII. D. G. DAN. 1606. *Regis icon itidem coronata & cataphracta.*

NORV: VAND. GOT: Q: REX.

VIII. SKILLINK DANSK. *Tres Leones, qvibus novem corda circumpoſita ſunt in ſcuto, hinc lauri ramô, illinc palmæ item inſigni.*

Numus hic cum cæteris ejusdem fermè typi, anno 1607. & 1608. procuſis, dimidium marcæ Danicæ, qvæ præcedit, explevit pretium, & ſic octavam olim thaleri imperialis partem, qvemadmodum marca hæc Danica qvartam; qvatuor qvippe marcæ Danicæ, qvarum ſingulæ ſedecim erant aſſium tunc Danicorum, uncialem numum conſtituebant, aſt marcá hac toties pretiò imminutâ, de qva fuſiùs ſuprà hic ad numos No. 16. & 129., ejus dimidia pars, qvæ *VIII. Skillinck Dansk* inſcribitur, minorem paſſa qvoq; eſt æſtimationem, decem valens aſſes hodie Danicos, qvorum 96. qvoq; efficiunt thalerum imperialem.

139. *h.* CHRISTIAN. IIII. D. G. DANI. *Regis effigies coronata, corpore erecto & cataphracto ſtans, dextrâ ſceptrum tenens, gladio accincta.*

* NORV. VAND: GOTO: Q: REX. *Corona aperta, ſuprà* 1618. *infrà* R. F. P.

Eſt Coronati pars octava.

140. *g.* CHRISTIANUS. 4. D: G. D. N: V: G: *In medio conſpicitur ſigla Regii nominis cum corona, tali figurâ*

MO: NO: CIVI. GLUCKST. 623. *Typus Fortunæ globo inſiſtentis.*

No. 141.

141. *g.* CHRISTIANUS. 4. D. G. D. N. V. G. *Eadem ſigla*
MONETA. CIVI. GLVCKST. 623. *Fortuna typus.*
Didrachma ſunt, ſeu thaleri imperialis qvadrantes.

142. *g.* CHRISTIANVS. 4. D: G: D: N: V: G: *In area numi*
MO. NO. CIV. GLVC. 23. *Fortuna imago.*
Uncialis octava eſt pars, ſeu drachma.

143. *h.* CHRISTIAN. IIII. D. G. DA. *Tres Leones, qvibus circumponuntur corda novem in ſcuto coronâ opertâ coronato, utring; crux eminet.*
* NORWE. VANDA: GOTOR. Q. REX.
XXIIII. SKILLING. DAN. 1624.

Numus eſt aliqvantum ſpiſſior. Senatu Daniæ anno 1625. ſic flagitante, conſtituit Rex die 4. Maji ejusdem anni, ut non tantùm moneta in regnis provinciisq; ſuis poſthac cudenda, ſed etiam cuſa ob commercia mutua exactè æqvalis eſſet cum illa gentium conterminarum, hinc etiam nova numi, qvi juſtæ non erant probitatis & ponderis, paſſi ſunt æſtimia, ita ut numisma hoc, anno 1624. cuſum, qvod ſecundùm ejus inſcribtionem XXIIII. erat aſium Danicorum & in prædicta conſtitutione monetaria dicitur et fire og Tyſue Skilling Stycke/ poſtea tantùm valiturum ſit 20. aſibus Danicis, in qvo pretio etiamnum perſiſtit.

144. *h.* CHRISTIANUS IIII. D: G: DA: *Inſignia Daniæ, tres Leones in clypeo coronato.*
* XVI. SKILLIN. DAN. 1624.

145. *h. Ejusdem typi alius, anno* 1625. *percuſſus.*
Juxta edictum Regis proximè memoratum numus hic cum antecedenti pretiò deceſsit ad aſſes tredecim cum albo uno Danicos.

146. *i.* CHRIS. 4. D. G. D. N. V.
cum corona aperta:
VI. SCHILLING. LUBS. & *æra Chriſtiana* 625.

147. *i.* QVID NON PRO RELIGIONE. *Sigla nominis Regis Chriſtiani Qvarti cum corona operta.* In poſtica:
* NACH REICHS SCHROT. V. K. *in area numi* *I* GUTER GROSH 1627.

Numisma hoc eſt, qvod rarum & carum, in poſtica ſua profitetur ſe cuſum eſſe ſecundùm probitatem & pondus, qvod in monetis Imperii Romani tunc erat, & uti illic dicitur Nach Reichs-Schrot und Korn. Sic enim numò hòc Glorioſisſimus Rex, *Chriſtianus IV.*, bellum contra Cæſarianos gerens, militi, ſub eo merenti, ſtipendium perſolvere voluit, ut etiam miles apophthegmatis Regii memor eſſet: QVID NON PRO RELIGIONE.

No. 148. *h.* CHRISTIANUS IIII. D. G. DANI. 1627. *Regis icon coronâ opertâ insignis.*
NORV. VANDA. GOTO. Q. REX. *Tres Leones in scuto coronato, pone quod crux Dannebrogica ad oram numi eminet.*
Octava est numi uncialis pars, seu drachma.

149. *i.* CHRISTIANUS IIII. D. G. DAN. N. &c. REX. ❁ *Regis, opertâ coronâ coronati, icon.*
BENEDICTIO DOMINI DIVITES FACIT. *Leo cum bipenni* 1628.

150. *i. Alius ejusdem typi, anno* 1629. *cusus.*
Numus hic cum proximè præcedenti thaleri currentis, nobis ein Currant-Daler dicti, octava est pars.

151. *g.* CHRISTIANVS. IIII. D. G. D. N. REX. *Imago Regia, cum symbolo:* REGNA FIRMAT PIETAS.
BENEDICTIO. DOMINI. DIVITES. FACIT. *Leo cum bipenni* 1629.

152. *g.* CHRISTIANUS. IIII. D. G. DANI. NOR. &c. REX ✣ *Effigies Regis coronata, circa quam* REGNA FIRMAT PIETAS.
BENEDICTIO DOMINI DIVITES ✱ FACIT ❁ *Leo cum bipenni* 1631.

153. *g.* CHRISTIANVS. IIII. D. G. DANI. NOR. REX. *Effigies Regis, cum symbolo:* REGNA FIRMAT PIETAS.
BENEDICTIO. DOMINI. DIVITES. FACIT. *Insignia Norvagiæ.* 1633.

154. *g.* CHRISTIANUS IIII. D: G: DA. NO. &c. REX ❁ *Effigies coronata, circa quam* REGNA FIRMAT PIETAS.
BENEDICTIO. DOMINI. DIVITES. FACIT. *Leo cum bipenni* 1639.

155. *h.* CHRISTIA 4. D. G. DAN. N. V. G. R. *Icon Regis, coronâ opertâ, infrà tres Leones, quibus circumposita sunt corda novem in scuto.*
RE. MAJ. MO. PROVINCIALIS. 8. S. L. *cum figura ponderis. Fortuna effigies &* 1641.

156. *h. Idem* 1642.

157. *h.* ✠ XVI. SKILLING. DANSKE. 1644.
✱❁✱ IUSTUS יְהוָה IUDEX. ✱ /ᚴ ✱.

158. *h. Alius ejusdem typi, anno* 1645. *percussus.*
Numismata hæc sunt, quorum singula sedecim asses Danicos valentia, ex interregni Daniæ Senatûs Consultu ad quatuordecim assium anno 1648. d. 12. Martii pretium sunt redacta & imminuta.

159. *h.* CHRISTIA. IIII. D. G. DAN. N. V. G. R. *Regis icon, coronâ opertâ. Tres Leones infrà, quibus 9. corda circumponuntur.*
REG. MAJES. MO. PROVINCIALIS: VIII. L. S. *Fortuna figura &* 1645.

No. 160. *g.* CHRISTIANUS IIII. D. G. DANI. NOR. REX. *Icon Regis cum ſymbolo :* REGNA FIRMAT PIETAS.
BENEDICTIO. DOMINI. DIVITES. FACIT. *Inſignia Norvagica* 1646.
Qvarta pas eſt numi uncialis.

NUMI MINORIS MODULI & PRETII.

161. *i.* CHRISTIANVS 4. D. G. DANIE. *Tres Leones in clypeo, cruce utrinq; eminente pone ſcutum.*
NOR. VAND. GOTO. Q. REX. ELECTVS.
II. SKILLINCK. DANSKE. 94.

162. *k.* CHRISTIANVS. 4. D. G. DANIE. *Tres Leones in ſcuto, pone qvod crux item eminet.*
NORV. VAND. GOTO. Q. REX. ELECTVS.
I. SKILLINCK DANSKE. 95.

163. *i.* CHRISTIANVS. 4. D. G. DANIE. *Leones tres in ſcuto prædicto.*
NOR. VAND. GOTO. Q. REX. ELECTUS.
II. SKILLINCK. DANSKE. 95.

164. *h.* CHRISTIANVS. IIII. D. G. DANIÆ. *Scutum coronatum, in qvo tres comparent Leones, cruce pone clypeum utrinq; eminente ad oram usq; numi.*
NORVEGIÆ. SLAVO. GOTO. Q. REX.
IIII. SKILLINCK. DANSKE. 1596.

165. *i.* CHRISTIANVS IIII. D. G. DANIÆ. *Memorati Leones in ſcuto coronato.*
NORWEGIÆ. SLAVO. GOTOR. Q. REX.
II. SKILLINCK DANSKE. 1596.

166. *h.* CHRISTIANVS. IIII. D. G. DANI. *Tres Leones in ſcuto, uti antea, coronato.*
NORVEG. VANDA. GOTHO. Q. REX.
IIII. SKILLINCK DANSKE. 1602.

167. *l.* CHRISTIANVS IIII. D. G. DANI. *Leones in ſcuto memorato.*
NORVEGI. VANDA. GOTH. Q. REX. *Icon Regis coronata.*
Numulus eſt admodum elegans, faciem Regis juvenis, qvaſi ad vivum repræſentans.

168. *l.* CHRISTIANVS IIII. D. G. DAN. *Clypeus forma ſingularis, qvem crux pertranſit, extremitatibus aliqvantùm dilatatis.*
NORVE. VANDAL. GOT. REX. C. *coronatum* 1602.
Numulus eſt cupreus.

No. 169. *l.* CHRISTIANVS. IIII. D. G. DANI. *Scutum, qvod crux pertranſit in area numi.*
* NORVEGI. VANDA. GOT. REX. C. *coronatum* 1602.
Albi hi duo vocantur *cruciati*, noſtratibus Kaars-Hvider.

170. *l.* C. *coronatum.* 1602.
II. PENNING.

171. *l.* C. *coronatum* 1602.
PENNING.

172. *l.* C. *coronatum* 1602.
Poſtica numuli pars planè eſt raſa.

173. *k.* CHRISTIANVS. IV. D. G. *Militibus repleta turris elephantis dorſo, cum Æthiope ante turrim, poſt verò vexillô affixô, impoſita, dorſuale* C. *coronatô itidem eſt inſignitum.*
* DANI. NORVE. VAN. GOT. REX.
IIII. SOLIDI. 1603.

174. *h.* CHRISTIANVS IIII. D. G. DANI. *Tres Leones in ſcuto coronato, pone qvod crux utrinqve eminet.*
* NORVEGIÆ. VANDA. GOTHOR. Q. REX.
II. SKILLING. DANSKE. 1603.

175. *h.* CHRISTIANVS. IIII. D. G. DANI. *Leones tres in clypeo coronato, more ſolito.*
* NORWEGI. VANDA. GOTHO. Q. REX.
IIII. SKILLINCK. DANSKE. 1604.

176. *i.* CHRISTIAN. IIII. D. G. DANI. *Tres item Leones in ſcuto prædicto.*
* NORVEGI VANDA. GOTO. Q. REX.
II. SLILLINCK. DANSKE. 1605.

177. *k.* CHRISTIANVS. IIII. D. G. DANI. *Icon Regis* 1606.
NORVE. VANDA. GOTHO. REX.
IIII. SKILNK. *Scutum, in qvo tres Leones, cordibus novem interpoſitis.*

178. *k.* CHRISTIANVS IIII. D. G. DA. 1608. *Regis effigies.*
* NORVE. VAND. GOTO. Q. REX.
IIII. SKILLINK DAN. *Clypeus, in qvo Leones prædicti.*

179. *h.* CHRISTIANVS. IIII. D. G. DANI. *Tres Leones, qvibus circumpoſita novem corda in ſcuto ſolito.*
* NORVEGI. VANDALO. GOTO. REX.
IIII. SKILLING. DANSKE. 1609.

No. 180. *k.* CHRISTIANVS IIII. D. G. DA. 1609. *Regis effigies cataphracta.*
✠ NORV. VAND. GOTO. Q. REX.
IIII. SKILLINK DAN. *Scutum, in qvo Leones tres.*

181. *k.* CHRISTIAN. IIII. D. G. DANI. *Tres Leones in ſcuto coronato, more ſolito.*
* NORVE. VANDA. GOTO. REX.
II. SKILLING DANSKE. 1609.

182. *l.* * CHRISTIAN. 4. D. G. *Crux clypeum pertranſiens.*
NOR. VAN. GOT. REX. C. *coronatum, in qvo* 1614.

183. *k.* CHRISTIANVS. IIII. D. G. DANI. *In area numi Corona aperta, &* R. F. P.
* NORVE. VAND. GOTO. REX. 1616.
VIII. SLILLING. DAN. *& Numeri* 18.

184. *k. Alii ejusdem typi, anno* 1602. *&* 1621. *cuſi.*
Tres proximè præcedentes ſunt numi, qvi cum cæteris ejusdem commatis juxta memoratum Regis mandatum, die 4. Maji anni 1625. editum, pretiò qvoq; imminuti ſunt, ab octo ad aſſes ſex cum albis binis Danicos decedentes.

185. *i.* ✠ CHRISTIANVS. IIII. D. G. DAN. 1619. *Corona aperta &* R. F. P.
* NORVEGI. VANDA. GOTO. REX.
VIII. SKILLING. DAN. *& numerus* 12., *qvi denotat duodecimam numi uncialis partem.*

186. *k.* CHRISTIAN. IIII. D. G. DAN. *Corona aperta* R.F.P.
* NORV: VAN. GOT. REX. 1619.
IIII. SKILLING. *& numeri* 24, *qvi deſignant, qvota ſit numi uncialis pars.*

187. *l.* CHRISTIAN. 4. D. G. DAN. *Corona aperta, cum literis ſymboli Regii* R. F. P.
* NOR. VAN. GOT. REX. 1619.
II. SKILLING. 48. *Numerus ille indicat numum hunc qvadrageſimam octavam eſſe uncialis numi partem.*

188. *m.* R. F. P.
I. SKILL. 1619. *& numeri* 96. *qvi deſignant, qvota ſit pars numi uncialis. Puri eſt argenti.*

189. *m.* * CHRISTIA. 4. D. G. D. *Corona aperta.*
I. SKILLING DAN. 1619.

190. *m.* CHRISTI. 4. D. G. DAN. *Figura upupæ & Corona aperta in intermedio numi.*
II. SKILLING. DAN. 1520. *Puri eſt argenti.*

No. 191. *m.* * CHRISTIAN. 4. D. G. DA. *Corona aperta.*
II. SKILLING. DAN. 1620. *Numeri* 72.

192. *l.* R. F. P. *.
8. SKILLING DAN. 1622.

Dantur alii, ejusdem qvi sunt typi, annis 1623. 1624. 1625. percussi, anno autem Christi, qvi hic ultimus est, sua qvoq; æstimii fata numi hi habuère ab octo assibus, prout toties laudatum Regis edictum monetarium profitetur, ad pretium 6. assium cum albis duobus Danicorum adacti, ut jussu Regis, unà cum cæteris pretio imminutis, probitate argenti æqvales essent cum moneta thaleri imperialis.

193. *l.* CHRISTIAN. IIII. D. G. D. *Tres tantùm Leones in scuto coronato.*

VI. SK. 1622.

Numus est aliqvantùm spissus.

194. *l.* CHRIS. 4. D. G. D. *Sigla regia in area numi coronâ insignis, infra qvam numeri* 16., *designantes, qvota sit pars numi uncialis.*
MO: NO: CIV: GLVC: *Typus fortunæ globo insistentis.*

195. *k.* CHRI. 4. D. G. D. *Sigla item regii nominis coronata in medio, infrà numeri barbari* 16.
MO. NO. C. GLV. 23. *Fortunæ figura, globo qvoqve insistens.*

196. *l.* CHRIS. 4. D. G. D. *Character regii nominis coronatus, infrà prædicti numeri.*
MO: NO: CI: GLV: 23. *Eadem, qvæ antea, fortunæ figura.*

197. *k.* CHRI. 4. D. G. D. *Sigla regii nominis coronâ exornata, infrà numeri soliti.*
MO: NO: C: GL. 24. & *memoratus fortunæ typus.*

Numi hi cæteriq;, Tychopoli percussi, veri sunt testes inde ab anno 1623. ex civitate eadem, cujus gratiosissimus stabilitor & stator fuit Rex *Christianus IV.*, justa serie prodiisse monetam perqvam splendidam, processumq; ibi fuisse à thalero imperiali ad decimam sextam ejus partem, cujus ectypa Holsatiæ totiq; Saxoniæ inferiori, sub nomine Dötchens inservitura erant: Nominis verò ejusdem ejusdemq; pretii numos Circulo Saxoniæ inferioris conterminisq; gentibus diu antea in usu fuisse nulli dubitamus, qvorum, nî fallimur, *Cambdenus* in libro suo, *Remaines* dicto, pag. 186. sub Rege *Henrico V.* circa annum 1415, etiam meminit, *Dodkins* qvi fuère appellati, eosdemq; mandatis severis in Angliam inferri prohibitos fuisse asseverat: Existimant qvippe Antiqvarii nostrates ejusdem commatis numos ex Frisiæ oppido *Dodekum*, contractè jam *Dokum*, profluxisse, hincq; nomine *Dodekums* & *Dödkins*, nostratibus Dötchens & Dötkemer/venisse & ejusdem valoris fuisse, trium nempe assium Lubecensium, qvemadmodum nostri in eodem pretio persistunt. Series præterea eorundem numismatum hîc longa datur, qvi Rege hoc & Successoribus ipsius

ipsius Potentissimis *Friderico III.* & *Christiano V.* ad gubernacula regnorum & Ducatuum sedentibus, cusi ibi fuerunt.

No. 198. ℔. CHRISTIANUS. IIII. D. G. D. *Tres Leones in scuto coronato.*
VI SKILLING. DANSK. 1.6.2.8. *

199. ℔. CHRISTIANUS IIII. D. G. DA. *Tres Leones in scuto coronato.*
VI SKILLING. DANSK. 1.6.2.9. *

Priores duo numi, qvamvis examinati fuerint argenti, attamen ut sua probitate argenteâ æqvales essent cum moneta thaleri imperialis, varias & vagas qvoq; passi sunt æstimationes, qvi non tantùm anno 1625. die 4. Maji à lex assibus Danicis, qvo valore sunt cusi, ad qvinq; decesserunt, verùm postea etiam anno 1629. die 10. Octobris albi unius pretium cuilibet additum, utpote qvi probioris argenti deprehensi sunt. Et anno dicq; ultimò memorato percipimus ex constitutione eadem Regem ob mutua cum gentibus vicinis commercia novas sanciviſſe leges monetarias, ita ut posthac cuderentur numi assium Danicorum octo, qvatuor, duorum & unius, qvi in marca essent 14. graduum argenti puri, vel, ut explicitiùs dicamus, marca sic haberet in assibus his 14. semuncias argenti probi, qvibus ad supplendum marcæ pondus 2. semunciæ addebantur cupri, ex qva mixtura asses tales in Dania fabricabantur, tantæ probitatis & tam accurati typi, ut etiamnum conterminorum monetas admodùm superent.

200. *m.* CHRISTIA. 4. R. D. *Icon Regis coronâ opertâ.*
S℔SLING. 1624. *

201. *l.* CHRISTIAN. 4. D. G. *
S℔SLING. DANS. 1631. *In scuto qvodam.*

202. *m.* CHRISTIAN. 4. D. G. D. *Tres Leones in scuto coronato.*
II. SKILLING DANS. 1632. *

203. *m.* CHRISTIAN. 4. D. G. D. N. R. *Leo cum bipenni.*
II. SKILLING DANS. 16*42.

204. *l.* CHRISTIAN: D. G. DAN. *Leo cum bipenni.*
NOR. VAN. GOTO. REX. 1644. * *In area numuli qvatuor sola longa* IIII. *pretium indicantia qvatuor assium Danicorum.*
Est puri argenti.

205. *i.* IIII. SKILLING. DANSKE.
IUSTUS יְהוָה IUDEX. 1644.

206. 207. *Alii ejusdem typi, anno* 1645. & 1648. *percussi.*
Numi sunt, qvi ex Senatûs Consultu interregni Daniæ d. 4. Maji 1648., uti ante memoravimus, dimidiò pretiò imminuti sunt, duobus solidis singuli etiamnum valentes. Juxta edictum Regis, anno 1648 die 28. Novembris datum, primùm sunt cusi, ita ut in marca essent qvatuor graduum probi argenti.

No. 208.

No. 208. *n.*  Bracteatus est numulus, assis dimidii in Dania valorem habens, illô minorem in argento puro numum nulla ætas, qvod sciamus, antea viderat.

NUMI QVADRATI ET TRUNCATI.

209. CHRISTIANVS IIII. D. G. DANI. 1612. *Regis coronati effigies dimidiata.*
NORV. WANDA. GOTO. Q. REX *
1. MARCK DANSKE. *Insignia regni Daniæ, tres nempe Leones in clypeo.*

Numus est fermè qvadratus, qvi Marcis Danicis accensetur, de qvibus suprà diximus ad numum No. 129.

210. CHRIS. IIII. D. G. D. *Tres Leones in scuto coronato.*
NOR. VAN. GOT. REX. 1622. *Sigla Regia*  *infrà* XII. SK.

Numisma est aliqvantum truncum & spissum duodecim assium Danicorum, prout pretii inscribtio XII. SK. indicat, juxta edictum verò Regis monetarium postea ab anno 1625. d. 4. Maji decem solidos Danicos valiturum.

211.  *Regii nominis character apertâ coronâ coronatus & literis* R. F. P. 8. SKILLI. 1622.

Est qvoq; numus spissus & aliqvantum truncatus, qvi secundùm mandatum Regis antea laudatum ab 8. assibus Danicis ad pretium 6. solidorum cum duobus albis ejusdem monetæ imminutus.

212. CHRISTIANVS. 4. D. G. DA. *Effigies Regis coronata.*
TANDEM BONA CAUSA TRIUMPHAT. 1629.

Qvemadmodum ex hujus numi truncati æra Christiana & *Joh. Mulenii Numismatis Dan. Classe III. ser. IX. No. 2.* patet, numus hic, qvi typi est elegantis, in pacem, qvam Rex Glorioſisſimus *Christianus* IV. ab Imperatore *Ferdinando* II. tandem sibi hoc anno vindicavit, cusus videtur, cui Rex, justissimâ causâ fretus, meritò inscribi curavit: Tandem bona causa triumphat.

213. REX *eqves opertâ coronâ exornatus, sceptrum dextrâ circa medium corripiens, infrà* Z. S. L.
CHRISTIAN DER. 4. VAN GOTT. GNA. KONNIG IN DENNEMARKEN.

Numisma hoc cum cæteris ejusdem commatis, item urticæ folio, eqvite Dithmarsico & clavibus Bremensibus insignitis, negligenterq; truncatis, *Joh. Mulenio* in numismatibus suis *Class. III. ser. VII. & VIII.* est *numus eqvitis*, qvemadmodum alii urticæ folio insignes, nostratibus Ryttер-Mynt & Nelleblad. Cusi sunt numi illi, Holsatiæ inferioriq; Saxoniæ inservituri, duplices & simplices, qvorum priores secundùm inscribtionem pretii 4. S. L. qvatuor solidos Lubecenses, posteriores dimidium, Z. S. L. solidos nem-

nempe duos Lubecenſes, prout inſcribtio pretii indicat, ante annum 1622. & diem 16. Auguſti valebant; At monetâ in Dania aliqvibus in numis æſtimio aliqvantùm imminutâ, numi hi, qvi 2. aſſium erant Lubecenſium ſeu qvatuor Danicorum in conſtitutione monetaria, prædicto anno & die datâ, ad pretium trium aſſium Danicorum cum dimidio, qvemadmodum & Simplices ejusdem monetæ anno 1625. d. 4. Maji albo uno adhuc viliores & duplices binis ſunt æſtimati minores.

No. 214. REX, *uti apparet, & eqves, haſtam puram ſeu potius ſceptrum dextrâ tenens, qvidam ſentiunt hîc eqvitare S. Georgium, etiamſi in averſo exſtet:*

Van g. gnaden Chriſtian der IIII. konic in dennemarken /

Numus eſt oblongus, & negligenter truncatus, qvi denominationem ſuam apud Ruſſos ſortitus eſt à figurâ eqvitis in eo haſtati, *Copéjek* enim illis eſt *haſtatus*. Mercatoribus hodiernis inde etiam nomine **Copeck** venit, & qvadrageſima octava pars habetur numi uncialis, qvippe cujus pretium exactè patebit ex Mandato MS. Monetario Regio *Johanni Poſt*, de numulo hoc cudendo Havniæ à glorioſisſimo Rege CHRISTIANO IV. Anno 1619. die 5. Aprilis dato, verba vernacula ſic ibi jacent: **At 48. Dænninger ſkal veje 1 Rigsdaler og være af Prøve ſom Rydſke Dænninger/** adeo ut numuli hi, qvia Danicæ ſunt incudis & probitatis ejusdem cum Ruſicis, **Dænninger** & **Rydſke Dænninger** noſtratibus forſan ſint vocitati. Ejusdem commatis datur numulus alius, inſcribtione eâdem ſed Ruſicô idiomate inſignitus. Numi tales primitùs cuſi narrantur, ut æqvè ac Ruſici Lapponibus tam Danico qvàm Czaréo imperio parentibus eſſent uſuales, ad merces vel commercandas vel permutandas, ut ſumma pretii juſtè ſuppleretur. Danici verò adhuc Ruſis in uſu rarò jam ſunt obvii, noſtratibus verò rariùs occurrunt. Sine dubio etiam *Joh. Mulenius* in numismatis ſuis Dan. Claſſ. III. ſer. VII. talem qvoq; poſſedit numulum, qvem ſub nomine *numi eqvitis dimidii* depromſit, cujus valorem unius ſolidi Danici cum dimidio tunc conſtitutum fuiſſe meminit.

Et ſic numos Regis Potentisſimi *Chriſtiani IV.* depromſiſſe ſatis ſuperq; eſſe putamus, ex qvibus partim conſtabit, qvomodo & qvando per Daniæ regna monetæ & numi, qvo item pondere, qva probitate, qvo valore & qvibus nominibus proceſſerunt.

REGINÆ SOPHIÆ,

Conjugis Regis FRIDERICI II. & Matris CHRISTIANI IV.

Numus hic, qvi aureus, etiam aureis Reginæ ejusdem meritò inſerendus erat numismatis, aſt qvoniam ſeriùs inventus, decorum hic illi dediſſe locum arbitramur, ut Matris Reginæ numus aureus, ſecundùm effatum Regis Salomonis, *velut malum aureum in ſculptura argentea*, inter filii numos argenteos coruſcaret. Bracteatus eſt ideoq; eximiæ raritatis,

tis, ex terra munimenti Helſingburgi in Scania erutus, dum anno 1709. miles Danus munimen idem in Regis ſuiq; tutamen extenderet, aſſultu jam antea die 12. Novembris ejusdem anni ex claſſe Danica in littora amnis *Raa*, qvi in Scania eſt, ductu Regis Auguſtisſimi FRIDERICI IV. jam facto: Numum ex auro æri inciſum ſic conſpicimus:



Regina præterea hæc fuit auri adeò ſtudioſa, ut etiam in artes chemicas, inprimis imitatione parentis, propenſa fuerit ſummopereq; ſtudiis iisdem delectata, teſte *Gaſſendo in vita Tychonis Brahe pag. 68.*, hinc & Tychonem dilaudatum, in inſula Hvena & Uraniburgo ſuo degentem, toties conſultum illam inviſiſſe hiſtoriarum patriarum monumenta memorant, nec procul hinc, ad munimentum Helſingburgi, numisma hoc repertum Reginæ, qvæ fuit tunc temporis, perhibente Anglo Eqvite, *James Howel in Epiſt. Ho-Elianis* Vol. 1. ſect. 5. ep. 40. in orbe Chriſtiano ditisſima æſtimata.

ANNÆ CATHARINÆ, REGINÆ CHRISTIANI IV.

No. 1. *d.* CHRISTIANUS. IIII. D. G. DANO. VA. GO. Q. REX. DUX. SCHLE. HOL. STOR. *Imago laureati Regis.*

ANNA. CATERINA D. N. V. G. R. M. B. A. S. D. C. O. D. CO. I. OL. ET. DE. *Effigies Reginæ. Numus eſt inauratus.*

Principis CHRISTIANI, Filii Regis CHRISTIANI IV.

No. 1. *d.* IN. NO. DOMI. SERENISS. PRINCI. ET. DOMINO. D. CHRISTIANO. D. G. V. REGI ELECTO. DANI. NOR. VAN. GOT. Q. EC. SOLENN. ORDIN. OMNIUM. HOMAGIUM. *Liber cum ornamentis Regiis, ſub qvibus:* ANNO cIↃ. IↃ. CX. VE. NO. INE.

A poſticâ parte:

Typus Pietatis & Juſtitiæ manus jungentium, inter qvas: DEUS. JUDICIUM. TUUM. REGI. DA. ET. JUSTITIAM. TUAM. FILIO. REGIS. PSALM. LXXII. *Supra hanc Corona laurea cum literis:* D. N. S. *Ad infimam Numi oram:* PROVIDEBIT AN. ÆT. VII.

Percuſſus hic Numus eſt in Homagium Sereniſſimo Principi Chriſtiano, Regis Chriſtiani Qvarti filio, ab Ordinibus Regni Daniæ, Anno 1610. d. 14. Martii. Vere Novo Ineunte, præſtitum, qvemadmodum literæ VE. NO. INE. indicare videntur. Princeps fuit fortisſimus, qvi in itinere ad thermas Carolinas in arce Corbitz non procul Dresdâ d. 2. Junii Anno 1647. obiit.

RE-

REGIS FRIDERICI TERTII.

NUMI SYMBOLICI.

No. 1. *d.* FRIDERICUS. III. DEI. GRATIA. DANIÆ. NORVEGIÆ. VANDALORUM GOTTORUM REX. *Effigies Regis.*
Aversa numi facie nulla est inscriptio, Rex autem Eqves ibi aspicitur.

2. *c.* FRIDERICUS. 3. D. G. DAN. NOR. VAN. G. REX. *Effigies Regis.*
SOPHIA AMALIA REGN. DAN. *Imago Reginæ.*
Numus est oblongus.

3. *b.* DOMINUS PROVIDEBIT. *Imago Regia.*
A DOMINO REGNUM VENIT: *Nomen Regium*  *cum ornamentis Regiis.*

4. *d.* DOMINUS PROVIDEBIT. *Nomen Regium eodem, quo supra, modo expressum, cum adscriptione:* EBEN EZER.
SOLI DEO GLORIA. *Exserta è nube manus aliam manum amputans, quæ coronam quandam appetit.* II. *Febr.*

5. FRIDERIC. III. D. G. DAN. NOR. VAN. G. REX. *Imago Regia.*
1659. DEN XI. FEBR. SEINT. DIE. SVED. ZU. NACHT. UMB 2. VOR. COPENH. MIT. EIN. GENERAL. STURM. ANGEFALN UND SIE GEENDET. MORGENS. UMB. 5.
Intra hæc, ad superiorem numi partem: Manus cum gladio brachium amputans, quod coronam appetit: amputanti vero manui adscriptum est DAN. *Brachio amputato* SVED. *Coronæ verò:* COPENHAFEN. *Ad inferiorem partem:* EBEN EZER: SOLI DEO GLORIA. FRID. 1660. Den 27. Maji. *Annus & Dies est pacis cum Suecia initæ.*
Numus est oblongus.

6. *Idem cum novis Hafniæ Insignibus.*

IMPERIALES TRIPLICES.

7. *d.* FRIDERICUS. III. D. G. DAN. NOR. VA. GO. REX. *Effigies coronati Regis.*
DOMINUS. PROVIDEBIT. *Leo Norvagicus.*

8. *d.* FRIDERICUS. III. D. G. DAN. NOR. VAN. GOTO. REX. *Imago Regia.*
DOMINUS. PROVIDEBIT. 1658. *Leo Norvagicus.*

9. *d.* FRIDERIC. 3. D. G. DAN. NOR. VAN. GOT. REX. *Effigies laureati Regis.*
DOMINUS. PROVIDEBIT. *Insignia Regnorum.* 1665.

IM-

IMPERIALES DUPLICES.

10. *d.* FRIDERICUS: D: G: ARCH: & EPISC: BREM: & VERDEN. *Effigies dimidiata Principis, circa quam Symbolum :* DOMINUS PROVIDEBIT. In aversa:
C: HALB: HÆ. NOR: D. SLE. HOLS: STO: DIT: C: O: E. D: 1641. *Insignia Episcopatuum, Ducatuum, nec non Norvagiæ.*

11. *d.* FRIDERICUS. 3. D. G. DAN. NOR. VA. GO. REX. *Imago Regia.*
DOMINUS PROVIDEBIT. 1650. *Leo Norvagicus.*

12. *d.* FRIDERICUS. III. D. G. DAN. NOR. VAN. GOT. REX. *Effigies Regis.*
DOMINUS PROVIDEBIT. 1656. *Integra Regnorum Insignia.*

13. *d.* FRIDERICUS. 3. D. G. DAN. NOR. VA. GOTHOR. REX. *Facies Regis.*
DOMINUS PROVIDEBIT. 1657. *Leo cum bipenni.*

14. *d.* FRIDERICUS. III. D. G. DAN. NOR. VA. GOTHOR. REX. *Imago Regia—.*
DOMINUS. PROVIDEBIT. 1658. *Insigne Norvagiæ.*

15. *d.* FRIDERIC. III. D. G. DAN. NOR. VAN. GOT. REX. *Effigies Regis.*
DOMINUS PROVIDEBIT. *Regnorum Integra Insignia.*

16. *d.* FRIDER. III. D. G. DAN. NOR. VAN. GOT. REX. *Imago Regis.*
DUX. SLES. HOL. STOR. DITM. COM. OLD. ET. DELM. *Insignia Regnorum integra. Circa extimam verò numi oram:*
DOMINUS PROVIDEBIT. ANNO M. DC. LXI.

IMPERIALES SIMPLICES.

17. *d.* FRIDERICUS: D: G: ARCH: & EPISC: BREM: & VERDEN. *Effigies dimidiata Principis, circa quam Symbolum:* DOMINUS PROVIDEBIT. In Aversa:
C: HALB: HÆ. NOR. D. SLE. HOLS: STO: DIT: C: O: E. D. 1641. *Insignia Episcopatuum, Ducatuum, nec non Norvagiæ.*

18. *d.* FRIDERICUS. III. D. G. DAN. NOR. VA. GO. REX. *Effigies coronati Regis.*
DOMINUS. PROVIDEBIT. 1649. *Leo Norvagicus.*

19. *d.* FRIDERICUS. III. D. G. DAN. NOR. VAN. GOT. REX. *Imago Regia.*
DOMINUS PROVIDEBIT. 1649. *Insignia Regnorum integra—.*

20. *Idem ejusdem typi.* 1650.

21. *d.* FRIDERICUS. III. D. G. DA. NOR. VAN. GO. REX. *Effigies Regis.*
DOMINUS PROVIDEBIT. 1651. *Insigne Norvagiæ.*

22. *d.* FRIDERICUS. III. D. G. DAN. NOR. VAN. GOT. REX. *Imago Regia.*
DOMINUS PROVIDEBIT. 1653. *Integra Regnorum Insignia.*

23. *d.* FRIDERICUS. D. G. DAN. NOR. VAN. GOT. REX. *Imago Regis.*
DOMINUS PROVIDEBIT. 1653. *Leo cum bipenni.*

24. 25. 26. *Alii ejusdem typi* 1654. 1655. & 1656. *signati.*

27. *d.* FRIDERICUS. III. D. G. DAN. NOR. VAN. GOT. REX. *Facies Regis.*
DOMINUS PROVIDEBIT. *Regnorum plena Insignia.*

28. *Alius ejusdem typi.* 1657.

29. *d.* FRIDERICUS. III. D. G. DAN. NOR. VA. GOT. REX. *Imago Regia.*
DOMINUS PROVIDEBIT. 1657. *Leo Norvagicus.*

30. 31. 32. *Idem ejusdem typi.* 1659. 1661. 1662.

33. *d.* FRIDERIC. III. D. G. DAN. NOR. VAN. GOT. REX. *Effigies Regis.*
DOMINUS PROVIDEBIT. 1662. *Insignia Regnorum.*

34. *Idem dissimilis nonnihil typi.* 1662.

35. *d.* FRIDERICUS. 3. D. G. DAN. NOR. VA. GOT. REX. *Facies Regis.*
DOMINUS PROVIDEBIT. 1663. *Leo Norvagicus.*

36. *Alius ejusdem typi.* 1664.

37. *d.* FRIDERIC. 3. D. G. DAN. NOR. VAN. GOT. REX. *Effigies laureati Regis.*
DOMINUS PROVIDEBIT. *Insignia Regnorum Daniæ & Norvagiæ.* 1664.

38. *Alius diversi paululum typi.* 1664.

39. *d.* FRIDERICUS. III. D. G. DAN. NOR. VA. GOT. REX. *Imago Regis.*
DOMINUS. PROVIDEBIT. *Typus fortunæ insistentis globo.* 1664.

40. *d.* FRIDERIC. 3. D. G. DAN. NOR. VAN. GO. REX. *Effigies laureati Regis.*
DOMINUS. PROVIDEBIT. 1665. *Insigne Norvagiæ.*

41. *d.* FRIDER. III. D. G. DAN. NOR. VAN. GOT. REX. *Imago Regia.*
DOMINUS PROVIDEBIT. *Integra Regnorum Insignia.* 1666.

42. *d.* FRIDERIC. 3. D. G. DAN. NOR. VAN. GOT. REX. *Effigies Regis.*
DOMINUS PROVIDEBIT. 1666. *Leo Norvagicus.*

No. 43. *Alius ejusdem typi.* 1667.

44. *d.* FRID. III. D. G. DAN. NOR. VAN. GOT. REX. *Imago Regia.*
DOMINUS PROVIDEBIT. *Insignia Regnorum Daniæ & Norvagiæ.* 1668.

45. *d.* FRID. III. D. G. DAN. NOR. VAN. GOT. REX. *Effigies Regis.*
DUX. SLES. HOL. STORM. DITM. COM. OLD. ET. DELM. *Insignia Regnorum integra. Circa extimam numi oram :*
DOMINUS PROVIDEBIT. ANNO M. DC. LXIX.

THALERI SIMPLICES.

46. *c.* FRIDERICUS. III. D. G. DANIÆ. 1651. *Imago Regia.*
NORVEGI. VANDAL. GOTORV. Q. REX. *Corona cum Symbolo:*
Domino. Provid.

47. *Alius ejusdem typi.* 1652.

48. *c.* IIII. MARCK DANSKE. 1652. *Nomen regium cum Corona.*
Dominus Providebit. Tres Leones.

49. *Alius ejusdem typi.* 1653.

50. *c.* FRIDERICUS. III. D. G. DANIÆ. *Rex erecto corpore.*
VANDALORUM. GOTHORUMQVE. REX. *Corona cum Symbolo:*
Dominus Providebit.

51. *Numus crassior & eximiæ raritatis, Rex enim hîc bene est ocreatus.*

52. *c.* FRID. III. D. G. DAN. NOR. VAN. GOT. REX. *Imago Regia.*
DUX. SLESV. HOLS. STORM. DITM. COM. IN. OLD. DEL. *Corona cum Symbolo.* 1666.

53. *c.* DOMINUS PROVIDEBIT. *Nomen Regium cum Corona.*
IIII. MARCK DANSKE. 1666. *Tres Leones.*

Perplures dantur, sed qvia tralatitii, operæ pretium non duximus eorum congeriem hîc struere.

IMPERIALES DIMIDII.

54. *g.* FRIDERICUS. III D. G. DA. NO. VA. GO. REX. *Effigies Regia.*
DOMINUS. PROVIDEBIT. 1649. *Leo Norvagicus.*

55. *g.* FRIDERIC. III. D. G. DAN. NO. VA. GO. REX. *Facies Regis.*
DOMINUS. PROVIDEBIT. 1656. *Leo cum bipenni.*

56. *g.* FRIDERICUS. III. D. G. DAN. NORV. *Imago Regia.*
VANDAL. GOTHOR. REX. 1665. *Regnorum plena Insignia.*

No. 57. *g.* FRIDERIC. 3. D. G. DAN. NOR. *Effigies laureati Regis.* VANDAL. GOTOR. REX. 1665. *Insigne Norvagiæ.*

Cætera ejusdem Regis numismata argentea minoris moduli passim sunt obvia, itaq; supersedemus hic eorum structes concinnare.

REGIS CHRISTIANI QVINTI.

NUMI SYMBOLICI.

No. 1. *c.* CHRISTIANUS. *Effigies Regis ante aram fumigantem fundentis preces, cum subscribto:* PIETATE.

REX. *Imago Regis insidentis solio, dirimentisq; causam inter duas Fœminas de puero litigantes, exemplo Salomonis* 1. Reg. 3. *cum subscribt.* JUSTITIA.

2. *c.* CHRISTIAN; V. REX. DAN. NOR. VAND. GOT. *Regis icon, more Romano.*

Altera numi facies instructas apparatu bellico naves dimicantes repræsentat, in primis naves prætorias, Christianus Qvintus & Corona Sveciæ *dictas, qvarum hæc ab illa bene lacerata pessum abit, cum suprascribto:* PIETAS ET JUSTITIA, & infrà: VICTORIAM CORONANT 1676.

3. *c.* CHRISTIAN. V. D. G. DAN. NOR. VAN. GOT. REX. *Regis icon.* MONUMENTUM PIETATIS. *Templum Christianohafniense Anno* 1682. *à Monarcha nostro Augustissimo fundatum: infrà* CHRISTIANSHAVN.

4. *g.* ✠ DAN. NORV. REX. *Leo cum bipenni.* 1683. LABORANTEM. CORROBORAT. *Crux Dannebrogica.*

5. *d.* POST DOMITOS HOSTES TERRAQVE MARIQVE TRIUMFOS. *Statua Regia* 1688.

ARCTOOS FASCES CUM JOVE SOLUS HABET. *Effigies Regis.*

6. *d.* RATZEBORGS BOMBARDERING. *Ratzeburgum oppugnatum.*

In posticâ numi parte:

SAA MAA DET STOLTE DYR, SKIÖNT MANGE FNÖS DER MOD,

NEDSLAA SIN FASTE VÆRN TIL DANSKE LÖVENS FOED:

Equus munimentum Ratzeburgi calcando dijiciens.

Infra:

AT SLEFVE GIÖR FRED. St. MIKKELS DAG. 1693.

Ant. Meibus.

No. 7.

No. 7. *g.* *Ordo Eqveſtris Elephantinus.*
In numi averſâ:
Ordo Eqveſtris Danebrogicus.
Ad extimam numi oram:
SECULI DESIDERIA.

8. *g.* CHRIST. V. D. G. DAN. NOR. VAN. GOT. REX. *Icon Regis. A. Meibus f.*
Ab alterâ parte:
Corona Regia. REGNORUM MONETAM IN MELIUS RESTITUIT. 1693.

9. *h.* *Alius ejusdem commatis, ſed, uti patet, minoris moduli.*

Nec minus Monarchæ huic Auguſtiſſimo moneta curæ cordiq; fuit, Anteceſſorum veſtigiis eminentiori modò inſiſtens, ſtudiò qvippe Virorum Monetalium hôc annò *Regnorum Monetam in melius reſtituit*, Thaleris ſimplicibus ex eorum partibus ſimul ſolita probitate & pretiò conſiſtentibus, Coronatos ejusdem pretii eorumq; dimidios & qvadrantes ab eo tempore non tantùm multò elegantiores ſed & probiores, qvemadmodum & octuſes, fabricari fecit, & unicuiq; monetæ ſuum poſtea aſſignavit characterem. Tacemus hîc maximum, qvem unqvam ferè mundus vidit, numum aliosq; inſignis magnitudinis & eximiæ elegantiæ, qvos ante & poſthac Rex hic, glorioſiſſimæ memoriæ, ſignatos curavit, inter aureos antea à nobis hîc deſcribtos.

10. *d.* CHRIST. V. REX. DAN. NORV. V. E. G. *Regis effigies.*
In poſtico:
ET TEGIT & PROTEGIT & TUETUR. *Leo ungvibus anterioribus tria tenens ſcuta, qvibus inſignia Regni Daniæ, Norvagiæ & Ducatûs Slesvicenſis inſculpta ſunt.*

11. *h.* HILARITAS TEMPORUM. d. 16. Febr. 93.
In poſtico:
SIC ORBIS VEHITUR. *Currus, cui quatuor homines inſident, â totidem vermibus tractus.*

IMPERIALES.

12. *d.* CHRISTIAN. 5. D. G. DAN. NOR. VA. ET. GO. *Effigies Regis.*
PIETATE. ET. JUSTITIA. 1670. *Leo Norvagicus.*

13. *d.* CHRISTIAN. 5. D. G. REX. DAN. NOR. VA. ET. GO. *Effigies Regis.*
DUX. SLES. HOL. STOR. DITM. COM. OLD. ET. DEL.
PIETATE. ET. JUSTITIA. 1671. *Leo Norvagicus.*

14. *Alius ejusdem typi.*

No. 15. *d.* CHRISTIAN. V. D. G. REX. DAN. NOR. VAN. GOT. *Effigies Regis.*
Nomen Regium: ✠ 1671. DCC.

Est numus, qvem Consortium Danicum Orientalis Indiæ commerciorum cudi fecit, id qvod D. O. C. indicant.

16. *d.* CHRISTIAN. 5. D. G. REX. DAN. NOR. VAN. & GOT. *Effigies Regis.*
DUX. SLES. HOL. STOR. DITM. COM. OLD. ET. DEL.
PIETATE. ET. JUSTITIA. 1672. *Leo Norvagicus.*

17. *Alius ejusdem typi.* 1674.

18. *d.* CHRIST. D. G. REX. DAN. NOR. VA. GO. *Effigies Regis.* 1674.
DUX. SLES. HOL. STOR. DITM. COM. OLD. ET. DEL. *Integra Regnorum Insignia.*

19. *d.* CHRISTIAN. 5. D. G. REX. DA. NOR. VA. & GOT. *Effigies Regis.*
DUX. SLES. HOLS. STOR. DITM. COM. OLD. ET. DELM.
PIETATE. ET. JUSTITIA. 1675. *Leo Norvagicus.*

20. *d.* CHRIST. V. D. G. REX. DANIÆ. *Effigies Regis, dextrâ sceptrum, sinistrâ globum tenentis.*
NORVEG. VANDAL. GOTOR. 1675. *Nomen Regium triplex cum tribus coronis.*

21. *d.* CHRISTIAN. 5. D. G. REX. DAN. NOR. VA. & GOT. *Effigies Regis.*
DUX. SLES. HOL. STOR. DITM. COM. OLD. ET. DEL.
PIETATE. ET. JUSTITIA. 1679. *Leo Norvagicus.*

22. *Alius ejusdem typi.* 1680.

23. *d.* CHRISTIANUS V. D. G. REX. DAN. NOR. VAN. GOT. *Effigies Regis.*
DUX. SLES. HOL. STOR. DITM. COM. OLD. ET. DELM. *Regnorum plena Insignia.*

24. *d.* CHRISTIAN. V. REX. D. G. DAN. NOR. V. G. *Effigies Regis.*
PIETATE ET JUSTITIA. *Regnorum Integra Insignia.* 1688. *& literæ H. C. M. qvæ Monetarii nomen designant, infrà duo mallei decussatim positi, characteres monetæ Norvagicæ.*
Circa extimam numi oram: HÆC BOREAS CYMBRO FERT ORNAMENTA LABORUM.

25. 26. 27. 28. 29. *Alii ejusdem typi, annis* 1692. 1693. 1694. 1695. 1696. *cusi.*

30. *d.* CHRISTIAN. V. D. G. REX. DAN. NOR. V. G. *Regis icon.*
PIETATE. ET. JUSTITIA. *Integra Regnorum insignia* 1692. *H. C. M. & prædicti duo mallei.*

Ad extremam numi oram: Danner Konges Norske Fielde
Slige Frugter har i Vælde.

No. 31. 32. 33. 34. *Alii ejusdem typi, anno* 1693. 1694. 1695. & 1696. *ſignati.*

35. *Alius ejusdem typi, anno* 1693. *cuſus, ad oram verò extimam:* Det Klipperne yder, Vor Bergman udbryder, Hvad Hytten da gyder, Af Mynten vi nyder.

36. 37. *Alii anno* 1694. 1695. & 1696. *percuſſi, ejusdem planè typi.*

38. *d.* CHRISTIAN. V. D. G. REX. DAN. NOR. V. G. *Effigies Regis.*
PIETATE. ET. JUSTITIA. *Inſignia Regnorum integra.* 1692. *H. C. M.* & *duo mallei decuſſatim poſiti.*
Ad extremam numi oram: Nicht aus Silber-Sucht,
Dieſe Norden-Frucht
Wird zu Gottes Ehr geſucht.

39. 40. *Alii ejusdem typi anno* 1694. & 1696. *cuſi.*

41. *Idem ejusdem typi* 1693. *ſignatus. Ad oram verò extimam.*
Saadan Nordens Skat GUD giemte
Til Kong CHRISTIAN den Femte.

42. 43. *Alii ejusdem typi & inſcribtionis ad oram, anno* 1694. & 1696. *percuſſi.*

44. *d.* CHRISTIAN. V. D. G. REX. DAN. NOR. V. G. *Regis icon.*
PIETATE. ET. JUSTITIA. *Inſignia integra.* 1694. *H. C. M.* & *duo iſti mallei.*
Ad oram numi extremam: Store Konge Nordens Ære.
Lad de Frugter yndig være,
Som de Norske Klipper bære.

45. *d.* CHRISTIAN. V. D. G. REX. DAN. NOR. V. G. *Regis effigies.*
PIETATE ET JUSTITIA. *Inſignia plena, cum corona & ordinibus Equeſtribus Elephantino nempe & Dannebrogico eorumq; lemniſcis* 1695. *H. C. M.* & *duo mallei, characteres Monetæ Norvagicæ.*
Ad extimam numi oram: I dette Anſigt Dannemark
Og Norge Skuer ſin Monark.

46. *Alius ejusdem commatis anno* 1696. *cuſus.*

IMPERIALES, qvorum alter eſt qvadruplex, alter triplex, qvi ſeriùs & ſic extra ordinem hîc advenére.

IMPERIALIS QVADRUPLEX, *ſive numus qvatuor unciarum.*

No. 47.

No. 47. *d.* CHRISTIAN. 5. D. G. REX. DAN. NOR. VA. & GOT. *Effigies Regis.* DUX SLES. HOL. STOR. DITM. COM. OLD. & DEL. *Insigne Norvagiæ in clypeo coronato, circa qvem intra superiorem inscribtionem symbolum Regium est sculptum:* PIETATE & JUSTITIA. 1678.

IMPERIALIS TRIPLEX.

48. *Est ejusdem formæ, moduli & anni, cujus proximè antecedens est.*

THALERI SIMPLICES, seu Qvatuor Marcæ Danicæ.

49. *d.* ✿ PIETATE ✿ ET ✿ JUSTITIA ✿ *Sigla Regia sub corona apertâ.* ✿ IIII. MARCK ✿ DANSKE ✿ 1671. *Tres Leones in scuto coronato, ponè qvod prominet crux & literæ G. K. Monetarii nomen designantes.*

50. *Alius ejusdem typi, anno eodem cusus, omissis literis, nomen Monetarii exprimentibus.*

51. *d.* PIETATE. ET. JUSTITIA. *Sigla Regia & coronata.* IIII. MARCK DANSKE. 1672. *Tres Leones cum cordibus novem in scuto coronato.*

52. *Alius ejusdem typi.* 1673.

53. *d.* PIETATE. ET. JUSTITIA. *Nomen idem Regium.* IIII. MARCK DANSKE. 1672. *Leo cum bipenni in scuto coronato, ponè qvod eminet crux. F. G.*

54. 55. 56. 57. *Alii ejusdem typi anno* 1673. 1677. 1678. & 1679.

58. *d.* PIETATE. ET. JUSTITIA. *Sigla Regia sub coronâ.* IIII. MARCK DANSKE. 1676. *Tres Leones in scuto solito. Literæ G. K.*

59. *Alius ejusdem typi, anno* 1680. *percussus.*

60. *d.* PIETATE ET JUSTITIA. *Icon Regis in formam marmorum antiqvorum basi cuidam velut innixa—.* IIII. MARCK DANSKE. 1680. *Integra Regnorum insignia—.*

Traditur nobis ejusdem moduli numis numeratam esse dotem Hæreditariæ Principis Daniæ & Norvagiæ, *Ulricæ Eleonoræ*, qvæ Regi Sveciæ, *Carolo XI.*, anno eodem nubsit, Optima Sveciæ Regina.

Vasta præterea hîc datur series thalerorum simplicium, eorumq; partium, annis insequentibus & in Dania & in Norvagia usq; ad annum 1699., qvi Regis ejusdem fuit emortualis, cusarum, sed qvoniam omnes ubiq; manibus versantur, tanqvam tralatitii hîc omittuntur, adducemus ergo tantùm coronatos illos triplices, duplices & simplices perqvam elegantes partesq; eorum, qvos, *Monetâ in melius restitutâ*, Rex glorioſiſſimus thaleris simplicibus & eorum partibus probiores, ejusdem tamen cum illis pretii, ab anno 1693. simul cudi fecit, apud nostrates tantùm non jam rariores.

CO-

CORONATUS TRIPLEX.

No. 61. *f.* CHRIST. V. DEI. GRATIA. *Effigies Regis.*

℘ DAN. NOR. VAN. GOT. REX. ℘ *Corona in medio cum ſymbolo infraſcribto:* PIET. & JUST. *& anno* 1694, *numerorum intermedium occupat cor, moneta in Dania character.*

CORONATI DUPLICES.

62. *b.* CHRIST. V. DEI. GRATIA. *Effigies Regis.*

℘ DAN. NOR. VAN. GOT. REX. ℘ *Corona in area poſticæ cum ſymbolo Regio & anno* 1693., *in numerorum horum intermedio cor ſuam occupat ſedem.*

Coronatò dimidiò minoris eſt moduli, ſed admodùm craſſus.

63. *Alius ejusdem typi & inſcribtionis ex utrâq; parte, anni* 1695.

CORONATI SIMPLICES.

64. *f.* CHRIST. V. DEI GRATIA. *Regis icon.*

℘ DAN. NOR. VA. GOT. REX ℘ *Corona operta, infrà Symbolum Regium* PIET. & JUST. 1693., *in æra hujus intermedio prædictum exſtat cor, monetæ Danicæ charagma.*

65. 66. 67. *Alii ejusdem typi, anno* 1694. 1695. & 1696. *percuſſi.*

68. *f.* CHRIST. V. DEI GRATIA. *Effigies Regia ad pectus usq; conſpicua.*

℘ DAN. NOR. VAN. GOT. REX. ℘ *Circulus in area numi, intra quam corona conſpicitur, cum infrà ſcribto:* PIET. & JUST. 1693. & *corculum prædictum.*

69. *b. Coronatus ejusdem planè inſcribtionis & typi, ſed dimidiò minoris & admodum ſpiſſus, anni ejusdem.*

70. *Alius ejusdem moduli, anno* 1696. *percuſſus.*

71. *f.* CHRIST. V. DEI GRATIA. *Eadem Regis icon.*

✠ DAN. NOR. VAN. GOT. REX. *duo mallei decuſſatim poſiti. Corona operta, infrà ſymbolum Regium:* PIET. & JUST. 16. HCM. 99. *Ad extremam numi oram:* SERVANT. ET. DECORANT. *Mallei prædicti.*

CORONATUS DIMIDIUS.

72. *b.* CHRIST. V. DEI GRATIA. *Regis icon.*

✠ DAN. NOR. VAN. GOT. REX. *Mallei duo decuſſatim poſiti. Corona Regia in area numi, infrà* PIET. & JUST. 16. H. C. M. 99. *Ad extimam numismatis oram:* SERVANT & DECORANT. *Mallei nominati.*

QVA-

QVADRANTES CORONATI, seu marcæ Danicæ.

No. 73. *i.* CHRIST. V. DEI GRATIA. *Regis icon.*
✠ DAN. NOR. VAN. GOT. REX ✠ *In numi area Corona Regia, utring; literæ I. M. numismatis pretium, marcam Danicam, designantes, infrà Coronam* P. &. I. 1693., *in intermedio æræ hujus corculum.*

74. *Alius ejusdem moduli & anni, nisi qvòd literæ I. M., pretium numi indicantes, hîc non visuntur.*

75. *Alius itidem anni ejusdem absq; pretii indice, sed crassiusculus.*

76. *Alius ejusdem typi* 1694. *cusus.*

REGIS FRIDERICI IV.

NUMI SYMBOLICI.

No. 1. *f.* CHRIST. V. D. G. DAN. NOR. VA. GO. REX. *Regis ejusdem icon.*

Ab altera parte:

FRID. IV. D. G. DAN. NOR. VA. GO. REX. *Regis illius imago iconica.*

Ad extimam numismatis oram:

ET NORDENS LYS GIK UD. ET ANDET TÆNDTE GUD. 1699.

Inscribtio numi ad oram extremam indicare vult, fidere Septentrionis nostri tam salutifero annô hôc occidente, Glorioſisſimô illo Rege *Christiano V.* mortuô, non minus fauſtum & felix nobis, qvemadmodum & rei numariæ, exortum esse Trionum Decus, Potentisſimum Monarcham, *Fridericum IV.*, qvi ad gubernacula Boreæ nostri laudibus cumulatisſimus sedens, veluti sol, singulari instinctu & curâ non saltem versatur circa metalla Arctoa, verùm etiam ex illis numos probitate & elegantiâ perqvam insignes in Regnis Ducatibusq; suis qvàm clementiſſimè procurat.

2. *c.* FRIDERICUS. IIII. D. G. REX. DAN. NOR. V. G. *Iconica Regis effigies.*

In postico:

HIS JUNGIMVR. AMBAE. *Navis bene instructa, qva velis plenisſimis fertur, à dextro ejus latere lacinia qvadam Africa, in qva Guinea est sita, à sinistro Insula S. Thomæ. Infrà:* SOC. IND. OCCID. INSTAVR. 1708.

Numisma hoc memoriam inculcat floreſcentis *Societatis Indiæ Occidentalis* hôc anno *instauratæ*, qvemadmodum & mercaturarum ejus, qvæ Havniâ in Gvinea & Insula S. Thomæ per Danos mutuis viribus & præsidiis feliciter exercentur, namq; his nunc juncta sunt commerciorum consortia ambo.

No. 3. GLORIOSISS. MEMOR.
CELSITUDINIS REGIÆ
SERENISS. PRINCIPIS
GEORGII
AUG. QVONDAM SEPTENTRIONIS MONARCHÆ
FRIDERICI III.
FILII SECUNDO-GENITI
DAN. NORV. VANDALOR. GOTHORUMQVE
PRINCIPIS HÆREDITARII
DUCIS SLESVICI HOLSAT. STORM. DITHM.
OLDENB. ET DELMENH. COMITIS.
BRITANNICÆ SEMIRAMIDIS
ANNÆ REGINÆ
CONJUGIS IN VIVIS DELECTISSIMI
POST FATA DESIDERATISSIMI
QVI NATUS HAVNIÆ Ao. 1655.
OBIIT IN PALATIO KENSINGTON
JUXTA LONDINUM
8. Nov. Ao. 1708.

In poſtico numi latere ad oram:

VIX SPECTATA FUIT RADIANS TOT SOLIBUS UNQVAM
STELLA NEQ; ARCTOO DIGNIOR ULLA JOVE☸

In numi intermedio ſtella, cujus globus Literâ G., nomen Sereniſſimi Principis Georgii *denotante, eſt inſignitus, circumlucent ſtellæ huic, ſuâ cœli ſtatu, novem ſoles, omnes, exceptô unô, lemniſco qvaſi colligati, qvorum unusqvisqve in globo ſuo gaudet ſiglâ Regiâ, prima ſigla in primo eſt AR.* Annæ Reginæ *Magnæ Britanniæ,* CONJUX *qvæ ibi infrà inſcribitur Principis Glorioſiſſimi: Secunda in ſecundô eſt F3. Regis Daniæ* Friderici III., *qvi* PATER *Principis: Tertia J2.* Jacobi II., *Regis Britanniæ Magnæ, qvi* SOCER: *Qvarta eſt C5. Daniæ Regis* Chriſtiani V., *qvi* FRATER: *Qvinta Regis noſtri clementiſſimi F4.* Friderici IV., *qvi* NEPOS *ex Fratre: Sexta* CXII. *Sveciæ Regis* Caroli XII., *qvi* NEPOS *ex ſorore: Septima A.* Auguſti *Regis Poloniæ, qvi itidem* NEPOS: *Octava* CXI. Caroli XI., *Regis Sveciæ, & tandem nona W3.* Wilhelmi III., *ambo qvi* AFFINES *ibi infrà inſcribuntur.*

Numisma eſt eximiæ magnitudinis, qvod in diametro ſua tres pollices, exceptâ unius qvartâ parte, explet. Aureus & argenteus Havniæ eſt cuſus, egregii inventûs & typi.

Cæteri, qvi hucusq; ſunt cuſi, numi Symbolici, inter aureos antea deſcribti reperiuntur.

IMPERIALES.

No. 4. *d.* FRID. IIII. D. G. DAN. NOR. VAN. GOT. REX. *Regis effigies ad pectus usq; cataphracta.*

DUX. SLES. HOLS. STORM. DIT. COM. OLD. ET DEL. *1704*

Inſignia regnorum plena, qvorum colores ſecundùm artem Heraldicam, lineis

lineis hinc & illinc ductis exprimuntur, circumponuntur quoq; catenæ Ordinis Elephantini & Dannebrogici, cum eorum characteribus appensis.

Ad extimam numi oram: DOMINUS MIHI ADJUTOR. ANNO REGNI. QVINTO.

Numus est perqvam elegans & oppidò rarus.

5. *d.* FRIDERIC. IV. D. G. REX. DAN. NOR. V. G. *Effigies Regis.*

In aversa:

MOD. TROSKAB, DAPPERHED, OG HVAD DER GIVER AERE DEN. HEELE. VERDEN. KAND. BLANT. NORSKE KLIPPER LÆRE. *In area hujus aversæ Leo Norvagicus cum bipenni, ad latera 6. M. pretium numi, & infrà* 1704. *in area medio corculum.*

CORONATI.

6. *f.* FRID. IV. D. G. DAN. NOR. VA. GO. REX. *Regis icon.*

DOMINUS MIHI ADJUTOR. *Nomen Regium coronatum ter effictum, cui interseruntur regnorum insignia in scutis puris, in qvorum intermedio triangulus radiatus cum tribus apparet. Infrà* 1699. *& duo mallei decussatim positi, qvi etiam indicant numum prodiisse ex incude Norvagica.*

In circumferentia ad extimam numi oram: ET NORDENS LYS GIK UD, ET ANDET TÆNDTE GUD.

7. *f.* FRID. IV. D. G. DAN. NOR. VA. GO. REX. *Regis effigies iconica.*

DOMINUS. MIHI. ADJUTOR. *Nomen Regium ter inter tria, uti diximus, regnorum insignia expressum. Infrà* 1699. *in intermedio area corculum.*

8. 9. *Alii ejusdem inscribtionis & figuræ, alius tamen typi anno* 1700. *&* 1702. *cusi.*

CORONATUS DIMIDIUS.

10. *h.* FRID. IIII. D. G. DAN. NOR. VA. GO. *Regis imago.*

DOMINUS MIHI ADJUTOR. *Nomen Regium solito more positum. Infrà* 1700. *& prædicti mallei.*

Cæteros minoris pretii ejusdemq; Regis numos cusos, utpote qvi ubiq; sunt obvii, hic omittimus.

In

Muſeum Regium

Seqventia qvondam annectebat

Operis hujus Autor, jam Beatus:

Auguſtam mirare domum. Jovis omnia plena
Monſtrat, & arcanas Urbis & Orbis opes.
Mutua naturæ pugna increbreſcit & Artis
Materiamq; ſibi cedere forma cupit.
Qvæ diſperſa priùs, qvæ diſſita ſedibus olim,
Auguſtò hìc junctim ſunt cumulata locò;
Hìc ramis avulſa ſuis miratur Idume
Balſama, & aſſiduo ſole peruſtus Arabs
Hìc Crocodilorum tellus Memphitica turmas
Totq; in Niliaco monſtra ſtupenda lacu
Et pretio ingenti ſiccata cadavera Regum
Et myrrhæ lacrimis roſcida membra videt,
Hìc Scytha villoſum Boramez, hìc Turca pharetras
Scutaq;, qveis notus Baſſa Ibrahimus erat,
Qvæq; illi pugnax Adelerius abſtulit arma,
Helleſpontiaci qvà fluit unda freti.
India miſit ebur, gemmas, animalia, plantas
Et Porcellanam China opulenta ſuam,
Perſa nec invidit qvæſitas æqvore conchas,
Nec grana ex fulvis torridus Afer aqvis,
Tranſtulit hùc Gallus, Teuto, Romanus, Iberus,
Pannonius, Ruſſus, Belga, Britannus opes.
Hìc ſculptum aſpiceret Pyrrhus redivivus Achatem
Et gemmæ inciſos Roma videret avos,
Ac ſerie ingenti veteris numismata ſecli.
Æraq; Cæſaribus priſca notata ſuis.
Qvid memorem in muto ſtrepitantia bella metallo,
Exeqvias, thalamos, fœdera, caſtra, Duces,
Et ſolido qvondam gravidas dodrante bilances
Et qvos admordet fibula curva ſinus.
Se pictum Æneas poſt tot jam ſecla videret
Et pater Anchiſes, Aſcaniusq; puer,

Peniculumq; ævi noſtri laudaret Apelles
Ac victâ Zeuxis Parrhaſiusq; manu.
Argenti hìc vileſcit honos, dum ſingula gemmis
Obſita, & Eoô plena adamante micant,
Hìc Arabum tranſtris vectus ſpectatur Achates
Et viridi paſſim luce ſmaragdus adeſt,
Illic Chryſolithus nativo interlitus auro
Fulgurat, hìc Onyches Sardonichesq; ſimul,
Jaſpis, Beryllus, genio igneſcente Pyropus,
Atq; oculis vernans lux, Amethyſte, tua,
Hìc qvoq; ſtelliferum deſignat machina cœlum,
Ingenii & dextræ nobilioris opus,
Demonſtrat, ſolem qvoties Eclipſis obumbrat
Atq; obſcuratis Luna laborat eqvis,
Demonſtrat ſeptena vagos ducentia gyros
Lumina, & in cœlo qvaliter aſtra meant,
Qvid memorem innumeris implexos orbibus orbes
Et tot Brachmanûm Cecropidumq; rotas?
Qvid ſpecula effectu validas ſuperantia flammas,
In qvorum mediis fuſa metalla focis,
Atq; Mathematici tot inſtrumenta laboris
Qvot Belo qvondam vel celebrata Pharo.
Pars ſubjecta ædis docti monumenta laboris
Exhibet, & qvicqvid Bibliotheca fovet,
Hìc Vaticani ſpectas miracula collis,
Et Philadelphéi ſcripta vetuſta Ducis,
Hìc Cyrrham & Tenedon cinctumq; Helicona Camœnis
Et qvicqvid latices Bellerophontis habent.
Infima pars Martis mortisq; hìc arma recondit,
Et ſociat telis tela miniſq; minas,
Et clypeis clypeos & acutos enſibus enſes,
Loricas, galeas, pila, veruta, globos.
Hìc catapultarum ſtreperum genus undiq; cernis,
Maxima qvod nitri pondera ventre capit,
Et Phlegetontéos diducta fauce lebetes
Fulmineo qvorum è gutture flamma volat,
Hìc Brontes Steropesq; habitant, hâc ſede Pyracmon,
Hìc nitrum & ſulphur Mulciber ore vomit.
Sic Martem haud refugit Muſis ſtipata Minerva
Et chartis enſes jungit Apollo ſuis.
Fruſtra igitur tentas terras calcare repoſtas,
Ut ſe naturæ pandat & artis opus.
Fruſtra Alpes rigidas atq; acroceraunia ſcandis,
Et ratis Indorum fluctuat inter aqvas.
Hìc junctam Natura ſibi complectitur Artem,
Hìc patet, immenſo qvicqvid in Orbe patet.

ENCOMIASTICON
Ad
Virum Nobiliſſimum, Ampliſſimum & Eruditiſſimum,
DN. JOHANNEM LAUERENTII,
Aſſeſſorem Collegii Univerſitatis Havnienſis
&
Directorem Typographéi Regii,
Qvin &
Antiqvarium Celeberrimum & Peritiſſimum,
Cùm Muſéi Regii Rariora ederet auctiora, multis pulcherrimisq; obſervationibus illuſtrata,

OTTHONIS SPERLINGII U. J. D.
Conſiliarii Regii, & Collegæ Societatis Perilluſtris Anglicanæ.

Inter bella neqvit vel hos tumultus
Ullus verſiculus prodire felix.
Sunt tantùm ruta, cæſa, ſigna Martis,
Invitæ qvaſi licium Minervæ,
Qvæ nunc pono ſenex Senecioni
Et qvamvis Tua delicatiores
Et ſummas mereantur usqve laudes,
Stat cantherius hîc tamen ſupinus.
Qvid nunc qvadrupedes Tui peritè
Deſcribti, volucres qvid occinentes,
Piſces, piſciculi qvid obnatantes,
Tecum totq; Numismatum cohortes
Dicent? jurgia, probra multa dicent,
Qvod tam docta velit malus Poëta
Collaudare ſuâ putente pennâ.
Obſonare ſumus freqventer omnes
Cum doctis ſoliti, dapesq; lautas,
Qvas dat Regia Principumq; menſa,
Guſtamus, putidis valere juſſis.
Nobis mella ſua offerunt Hymetti
Bis florentis apes, Mileſiæq;.
At jam cogimur ad Poëticaſtri
Fæces, unguina, nauteam ſedere.
His me convitiis petunt petuntq;,
Facti per Genium Tuum eruditi,
O LAURENTIADES, Tui libelli,

Mul-

Multæ murice purpuræ ſuperbi.
Eſt ipſis ratio : Poëta non ſum,
Ipſis pangere digna qvi nec auſim,
Nec Te pro meritis dicare templis,
Aut tot marmoribus, qvot ipſa Muſa
Juſſit, jam potero : diu fefellit,
Iſtam nec mihi Muſa vim reliqvit.
Qvin tu qvi veteres colis Camœnas
Mecum, qvi veteris tenes amici
Jus, compeſcito, ſi velis, tot iras,
Tot compeſcito jure Lingulacas,
Ne me deſpuat ampliùs libellus.
Dic, qvæſo, mea ſic Tibi placere,
Blenna & barda licet forent, ut adſunt,
Nam qvandoqve placent meræ ſaperdæ,
Qvod ſint ex animo profectæ amici ;
Dic Te murmura ferre nolle contra,
Te defendere nam decet ſodalem :
Dic, ne me vocitent ſibi Poëtam,
Poſthac eſſe Poëta namqve nolo.

Ad

Nobiliſſimum & Ampliſſimum Virum,

JOHANNEM LAUERENTII,

Aſſeſſorem in Conſiſtorio Havnienſi Regium,

Cùm MUSEUM REGIUM, denuò illuſtratum & luculentâ acceſſione auctum in lucem ederet.

Arctoi decus Imperii, pretioſa ſupellex,
Naturæ ſeſe ſuſpicientis honos,
Auguſta in noſtris Divorum Regia terris,
Qvi junctim in tantos huc coïerê lares,
Regia, Regales teſtata in ſecula curas,
Qva nil ſplendidius cultior orbis habet,
Ecce iterum recluſa ſuas cum fœnore gazas
Et plenos aperit prodigioſa ſinus.
Hìc ubi qvicqvid habet mirandum, contulit orbis,
Qvicqvid ut inſolitum natio cuncta ſtupet :
Extremi portenta ſoli ; priſcæqve Mumias
Memphidos ; exuvias, trux Crocodile, tuas.
Inqve peregrino qvicqvid volat æthere ; qvicqvid
Monſtroſo vitreas corpore plaudit aqvas.
Qvæ pretia auxerunt vilis conchylia lanæ ;
Qvæq; in arenoſis horreat Indus agris.

Qvæ

Qvæ vel hyperboreis dedit increviſſe viretis
Flora, vel Eoô miſit odora ſolo.
Hic ubi Erythræis ludit Natura lapillis,
Durat ubi in ſolidas mollia ligna petras.
Eqve ſua incoctum matrice extuberat aurum;
Monſtrat & implicitam ſuccina gutta feram.
Hic ubi Dædaleæ radiant emblemata dextræ,
Qveis Pallas nomen ſcriberet ipſa ſuum.
Tot lapidum, tot fruſta Deûm, tot ſigna vetuſti
Marmoris, artifici ſigna dolata manu.
Tot ſpecies, tot formæ ærisq; eborisq; politi,
Oſſaqve Piſæo pollice raſa nitent.
Tot veteris teſtes habitûs, monumentaqve luxûs;
Eruta de buſtis tot ſpolia ampla ſuis.
Urna, triens, pharetræ, vexilla, ſeceſpita, fictum
Numen, acus fluxos ſtringere ſueta ſinûs.
Sidereas imitata vices ubi Machina proſtat,
Armaq;, in æthereas qveis datur ire domos.
Parte aliâ in vario ſpectes veneranda metallo
Nomina, Romuleis anteferenda Diis;
Illa triumfales magnô oſtendentia laurûs
Agmine, & in cunctis parta tropæa plagis.
Regnorum Cnutos domitores, ære virentes
Et ſeniô Ericos, Numina qvanta! Bonos.
Nec minùs illuſtres numeras hîc, Roma, Qvirites,
Qvàm diadematos Balthica regna Joves.
His animum redditq; novum LAURENTIUS ævum,
Dum Geniô rarum vindice condit opus.
Et priſcæ inqvirens cunabula prima monetæ,
Erudit ê numis oppida qvæqve ſuis.
Percurrit populi titulos & fata Boréi,
Et tantum Patriæ præſtat ubiqve pius,
Qvantum eſt ex ævi traxiſſe ignota latebris,
Inſtauraſſe novâ ſecla vetuſta fide,
In veri penetraſſe ſinûs, digeſtaq; in annos
Geſta, iterum faſtis aſſeruiſſe ſuis.
O! qvanta hîc Arctos neſciret, prodita nulli,
Neſciret ſerus tota ſepulta dies,
Qvæ LAURENTIADES generosâ in ſecula pennâ
Transmittit, multô jam fruitura die;
Qvaqve patet, toti MUSEUM hîc explicat orbi,
Muſarumq; omni conſecrat omne gregi.
Ergo age, qvi rerum tot ad hæc miracula geſtis
Admitti, & noſtri ſcire ſtupenda ſoli,
Ingredere atq; avido deliba ſingula viſu,
Et laſſent oculos ſingula viſa tuos.

Jamq; ubi tantarum luſtrata eſt pagina rerum,
Eloqvio ſenſûs hocce fatere tuos:
Haud alia Natura parens habitavit in arce
Ditiùs, haud ſcripta eſt ſplendidiore libro.

JOH. GRAMMIUS.

Errata graviora ſic corrigenda.

PART. I.

SECT. I. Num. 16. lineâ 4. uniciarum, leg. unciarum. *num. 20. lin. 9.* axanimis, leg. exanimis. *num. 78. l. 8.* Arauda, leg. Aranda. *num. 84. l. 11.* cenſerunt, leg. cenſuerunt.

SECT. II. Num. 5. l. 7. cavæ, leg. cavæ.

SECT. III. Num. 39. l. 16. ventet, leg. venter. *num. 42. l. 3.* βάτραχος, leg. βάτραχος. *num. 51. l. 1.* retundo, leg. rotundô.

SECT. IV. Num. 1. l. 10. ſi verò, leg. ſi qvis verò. *n. 28. l. 2.* purpura, leg. purpuram. *n. 29. l. 25.* μεκώνια, leg. μηκώνια. *n. 36. l. 12.* teſtacea, leg. teſtacei.

SECT. V. Num. 6. l. 18. hinc, leg. hanc. *lin. 22.* ſentiit, leg. ſenſit. *num. 22. l. 8.* in variis, leg varios. *l. 9.* affectibus, leg. affectus. *n. 25. l. 16.* rubini, leg. rubenti. *n. 27. l. 12.* ovi, leg. ovis.

SECT. VI. Num. 24. l. 1. ARUNUDO, leg. ARUNDO.

SECT. VII. Num. 8. l. 25. ſua, leg. ſuô. *n. 52. l. 42.* Perſici, leg. Perſicos. *n. 61. l. 3.* immiſſum, leg. immiſſus. *n. 62. l. 17.* moticilla, leg. motacilla. *n. 114. l. 20.* ἀχυρμιαι, leg. ἀχυρμιαί.

PART. II.

SECT. I. Num. 57. l. 3. & 4. Naturæ, leg. Natura. *num. 87. l. 22.* fortiret, leg. fortiter.

SECT. II. Num. 81. l. 37. Anitiqvarius, leg. Antiqvarius. *n. 88. tit.* ACINACES. *lin. 3.* accerrimi, leg. acerrimi. *num. 102. pag. ult. l. 4.* typanum, leg. tympanum.

SECT. III. Num. 4. l. 12. pedis, leg. pedi. *n. 13. l. 15.* Roëskildenſiſem, leg. Roëskildenſem. *n. 14. lin. 27. à fine*, del. eſt. *n. 21. l. 10.* ſcutatores, leg. ſcrutatores. *n. 23. l. 16.* Hæc, leg. Hæ. *n. 27. l. 7.* pagiones, leg. pugiones. *n. 30. l. inſeratur* non *inter* ipſa & niſi. *n. 36. l. 1.* TATULA, leg. TABULA. *n. 37. l. 23.* CHRISTIANI IV. leg. CHRISTIANI III. *n. 48. l. 17.* gaſtata, leg. geſtata.

SECT. V. A12. 3. a. lin. 15. cudendi, leg. cudendæ. *C12, b. l. 23.* ſert, leg. fert. *G12. 2, b. l. 5.* motrimonium, leg. matrimonium. *G12. 3, a. l. 11.* edegit, leg. adegit. *L12, 3, a. n. 21. lin. 3.* impaſita, leg. impoſita, *ibid. Tab. 21. n. 1. lin. 8.* pedens, leg. pendens. *M12. 2, b. lin. 26. & 27.* ultima ſyllaba prioris verſûs, *qvæ*, perperam immigravit in initium pentametri. *N12. 3, b. l. 19.* Sralefundæ, leg. Stralefundæ. *P12. 2, b. l. 25.* barcæ, leg. barbæ. *P12. 3, a. lin. 13. à fin.* unicarum, leg. unciarum. *P12. 3. b. l. 13. à fin.* Hiſtorica, leg. Hiſtoria. *Q12. 4. b. lin. 13. à fin.* dicennium, leg. decennium. *R12. 3. b. l. 9.* aſſentiur, leg. aſſentitur. *R12. 4, a. lin. 6.* Kuytlingorum, leg. Knytlingorum. *C13, 2. a. l. 22.* leg. ad Sectionem. *C13. 2, b. l. 10. à fin.* Sialandia, leg. Sialandiæ, *lin. 2. à fin.* traditur, leg. traditus. *C13, 4, b. lin. 4. à fin.* primi, leg. primò. *D13. 2, b. l. 19.* Trajano, leg. Trojano. *E 13. à l. 21.* ulto, leg. ultrò. *E 13. 3, a. lin. 5. à fin.* del. non. *E13, 4, a. lin. 2.* inſigna, leg. inſignia. *G13. lin. 10. à fin.* vexillio, leg. vexillo. *I 13. 2, a. lin. 15.* obtruduſſe, leg. obtruſiſſe. *K13. 2, b. l. 13.* adæqvanda, leg. adæqvandus. *L 13. 2, b. l. 17.* fit, leg. ſic. *V 13. 2, b. l. 10. à fin.* Anphinomus, leg. Amphinomus. *X13. lin. 12.* ſerpentens, leg. ſerpentes. *lin. 26.* Anqvilæ, leg Aqvilæ. *X13. b. lin. 33.* Tripos, leg. tripus. *l. 37.* parteram, leg. pateram. *A14. lin. 3.* clavum, leg. clavam. *lin. 8. à fin.* numos, leg. numo. *B14. l. 5. à fin.* FAUSTNÆ, leg. FAUSTINÆ. *B14. 2, b. lin. 13.* Peſennium, leg. Peſcennium.

Leviores Typothetarum errores, qvi neminem Latinæ lingvæ gnarum offendant, Benevolus Lector facilè condonabit. Non enim eadem ubiq; Correctorum eſt felicitas, & oculum, qvem nullum fugit erratum, ſolus Deus habet.

Monendum adhuc de Figuris æneis, ſeparatim excuſis, & unicuiq; operis hujus ſectioni inſerendis, qvòd errore Calcographi ad Part II. Sect. V. numerô XXI. duæ ſignatæ inveniantur Tabulæ, qvarum poſterior numerô XXII. & ſic inſeqventes numerô ſuô ordinali numerari debebant, & contrà duobus numeris XXIII. & XXIV. una inſignita Tabula occurrat.